Rz 598

Kassai királyi jogakademia
Könyvtára
Szekrény szám XXII
Osztályzat 9.

212

110

Palma

XVI e

111

~~116~~

NOTITIA
RERVM
HVNGARICARVM.

EDITIO III.

NOVIS CVRIS RECOGNITA, ET MVLTIS CVM AD HISTORIAM, TVM AD IVS PVBLICVM HVNGARICVM VTILIBVS ACCESSIONIBVS LOCVPLETATA AB AVTORE SVO

CAROLO FRANCISCO PALMA,

CONSECRATO EPISCOPO COLOPHONIENSI, METROPOLITANAE ECCLESIAE COLOCENSIS PRAEPOSITO MAIORE, ET CANONICO, VACANTE NVNC SEDE, PER ARCHI-DIOECESIM COLOCENSEM IN PONTIFICALIBVS AVXILIARI EPISCOPO, IN SPIRITVALIBVS VICARIO, ET CAVSARVM AVDITORE GENERALI CAPITVLARI.

PARS III.

PESTINI, BVDAE, et CASSOVIAE,
Sumptibus I. M. WEINGAND, et I. G. KOEPF Bibliopol.

1785.

Rz
943.9
Maďarsko - Uhorsko - dejiny
panovníci - uhorčiny
Čj
Ul. Kr.

K.K. RECHTSAKAD.
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU

Rev. 1989
Rev. 77

Okresná ludová knižnica v Lesíně
Prír. č. 12800/964
Sign. Rz-598-vl.3/III
Odb. zn.
943.9
K

AD NOTITIAE RER. HVNG. PARTEM III.

Maximilianus I. Rom. Imp. archidux Auſtriae † 1519.
Vxor. Maria Caroli *Audacis* Burgundiae ducis filia heres

Philippus Pulcher A.A. dux Burgundiae, rex Caſtiliae † 1506.
Vxor. Ioanna Ferdinandi Catholici Arragoniae regis, et Iſabella Caſtiliae, et Legionis Reginae filia, Monarchiae Hiſpanicae heres † 1555

Carolus V. A. A. Rom. Imp. rex Hiſpaniae † 1558

Huius poſteros in Hiſpania regnantes
vide Tabella IV.

Iſabella A. A. infans Hiſpaniae † 1526
Maritus Chriſtiernus II. rex Daniae, et Sueciae

Chriſtierna princ. Daniae, et Sueciae
Maritus Franciſcus I. Lotharingiae, et Bari. Dux.
Huius poſteros Lotharingiae duces
vide Tabella V.

Ferdinandus I. A. A. infans Hiſpaniae Rom. Imp. † 1564
Vxor. Anna Vladislai II. Hung. regis filia
Huius poſteros in Auſtria regnantes
vide Tabella II.



NOTITIA
RERVM
HVNGARICARVM.
TERTIA,
SIVE AVSTRIACA REGVM HVNGARIAE PERIODVS.

FERDINANDVS I. IMP.
REX XXXIX.

§. I.

Ferdinandus profligato aemulo corona, et regno pleno iure potitur.

Auſtriacam ſeu tertiam regum noſtrorum periodum, et regnum *Ferdinandi* ab anno 1527. ordimur, quo ille omnium *Ludouici* II. ditionum dominus euaſit. Pragae die XXIV. Martii coronatus non ſolum Bohemos, verum etiam Morauos, Sileſios, et 1527

Luſatios in fidem acceperat: in Hungaria porro illo, quo conſtitutum diximus, die III. Nouembris, maxima cum pompa, et incredibili regni primorum, ac procerum frequentia, coronationis ſolennia Albaeregiae ſunt peracta (*a*). Munus coronandi noui regis obiuit *Paulus* de Varda, quem ſuperiore anno nominatum Strigonienſem archiepiſcopum, idem obſequium *Ioanni* regi praeſtitiſſe memorauimus, quique haud ita pridem deſertis *Zápolyae* partibus cum pluribus aliis ad *Ferdinandum* tranſierat, atque eius etiam calculo in electione ſua confirmatus fuerat: viri huius non minus, quam *Petri* de Perén coronae cuſtodis a ſe defectionem acerbe tulit *Ioannes*, tamque atroci in vtrumque vindictae ſtudio exarſit, vt, poſtquam regno *Solimanni* ope reſtitutus fuiſſet, aegre admodum illis placari potuerit. Finita coronatione, ſine mora Budam reditum fuit, vbi habito primorum, procerumque conuentu, pauca quaedam tempori illi accommoda conſtituta ſunt: cetera inter decretum fuit, vt *Simon* epiſcopus Zagrabienſis, *Ioannes* Bánfi de Alſólindua, *Antonius* Bánfi de Bolondótz, *Ioannes* Tahi, et *Franciscus* Drugeth de Homonna, qui ſoli iam fere e praelatorum, et magnatum ordine *Ioannem* ſequentes, coronationi intereſſe detrectauerant, nobiles item,

(*a*) Ritum in coronatione hac obſeruatum copioſe deſcriptum lege apud Vrſinum Velium lib. II. de bello Pannonico.

qui cum eodem in Tranſſiluaniam ſeceſſerant, ad diem XXV. Nouembris fidelitatis *Ferdinando* nuncupandae cauſa, Budae adeſſent, ſecus poenis laeſae maieſtatis crimini debitis plectendi (*a*). Quamquam ex his quoque non pauci, paulo tamen ſerius, *Ferdinando* adhaeſere, poſtquam *Zápolya*, vt erat rei militaris parum peritus, ac bello fere infelix, acceptis aliquot cladibus, nullibi iam in Hungaria conſiſtere permiſſus, in vicina Polonia aſylum quaerere coactus fuit. Non defuere tamen, qui tum quoque exulis regis ſui partes ſumma conſtantia ſunt tutati, non quidem e coeca quadam animi obſtinatione, aut in *Ferdinandum* odio, ſed quod religioni ſibi ducerent, ſolenne illud fidelitatis iuramentum, quo ſe *Ioanni* obligauerant, violare; atrociſſimo idcirco periurii crimine conſcientiam ſuam laeſum iri arbitrati, ſi *Ferdinandum* ſequerentur. Hoc in numero fuit *Ioannes* Bánfi de Alsólindua potentiſſimus transdanubianae Hungariae dynaſta, qui ſaepius, vt ad *Ferdinandum* tranſiret, necquidquam interpellatus, ampliſſimorum bonorum, et fortunarum ſuarum direptionem pro *Ioanne* pertulit, negans ſe fidem illi ſemel datam citra piaculum poſſe infringere. Alter ex ordine nobilium *Franciscus* Bodó, vir et priſcae virtutis ſeueritate, et rei militaris ſcientia conſpicuus, cum in

(*a*) Decreti Budenſis A. 1527. art. I. et II. in codice iuris patrii.

praelio ad Agriam captus, atque Budam ad *Ferdinandum* eſſet perductus, nullis praemiis, aut pollicitationibus adduci potuit, vt *Zápolyae* nuncium mitteret, maluitque poſtea in perpetui carceris ſqualore vitam finire, quam oblatam ſibi ſaepius a *Ferdinando* gratiam, et libertatem amplecti. In Dalmatia ſat diu *Zápolyae* partes ſuſtentabat *Criſtophorus* comes de Frangepan, qui tamen ſubinde turbas aemulorum cauſa in Hungaria ſuſcitatas pertaeſus, ad Venetorum reipublicae ſocietatem tranſiit. Omnium autem vtiliſſima *Ioanni* fuit fides, et conſtantia *Stephani* Báthori de Somlyó, *Iacobi* Tornyallai, et *Pauli* Bornemiſza de Arthand. Cum enim ex Hungaria ſubinde in Poloniam eiectus, omni patrimonio ſuo per *Ferdinandeos* occupato, extrema inopia laboraret, hi eum ſubmiſſo clam aere adiutum ibant, qua in re vſi fuere opera fratris *Georgii Martinuſii*, alias *Vthyſenichii* ordinis S. Pauli eremitae monachi (*a*), quem quod veſtis ipſa religioſa ab omni fraudis ſuſpicione immunem praeſtaret, vltro citroque impune commeans, Hungarorum quorumdam ad *Ioannem*, ac huius viciſſim ad eos nuncia, et mandata perferebat, cuius viri in ſe fidem, ac operam liberaliter poſtea remuneratus fuit *Ioannes*. Idem hic *Martinuſius* praecipuam deinceps in theatro

(*a*) Genus, et fata Martinuſii diſce ex eius epiſtola ad Verantium data in Annal. reg. Hung. Tomo V. ad A. 1534.

Hungarico perſonam egit, vſquedum mira rerum humanarum viciſſitudine, e ſummo fortunae gradu, violenta morte peremtus, deiiceretur.

§. II.

Ferdinandus res Hungaricas Budae ordinat.

Hunc in modum, cum profligatas iam eſſe penitus res aemuli arbitraretur *Ferdinandus*, res Hungaricas ad rectum reuocare ordinem, atque in Germaniam reuerti conſtituit: hunc in finem poſt initium anni inſequentis 1528. 1528
ordinibus regni Budam ad conuentum euocatis, ſui ex Hungaria diſceſſus cauſas explicuit, tum vero monuit, vt collatis vna conſiliis, totam rei Hungaricae gubernationem iis legibus, et inſtitutis obuallarent, ne abſente ſe quidquam detrimenti acciperet. Ante omnia igitur placuit, Budae veteri more, *ſenatum*, ſiue *conſilium regium* erigi, ad quod conflandum partim e baronum, et magnatum, partim ex equeſtri ordine lecti ſunt XVI. aſſeſſores, qui *Stephano* Báthori de Etsed palatino, et *Paulo* de Varda Strigonienſi metropolita praeſidibus, vicaria regis poteſtate, cuncta regni negotia expedirent: quibus additus magiſter *Beregſzáſzi*, qui in literis publicis ſiue conſeruandis, ſiue expediendis procancellarii vice fungeretur: porro cum *Bathorius* palatinus implacabili in *Stephanum* Verbötzium odio vſque adeo fer-

retur, vt opus quoque ab eodem compilatum, et ſub titulo *tripartiti iuris conſuetudinarii*, et a generalibus regni comitiis, et ab *Vladislao* rege die XIX. Nouembris A. 1514 1514. approbatum, deteſtaretur, iisdem conſilii regii Budenſis aſſeſſoribus negotium datum fuit, vt omnia deceſſorum Hungariae regum decreta in vnum corpus colligerent, iuxta quae deinceps de capite. et fortunis ciuium iudicaretur: (*a*) verum opus hoc tum quidem confici non potuit, vt adeo *Verbötzii* tripartitum porro etiam ſuum in tribunalibus et pretium, et curſum obtinuerit; aerarii regii, et camerarum omnium praefectura *Alexio* Thurzo de Bethlehemfalua commiſſa fuit, hinc eſt, quod in eius aetatis nummis aureis, et argenteis initiales illius nominis literae inſcriptae legantur. Vt regnum aduerſus vim omnem tutum, ſecurumque redderetur, praelatis, baronibus, atque nobilibus ſub fortunarum amiſſione impoſitum, vt facultatibus ſuis admenſum militem ab armis optime inſtructum, ſemper in promptu haberent, acceptis a rege mandatis, ad deſignata caſtra ſine mora deducendum: (*b*) cumque ad apparatum bellicum, aliasue publicas neceſſitates, nouis aerarium regium ſubſidiis opus haberet, gemini a ſeſſionibus ſingulis floreni comitiorum autoritate eum in finem deſtinati ſunt (*c*). Quo eo celerius,

(*a*) Decreti I. art. III.
(*b*) Decreti II. art. I.
(*c*) Decreti I. art. VIII. et Decreti II. art. VII.

faciliusue obtineretur, vt omnes demum Hungari vnum *Ferdinandum* regem, dominumque ſuum agnoſcerent: qui ad eum diem ad obſequium venire neglexerant, perduellionis rei declarati ſunt, illis vero, qui petito, ac obtento etiam a *Ferdinando* rege ſaluo conductu vti noluerant, omnis deinceps ſpes veniae adempta (*a*). Denique parochianis comitibus, ac procomitibus negotium datum, vt in *Ioannis* de Zápolya, eiusdemue aſſeclarum occulta molimina, atque conſilia vigili intenti oculo, *Ferdinandum* cunctis de rebus fideliter, et diligenter edocerent (*b*). Hactenus ſatis prouide omnia, ſapienterque ſunt diſpoſita, verum illud vix ab imprudentia excuſari poterit, quod ſacrum regni diadema, a longo iam tempore Viſſegradenſi in arce ſub delectorum, ac ordinibus regni iuramento obſtrictorum militum cuſtodia aſſeruari ſolitum, non modo ad tutiorem aliquem locum translatum non fuerit, verum etiam vnius *Petri* de Perény fidei, manibusque ſit relictum: qui cum illud parum prouide de loco in locum transfert, anno inſequente in itinere interceptus, vna cum ſacro illo theſauro in *Solimanni* venit poteſtatem. His demum actis, atque conſtitutis, *Ferdinandus Thomam* de Nádasd arcis, vrbisque Budenſis gubernatorem creauit, relictoque illi DCC. militum Germanorum praeſidio, ac ex Hun-

(*a*) Ibidem art. II. et III.
(*b*) Ibidem art. IV.

garia, perpetuis mox bellis inteſtinis dilaceranda, eodem anno ſub veris principium Viennam diſceſſit (*a*).

§. III.

Zápolya, fruſtra tentata cum Ferdinando pace, Solimanni patrocinium implorat, et impetrat.

Interea *Ioannes* de Zápolya e Tranſſiluania non minus, quam ex Hungaria per *Ferdinandi* duces electus, Tarnouiae in Polonia apud loci dynaſtam *Ioannem* Tarnouſzky refugium reperit. Hic amiſſi regni dolore amens, vias, et modos omnes fortunae in melius commutandae ſollicite circumſpiciens, *Clementis* VII. pontificis, ac plurium Europae principum opem, et auxilium, ſed incaſſum, implorauit. Suſceperat quidem exulis cauſam *Sigismundus* rex Poloniae, miſſoque oratore *Petro* Opolinskio, maiorem in modum *Ferdinandum* orabat, vt honeſtam aliquam concordiae rationem victor licet cum victo iniret, atque aliquid eidem concederet: monebat, ne ſecundae ad eum diem fortunae nimium confideret: multos adhuc eſſe ex Hungaris, qui aperte, plures autem qui clam exuli ſtuderent, nec defore Chriſtianos prin-

(*a*) Vide Vrſinum Velium lib. II. et ſequ. Iſtuánfi Hiſtor. lib. IX. Annales reg. Hung. Tomo V. ad h. a.

cipes, qui aere, militeque illum ad recuperandum regnum essent adiuturi, quodsi omni spe pacis negata, Marte iudice litem prosequi velit, meminisset *Solimannum* primo quoque tempore ad oppugnandam totis viribus Hungariam rediturum, eademque, decertantibus de corona aemulis, facili negotio potiturum: quodsi hac ratione nobilissimum regnum in Turcarum veniret potestatem, culpam, et inuidiam omnem *Ferdinandi* erga *Zápolyam* duritiei esse adscribendam. Momenta haec adeo grauia visa sunt *Ferdinando*, vt eadem ministris suis diligenter discutienda commiserit. Verum post tot victorias de Zápolya reportatas, tanta erat omnium de secundis deinceps quoque successibus praefidentia, vt nullam superesse amplius existimarent illius regno restituendi rationem: palatinus cumprimis priuato magis in veteranum aduersarium odio, quam communis salutis studio actus, omnem mouebat lapidem, vt mitissimum cetera *Ferdinandi* animum a concordiae tractatione abstraheret: quapropter datum ex senatusconsulto oratori Polono responsum: vnam *Zápolyae* cum *Ferdinando* in gratiam redeundi esse viam, si dignitate, rituloque regis vltro abdicato, supplex eidem ceu legitimo principi suo obedientiam vouere in animum induceret. Paulo acerbior, duriorque fuit ea conditio, quam vt eam *Zápolya* amplecti vellet: indecorum sibi existimans, vt qui ante pro legitimo Hungariae rege ab omnibus fere domesticis, et a tot principibus exteris habebatur, nunc in

ordinem ſe redigi, ac aemulo ſuo ſubdi pateretur. Aegrum idcirco, multaque animo agitantem *Zápolyam Hieronymus* Laskius Polonus, vir inſigni ingenio, et conſilii vi praeditus amice conſolatus, hortari coepit, vt quando fruſtra iam Chriſtianorum principum auxilium imploraſſet, ad *Solimanni* Turcarum imperatoris patrocinium confugeret, qui vt exulis principis in ſolium reſtituti gloriam adipiſceretur, perlibenter eam opportunitatem ſit arrepturus. Exhorruiſſe fertur *Ioannes* inexſpectatum hoc conſilium, quod et de felici rei exitu dubitaret, et vereretur, ne *Solimannus* ea occaſione ad occupandam Hungariam vteretur: verum cum *Laskius* vehementius inſtaret, ſe legationem ſuis ſumtibus obiturum, ac omnia, quae Hungariae ſaluti noxia eſſe poſſent, prudenter amoliturum polliceretur, ceſſit demum *Zápolya*, id Virgilianum ingeminans: *Flectere ſi nequeam ſuperos, acheronta mouebo.* Itaque *Laskius* plena agendi poteſtate inſtructus e Polonia diſceſſit, ac poſt multa et viarum incommoda, et vitae diſcrimina die XXII.
1528 Decembris A. 1528. Bizantium appulit. Quibus viis, quibusue artibus rem *Zápolyae* idem egerit *Laskius*, operis, quod ſcribimus, breuitas non ſinit pluribus explicare (*a*). Difficiliorem ille principio ſenſit prouinciam,

(*a*) Laskianae legationis Ephemerides a Cl. Belio editas Annalibus ſuis inſeruit Cl. Pray Tomo V. ad h. a. pag. 199.

quam ante ſibi perſuaſerit, propterea, quod Turcae intellecta duorum aemulorum de regno contentione, Hungaros et diſſidiis laborantes, et domeſtico bello labefactatos, paulo poſt totis viribus inuadere, ac vno velut impetu ſub iugum mittere, firmiter iam in ſanctiore conſilio ſuo, quod *diuanum* appellant, decreuerint: at poſtquam *Ludouici* Gritti (*a*) hominis vaferrimi, et Turcicae aulae admodum cari opera, *Ibraimi* Vezirii beneuolentiam ſibi conciliauit *Laskius*, vt erat ingenio, et eloquentia promptus, eo demum negotium adduxit, vt *Solimannus* nominis ſui gloriam imperii ſui vtilitatibus anteponens, intimam cum *Zápolya* amicitiam pepigerit, his fere conditionibus: *Solimannus Ioannem* ſolio Hungarico pleno iure reſtitueret, reſtitutum contra *Ferdinandi* vim copiis ſuis tueretur, *Ioannes* ex aduerſo nulla eapropter ſeu ſeruitute, ſeu tributo obſtrictus eſſet, ſolaque amicitia, et armorum contra quemuis hoſtem ſocietate ſuam erga benefactorem gratitudinem teſtaretur. His die III. Februarii A. 1529. ex ſententia confectis, laetus 1529
Laskius, nominato, qui vices ſuas obiret, reſque *Ioannis* Bizantii curaret, oratore *Ludouico* Gritto, cum execrandi, Hungariaeque funeſtiſſimi foederis tabulis in Poloniam ad *Ioannem* properauit, optatiſſimo eo nuncio exulem exhilaraturus: a quo is ſubinde in

(*a*) Ludouici Gritti natales, et fata lege apud Iouium Hiſtor. lib. XXVIII. pag. 282.

nauatae operae praemium, perpetui comitis Scepuſienſis honore, Késmarkino, et pluribus aliis dominiis donatus fuit (*a*).

§. IV.

Ferdinandi res in Hungaria Turcarum metu inclinant.

Paucis poſt *Laskii* diſceſſum diebus venit Bizantium *Ioannes* Hobordanſzky, miſſus a *Ferdinando* legatus eo fine, vt aliquot annorum inducias cum Turcis conficeret: ſed is inconſiderata ſua cum Turcis agendi, loquendique ratione, alienatum iam alioquin *Solimanni* a principe ſuo animum paulo atrocius, quam credi poſſit, irritauit: quemadmodum enim a miniſtris Viennenſibus, quibus aulae Bizantinae arrogantia, et genius hactenus incognita fuere, inſtructus erat, quo *Ferdinandum* procul ab omni metu eſſe declararet, ſimul autem Auſtriacae potentiae formidinem Turcis incuteret, Belgradum, Sabatſium, Sirmium, Iaitzam, et quidquid poſtremis in Hungariam expeditionibus illi occupauerant, non minore imprudentia, quam audacia reſtitui repetebat: negans aliter a principe ſuo inducias poſſe concedi. Intempeſti-

(*a*) Analectorum Scepuſii parte III. pag. 223.

ua ea iactantia vſque adeo in furorem actus fuit *Solimannus*, vt hominem ſine mora Bizantio faceſſere, *Ferdinando*que renunciare iuſſerit, ſe proxima aeſtate validis cum copiis Budam, ac Viennam venturum, ibidemque inito cum eodem certamine, litibus finem impoſiturum (*a*). Feralis ea comminatio multorum ex Hungaris, qui *Ferdinando* adhaerebant, animos conſternauit, vt qui ab ea expeditione certiſſimam patriae ſuae ruinam non ex vano ominabantur. Zápolya autem poſtquam de propitia *Solimanni* erga ſe voluntate per reducem *Laskium* edoctus fuiſſet, dátis ad Hungariae magnates, atque nobiles literis, omnes, et ſingulos hortatus fuit, vt ſibi propediem in Hungariam aduenturo vires, dextrasque coniungerent, niſi potentiſſimi Turcarum imperatoris vindictam potius, quam clementiam experiri malint. Vbi autem quamplurimos e ſuperioris Hungariae dynaſtis, ac nobilibus aduentum ſuum auide praeſtolari, ex fratre *Georgio* Martinuſio didicit, aliquot Polonorum cohortibus ſtipatus, Caſſouiam verſus irrupit, imparatosque adortus *Ferdinandeos* memorabili clade affecit, cuius victoriae fama, de induſtria exaucta, multum momenti attulit, ad augendum eius factionis numerum: quaſi enim iam *Ferdinandus* debellatus eſſet,

(*a*) Iouius Hiſtor. ſui temporie lib. XXVIII. Ioannes Zermegh in hiſtoria rerum geſtarum inter Ferdinandum, et Ioannem lib. I. §. VIII.

certatim Hungari, ac Tranſſiluani ad *Ioannem* tamquam ad victorem confluebant: quae defectio communis fere poſtea euaſit, vbi certiſſimis nunciis vbiuis diuulgatum fuit, *Solimannum*, exulis regis ſolio reſtituendi cauſa, feſtinatis itineribus Hungariae appropinquare: tum enim vnusquisque, ac imprimis inferiorum regni comitatuum proceres, quo ſe, resque ſuas a Turcarum immanitate liberas praeſtarent, *Ioannis* ſe partium eſſe ſunt profeſſi: vt adeo ille paucarum hebdomadarum ſpatio, potiorem Hungariae partem haud magno impendio *Ferdinando* eripuerit (*a*).

§. V.

Solimannus Buda potitur.

Neque vanus fuit de Turcarum aduentu ru-
1529 mor: *Solimannus* enim aeſtate anni 1529. iis ipſis i campis Mohatſienſibus, vbi Hungaros internecina clade proſtrauerat, ad renouandam in animis eorumdem funeſtae cladis memoriam, caſtra collocauit. Hic eum *Ioannes* de Zápolya procerum corona ſtipatus ſalutauit, dextramque patroni ſui oſculo veneratus fuit: ea clientis ſubmiſſione non medio-

(*a*) Ioannes Zermegh loco cit.

mediocriter recreatum *Solimannum*, haud paulo amplius exhilarauit *Ioannes* Szeretſen, epiſcopatus Quinqueeccleſienſis vſurpator, cum *Petrum* de Perény prope Sikloſiam arcem vna cum ſacro regni diademate ex inſidiis interceptum, captiuum ad Turcarum caſtra adduxit: eo enim theſauro, Hungaris ſacro, potitus *Solimannus* nil iam deeſſe videbat, quo minus *Ioannes* pleno iure in priſtinum ſolium reponeretur. Promotis deinde per aduerſam Danubii ripam caſtris die XXIV. Auguſti in Budenſi agro conſtitit: *Ioannes* interea per auerſam fluminis eiusdem partem progreſſus e regione Budae Peſtinenſibus in campis ſua eodem tempore caſtra defixit. Flumentana ciuitas Budenſis, quod muris vetuſtate fatiſcentibus non ſatis munita, et a defenſoribus deſtituta erat, mox per Turcas occupata fuit: verum arx, cui *Thomas* de Nádasd cum DCC. praeſidiariis Germanis praefuit, aliquamdiu eorumdem luſit conatus, porro etiam luſura, ſi loci gubernatoris fidei in *Ferdinandum* conſtantiam, et fortitudinem praeſidiarii quoque imitari voluiſſent. Hi enim aliqua moenium parte tormentorum hoſtilium vi proſtrata, panico correpti terrore *Nádasdium*, quod de facienda loci deditione ne mentionem quidem ſuſtinere vellet, ac a propoſito nullis precibus, aut minis dimoueri poſſet, ſeditione facta, in vincula coniecere, liberamque ſuis cum rebus diſcedendi facultatem pacti, vinctum gubernatorem cum arce ipſa hoſtibus tradidere: ſed perfidia haec haud diu im-

punita abiit: praeſidiarios enim omnes arce egreſſos, vbi ad veterem Budam peruenere, immiſſis Ianitsaris contra datam fidem concidi iuſſit *Solimannus*; *Nádasdium* autem ob ſingularem animi fortitudinem multis verbis collaudatum ſaluum retinuit: at cum hic Turcarum fidei non multum fideret, nec ſatis ſibi tutum putaret diutius in eorumdem caſtris morari, arrepta, quam forte ad ripam repererat, cimba piſcatoria in alteram Danubii partem, vbi *Ioannis* caſtra erant, feliciter euaſit, hic regiis pedibus affuſus, multis intercedentibus, defectionis ſuae praeteritae veniam impetrauit, ſolennique iureiurando iterum fidem ſuam *Ioanni* obſtrinxit: qui virum multiplici doctrina, rerumque tractandarum vſu excultum paulo arctius ſibi deuincturus, ampliſſimam in Tranſſiluania ditionem, quam *terram Fogaras* appellant, eidem
1530 A. 1530. perpetuo iure donauit, triennio poſt *Nádasdius* praediuitis connubii cum vnica *Ladislai* de Kaniſa filia ineundi cauſa, impetrata a *Ioanne* diſcedendi venia, numquam deinceps ad illius partes, quas Turcarum auxiliis ſuſtentatas oderat, rediit, eamdemque terram Fogaras per *Ferdinandum* pariter ſibi, heredibusque ſuis conferri impetrauit (*a*).

(*a*) Wolffgangus de Bethlen lib. I. et V. Vrſinus Velius lib. VI. Ioannes Zermegh lib. I.

§. VI.

Ioannem in ſolio Hungarico confirmat.

Haec inter *Solimannus* promiſſi memor, *Ioannem* Peſtino Budam tranſire, arcemque regiam occupare iuſſit: inde praelii cum *Ferdinando* ineundi ardore incenſus in Auſtriam contendit, ac die XXVI. Septembris Viennam obſedit; verum *Philippi* comitis palatini Rheni, Bauariae ducis, *Nicolai* item comitis a Salm, ac cum Germanorum, tum vero Hiſpanorum militum praeſidiariorum virtute non vna vice a moenibus reiectus, deſperata victoria, die XV. Octobris obſidionem ſoluit, fugientique ſimilis Budam paucos intra dies rediit: hic per dies aliquot commoratus, cum *Ioanne* ad caſtra euocato crebras de ſtabilienda illi regni poſſeſſione, ceterisque rebus ad mutuum foedus ſpectantibus conſultationes habuit, quo tempore id ſingulare prorſus clementiae, et humanitatis edidit argumentum, cum *Ioannem* Chriſtiane prorſus hortatus fuit, vt quos ipſe in caſtris ſuis captiuos quaſi habebat *Paulum* de Varda Strigonienſem archiepiſcopum, et *Petrum* de Perény S. coronae cuſtodem, condonata prioris ad *Ferdinandum* defectionis culpa in gratiam reciperet: cumque ille exaggerata perfidiae grauitate, aliquamdiu inexorabilem ſe ſe praebuiſſet, elegans id dictum *Solimannus* protulit: maiori gloriae cedere ſummo imperanti, iniurias ſupplicibus ſubditis condonare, quam vlciſci: quo fortaſ-

ſe ille clementiae famam apud Hungaros aucupari voluit. Hoc demum impetrato, in purpuratorum ſiue primorum e ſuis corona, ſacro regni diademate *Ioannis* manibus conſignato, eumdem Budae, ac totius Hungariae regem, atque dominum pronunciauit, omnem illi aduerſus *Ferdinandum*, illique adhaerentes opem, et auxilium ſolenni iuramento pollicitus (*a*). Educto poſtea e vagina enſe, eodemque minantis in morem agitato, adſtantes Hungaros ad fidei erga reſtitutum a ſe principem conſtantiam adhortatus fuit, atrociſſima omnibus comminatus ſupplicia, ſi ab eiusdem obedientia aliquando diſceſſerint. Hactenus ſat liberaliter actum cum *Ioanne*, verum illud et huic, et Hungaris diſplicuit admodum, quod validam ſelectiſſimorum e Ianitsaris manum, ſpecie regis, vrbisque cuſtodiendae, Budae reliquerit, quibus praefecit *Ludouicum* Grittum, legati ſui, vel potius exploratoris munus obiturum: huic enim in arcanis mandatis dederat, vt omnes Hungarorum motus, ac conſilia ipſa diligenter exploraret, ſibique Bizantium perſcriberet, id autem imprimis omni induſtria, et conatu prohibere ſatageret, ne *Ioannes*, miſſo Turcis nuncio, pacem aliquando, foederisque ſocietatem cum *Ferdinando* iniret; verebatur quippe *Solimannus*, ne, ſi gemini hi principes in gratiam redirent, vnitis poſtea viri-

(*a*) Diploma, quod tum Solimannus Ioanni tradidit, vide apud Wolffgangum de Bethlen lib. I. pag. 55.

bus arma in eum conuerterent. His actis *Solimannus* cum LX. millibus captiuorum, quos partim ex Auſtria, partim ex Hungaria ipſa abſtraxerat, Bizantium rediit (*a*). Ferunt *Ioannem*, tanta mancipiorum Chriſtianorum multitudine e Budenſi regia conſpecta, in amaras erupiſſe lacrimas, *Laskii*que conſilium damnaſſe, quod recuperato Turcarum ope regno, tot mortalium millibus perpetuam conſciuerit calamitatem. Ac reapſe grauem eapropter apud omnes Europae principes inuidiam incurrit *Ioannes*: certe *Clemens* VII. papa, vrgente id *Ferdinando* rege, illum poſtea initi cum *Solimanno* foederis cauſa, ſacrorum communione priuauit, nec niſi tum, cum ad deſerendam ſocietatem Turcicam applicuit animum, in eccleſiae ſinum recepit.

§. VII.

Calamitates inde in Hungaria conſecutae.

Turcis ex Hungaria digreſſis, *Ioannes* generalia comitia Budam indixit, nil dubitans, vniuerſos regni ordines eodem confluxuros: at ſpe ſua vehementer deluſus fuit, cum enim effreni Turcarum in Hungariam ipſam, quam *Ioanni* reſtituerant, ſaeuiendi licentia,

(*a*) Iouius Hiſtor. lib. XXVIII. Iſtuánfius lib. X. Bethlen, et Zermegh.

et immanitate quam plurimi vltra modum offenſi fuiſſent, adeo exiguo numero Budam conuenere, vt nulla eſſet comitiorum ſpecies, quapropter nil ibidem de republica agi potuit, niſi quod *Ioannes* rex inſignem aduerſum ſe fidei *Ioannis* Bánfi de Alsólindua conſtantiam remuneraturus, eumdem regni Hungariae palatinum conſtituerit (*a*). Ex hac ipſa comitiorum infrequentia clare perſpicere poterat *Ioannes*, non ita profligatas adhuc eſſe res *Ferdinandi*, vt nil amplius inde timendum haberet. Ac reuera *Ferdinandus* et ſuapte, et Hungarorum ſibi fauentium precibus exoratus, vbi primum *Solimannum* ex Hungaria diſceſſiſſe comperit, copioſa tam in Germania, quam in Bohemia militum ſupplementa conſcripſit, quibus aemu-
1530 lum ſolio deiiceret. Anno inſequente 1530. ſed ſero admodum, menſe Nouembri, quod nullae iam tum a *Solimanno* ſuppetiae ſperari poterant, per *Vilhelmum* Rogendorfium *Ioannem* Budae obſedit, verum quia praeſidiariorum virtute non vna vice a moenibus profligatus erat, et cum frigidioris iam coeli intemperies, tum plura alia incommoda militem impatientem reddiderant, *Rogendorfius* inauſpicatam obſidionem ſoluere coactus fuit: exinde in conficiendis induciis, paceque tentanda annus prope abiit. At *Solimannus* eam clientis ſui Budae oppugnationem adeo grauiter tulit, vt A. 1532. numeroſo cum exer-
1532

(*a*) Wolffgangus Bethlen pag. 58.

citu in Hungariam appulsus, Viennam iterum oppugnare constituerit, verum *Ibraimus* Vezirius, quem *Carolus* V. caesar multo auro corruperat, ita et itineris rationem, et *Solimanni* animum moderari nouerat, vt is *Caroli* V. qui Viennam propediem aduenturus nunciabatur, fortunam veritus, ab Austria inuadenda penitus abstinuerit; rursum tamen innumera crudelitatis suae vestigia in Hungaria reliquit, praeterquam enim, quod in clientis sui *Ioannis* regno, quacumque iter habuit, oppida, et pagos omnes ferro et igne deleuerit, immensam iterum Christianorum vtriusque sexus multitudinem secum in seruitutem abduxit. Praeter hanc Turcarum barbariem, a suismet etiam ciuibus Hungaria grauissimas, iis duorum aemulorum de regno litigantium temporibus, perpeti debuit calamitates: nemo tum, cuicumque demum parti adhaereret, vitae, rerumque suarum securus vixit: ciuitates, oppida, et pagi iam vni, iam alteri, iam vtrique tributa pendere adacti, ad extremam redigebantur inopiam: dynastae, ac nobiles, quo se a vi, et direptione tutos praestarent, illius, cuius signa, militemque conspexerant, partium se esse profitebantur: si quando *Ferdinandus* ad remunerandam clientum suorum fidem nonnullis bona contulit, Ioannes armata manu obiecta, eos ab adeunda possessione prohibuit, nisi ad suas partes transirent, quod cum *Ferdinandus* vicissim cum aemuli sui donatariis ageret, id demum euenit, vt plerique, quo ab vtroque rege donationis literas im-

petrarent, eadem verborum formula vtrique fidelitatis ſacramentum nuncupauerint. Malo huic ſane quam deplorando, acceſſit execranda multorum perfidia, qui iam hunc, iam illum regem ſe ſe ſequi ſimulantes, priuatos dominos, eccleſias, ac ipſam adeo ſacram coronam bonis, ac poſſeſſionibus impune ſpoliabant. Et vero omnium miſerrima fuit ſacri eccleſiarum peculii conditio: cum enim *Ferdinandus* id a *Clemente* VII. Pont. impetraſſet, ne vlli, quem *Zápolya* nominaſſet, antiſtiti confirmationem impertiretur, ex aduerſo autem *Zápolya* nominatos per *Ferdinandum* a ſedibus ſuis excluderet, eccleſiarum his de cauſis per plures annos proprio paſtore ſuo viduatarum bona profani homines in ſuam redegere ditionem: ſic *Ioannes* Szeretſen inuaſit epiſcopatum Quinqueeccleſienſem, Nitrienſem *Valentinus* Török ab Enning: Iaurinenſem cum Sabarienſi praepoſitura *Paulus* Bakits: Tsanadienſem *Caſpar* Berufits: Tranſſiluanienſem *Franciscus* Bodo: Varadinenſem *Emericus* Tzibak, quos ſubinde aemuli reges ne a partibus ſuis alienarent, in bonorum inique raptorum poſſeſſione minime auſi ſunt turbare. Sub haec eadem tempora, noua de religione doctrina per illapſos e vicinis regnis magiſtros in Hungaria, et Tranſſiluania diſſeminari coepit: atque ſic introducta ſenſim de cultus diuini ritu, de moribus, ac fidei dogmatibus opinionum varietate, dudum iam partium ſtudiis, domeſticisque diſcordiis laborantes Hungari etiam religione, cuius maximum eſt ad animorum

vnionem momentum, ab inuicem diffidere coeperunt, vnde ad mutua odia, ac caedes ipſas ſubinde gradus factus fuit (*a*).

§. VIII.

Publica patriae mala Ioannem ad pacem cum Ferdinando ſanciendam adigunt.

Funeſtam hanc, totique Chriſtianitati noxiam totius regni deſolationem, et non communia ſolum Hungariae, verum et priuata ſua damna cum reges ipſi ſuiſmet intuerentur oculis, vererenturque, ne Turcae, mutata repente ſcena, Hungariam ſub iugum mitterent, clare iam concordiae inter ſe componendae neceſſitatem perſpiciebant: *Ioannes* certe non vna vice partim *Ferdinandum*, partim *Carolum* V. caeſarem de pace interpellauit, modo ea ſaluo ſuo regis honore poſſet confici: *Ferdinandus* quoque tempori cedendum putans, a priori conditionum rigore aliquid remittere, *Ioanni*que partem Hungariae cum regio titulo indulgere conſtituerat: verum *Stephanus* Bathorius palatinus priuatum odium, et vindictae ſtudium com-

(*a*) Lege de funeſtis eius aetatis viciſſitudinibus Iouium, Ioannem Zermegh, Vrſinum Velium, Iſtuánfium, et Analecta Scepuſii ſacri, ac profani Tomo II. ſpeciatim ibidem Annales contractos Conradi Sperfogel.

munibus patriae vtilitatibus anteferens, neque vt oportebat futura proſpiciens, acerrime aequo huic conſilio obſtitit; extrema prius experiri, quam vel inanem regis appellationem aduerſario ſuo concedere certus: ac reuera ea fuit palatini apud *Ferdinandum* autoritas, vt hic, quoad ille vixit, nullam honeſtae alicuius concordiae ſpem, eodem inuito, *Ioanni* polliceri auderet: verum poſtquam homo arrogantia, et odio tumens
1535 A. 1535. viuere deſiit, proniora mox ad pacem omnia expertus fuit *Ioannes*, vt qui dudum iam Turcarum ſocietatem, atque protectionem cum tanta Hungariae calamitate coniunctam tacite oderat, nullam tamen ſplendidis illis compedibus ſemet expediendi ra-
1532 tionem inueniebat. Iam A. 1532. cum *Solimannus* alteram in Auſtriam expeditionem, quamquam, vt diximus, ſine fructu, ſuſceperat, acre illi calcar ſubditum fuit, vt toto ſtudio Auſtriacae domus amicitiam expeteret: quod iam tum *Solimanni* erga ſe beneuolentiam vehementer refrixiſſe, ac aliquid ſiniſtri illum animo voluere non obſcuris indiciis collegerat. Iuuat et huius, et grauioris adhuc, quae paulo poſt conſecuta fuit, *Solimanni* a *Ioanne* alienationis cauſas ſumma, qua licebit, breuitate explicare. *Ludouicus* Grittus Turcarum in aula Budenſi miniſter, ſeu priuata ductus ambitione, ſeu, quod id in arcanis *Solimanni* mandatis habebat, *Ioannem* interpellauit, vt, ſi rebus ſuis quam optime proſpectum, *Solimanni* autem beneuolentiam perpetuam eſſe vellet, ſe Hungariae

gubernatorem conſtitueret: re ad ſenatum regium delata, nemo fere fuit ex Hungaris, qui id probaret: omnes hominem exterum, illegitimo thoro, patre Veneto, matre Graeca Bizantii natum, ac Turcarum vtilitatibus penitus deuotum, vltra modum deteſtantes, regem ab eo conſilio dehortari non deſtitere: verum is natura puſillanimis, *Solimanni* tum recte ad oppugnandum *Ferdinandum* A. 1532. appropinquantis gratiam aucupaturus, 1532
maximis ſuorum ingratiis vaferrimum hominem totius regni gubernatorem, vno ſe inferiorem futurum, creauit. Hac honoris, et poteſtatis acceſſione tumidus *Grittus*, clam cum *Solimanno* de redigendo in ordinem *Ioanne*, Hungariaque, ſe principe conſtituto, ceteris Ottomannici imperii prouinciis accenſenda, conſilia agitare coepit; quoque negotii tam grandis, multisque obnoxii obſtaculis executionem eo accuratius deſcriberet, *Solimannum* ex Hungaria domum tum reuertentem, Bizantium vſque nemine arbitro comitatus fuit: vnde ſubinde valida peditum, equitumque Turcarum manu ſtipatus, in Hungariam redux, propalam iam ad tyrannidem aſpirare coepit; mox enim, de *Solimanni* in ſe gratia certus, ſummos quosque viros, voluntati ſuae minus obſequentes, exilio, bonorum publicatione, ac morte ipſa mulctauit. Hos inter *Emericum* de Tzibak, virum *Ioanni* regi in paucis carum, propria autoritate necari iuſſit: ex qua agendi ratione multis ſuſpicio oborta eſt, in id intendere *Grittum*, vt potentioribus proceri-

bus e medio ſublatis, ſubinde in *Ioannis* ipſius perſonam gradum faceret. Sanguinaria haec conſilia cum Tranſſiluani primores ſubodorati fuiſſent, inuiſum ſibi hominem, apud ſe tum forte agentem, immiſſo ſatellitio comprehendere, ac in quaeſtionem poſtea vocatum, tamquam hoſtem reipublicae Megyeſini, publico
1534 in foro A. 1534. carnificis manu obtruncari curauere: cuius caedis fama non in Tranſſiluania modo, verum etiam in Hungaria incredibili cum plauſu, et gratulatione accepta fuit. Ipſe *Ioannes*, qui deteſtanda hominis ſibi formidandi conſilia et ex amicorum literis Conſtantinopoli ad ſe datis intellexerat, et vſu ipſo, quamquam ſero admodum, didicerat, tacite eam caedem apud animum ſuum probabat. Verum quia non ignorabat *Solimannum*, qui totam Hungariae citra grauioris belli incommoda ſub iugum *Ottomannicum* mittendae ſpem, in *Ludouici* Gritti erga ſe fide, ac dexteritate collocauerat, inexſpectatum eum caſum grauiter admodum laturum, neque hominis ſibi, imperioque ſuo tam neceſſarii necem inultam eſſe paſſurum, in illius autores inquiri curauit: atque tum ex quorumdam ſuaſu, vt *Solimanno*, quantum ſibi doleret *Ludouici* Gritti interitus, facto ipſo declararet, *Hieronymum* Laskium, cui tot nominibus obſtrictus erat, in ſanguinarii eius conſilii Tranſſiluanis ſuggeſti ſuſpicionem vocatum, in carceres coniecit, ac *Gritti* manibus litare conſtituit, ratus tanti viri caede placatum *Solimanni* animum, minime vlterius in vindicta progreſſurum; verum re diligen-

tius examinata, adeo luce meridiana clarius innocentiam ſuam demonſtrauit *Laskius*, vt *Ioannes* rex eumdem omni ſuſpicione abſoluere, liberumque dimittere cogeretur. Ceterum iniuriam hanc inſigni cum ingratitudine coniunctam adeo acerbe tulit *Laskius*, vt tum quidem Keſmarkinum decedens, moerori aliquamdiu vacauerit, ſubinde autem, quo *Ioanni* aegrius faceret, deſertis eius partibus, *Ferdinando* adhaeſerit (*a*). His curis vltra modum anxium *Ioannis* animum non mediocriter perculit inopinata *Solimanni* denunciatio, qua in omnes *Ludouici* Gritti caedis autores, et conſcios diligenter inquiri, eosdemque grauiſſimis ſuppliciis affici iuſſit, ſecus ſe propediem venturum, nulloque habito perſonarum diſcrimine, vltionem ſumturum eſſe comminatus. Quaeſtionem hanc ſuſcitare plena res erat periculi: quod praecipui quique ex Tranſſiluaniae primoribus, et proceribus partim ipſi *Grittum* ad necem damnauerant, partim peractum iam ſupplicium calculo ſuo probauerant, vt adeo *Ioanni* vix tutum videretur, in tot illuſtres, potentesque viros, quorum fide ad eum diem regnauerat, violentas manus iniicere: quapropter ne tantae inuidiae, ac diſcrimini etiam caput ſuum obiiceret, importunam eam quaeſtionem conſulto in dies differebat, miſſisque Bizantium nunciis et facinus patratum excu-

(*a*) Vide Iſtuánfi Hiſtor. lib. XII. Bethlen lib. II. Ioannem Zermegh lib. II.

ſare, et *Solimanni* animum placare ſatagebat, qua ſua tergiuerſatione cum hunc paulo vehementius irritatum, ſibique vltra modum offenſum eſſe intellexiſſet, quo ſe ab eius vi tutum, ſecurumque aliquando praeſtaret, intimam cum *Ferdinando*, et *Carolo* V. caeſare amicitiam, armorumque ſocietatem ſerio demum inire conſtituit, ea ſpe ductus fore, vt, ſi *Carolus* V. paulo validiorem exercitum ſuppetias in Hungariam mitteret, ipſeque huic ſuas vires coniungeret, *Solimannus* non ſine clade profligaretur. Illud quoque ad optatiſſimum pacis negotium eo maiore ſtudio accelerandum *Ioannem* mouebat, quod cum plurimi ex Hungaris ſentire iam inciperent, ſe quidem ei tamquam regi ſuo ſubeſſe, illum autem Turcarum imperatori ſeruire, Turcicae ſocietatis pertaeſi, iam in dies magno numero ad *Ferdinandi* partes deficiebant. Poſtquam igitur induciae anno
1535 1535. ſtabilitae ſunt, de pace vtrinque agi coepit: verum huic maximo erant obſtaculo Hungari, quod nulla ratione permittendum putauerint, vt regnum Hungariae, quod tamen maxime vrgebat *Ioannes*, geminos inter principes ex aequo diuideretur, ad quod impediendum publica conſtitutione ſanxerant, ne, ordinibus regni inconſultis, pax ea poſſet concludi (*a*). Sic cum noua ſemper paci obſtacula opponi cerneret *Ioannes*, totum illius componendae negotium *Caroli* V. caeſaris

(*a*) Decreti Ferdinandi A. 1536. art. I.

arbitrio, et aequanimitati reliq it: hoc itaque arbitro, vtriusque partis oratores Vacii primum, tum vero Posonii conuentum habuere: aderant ibi ex parte caesaris: *Ioannes* Leodiensis episcopus, et *Leonardus* Velsius Germanicarum *Ferdinandi* in Hungaria copiarum dux: pro *Ioanne* vero: Frater *Franciscus* de Frangepan Colocensis vna et Agriensis, *Ioannes* Statilius Transsiluanienſis, frater *Georgius* Martinusius Varadinensis, *Stephanus* Brodericus Vacienſis antistites, et *Stephanus* Verbötzius cancellarius: illis *Ferdinandus* die XXVIII. Octobris Viennae: his autem *Ioannes* Budae die XXX. Nouembris A. 1537. 1537
plenam agendi potestatem contulere (*a*).

§. IX.

Concordiae reges inter sancitae conditiones.

Postquam de praecipuis aemulos inter controuersiis Posonii exeunte A. C. 1537. transf. 1537
actum fuisset, Varadini demum pacis conditiones in XLII. capita digestae, ac XXIV. Februarii A. C. 1538. vtrinque signatae sunt, 1538
(*b*) nos praecipua earum dabimus: *Carolus* V. caesar, et *Ferdinandus* *Ioannem* Hungariae

(*a*) Wolfgangus de Bethlen lib. II. pag. 81.
(*b*) Wolfgangus de Bethlen lib. II. pag. 81. Annal. reg. Hung. ad h. a.

regis, ac fratris appellatione cohoneſtarent, communes haberent amicos, et hoſtes, mutuisque ſe ſe viribus tuerentur. *Ioannes* viciſſim ab initis contra Auſtriacos cum *Solimanno* foederibus recederet, Budam cum dimidia Hungaria, et partibus Tranſſiluanis vita comite poſſideret, coronalia bona, prouentusque regii camerarum ex aequo inter vtrumque regem diuiderentur: mortuo denique *Ioanne*, vniuerſum regnum ad *Ferdinandum* ſine mora rediret, ſi is moriens viduam reliquiſſet, haec patrimonio mariti, doteque ſua contenta viueret: filio ex coniugio hoc forte ſuperſtiti, eiusue poſteris nullum ad coronam Hungariae ius eſſet, niſi ſublata penitus domo Auſtriaca: huic nihilominus coniux daretur *Ferdinandi* filiarum aliqua, paterna item bona omnia, cum Scepuſii ducis titulo, ad heredes maſculos tranſitura; ſi abſque ſobole filius obiret, de dimidio patrimonio illi teſtari liceret, dimidium ad aerarium regium deuoluëretur. Haec fere ad reges ipſos, reliqua ad communem Hungariae tranquillitatem, et ſalutem pertinebant. Vnus toti regno praeeſſet palatinus, communibus vtriusque partis comitiorum ſuffragiis eligendus, ceteros regni baronatus reges ſinguli apud ſe pro arbitrio crearent. Illi, qui magiſtratus regni, praeſertim aerarium regium cum fraude adminiſtraſſe deprehenſi eſſent, ab alterutro rege citari, damnariue poſſint, bona inteſtini belli tempore iniuſte occupata ſuis redderentur dominis, deinceps autem nefas eſſet, ciuitates, ditionesque ſeu

vi,

vi, seu dolo sibi mutuo eripere. Denique *Ioannes* Turcarum vindictam pertimescens, negauit se puncta pacis huius promulgaturum, aut *Solimannum* aperte pro hoste declaraturum, quam postquam *Ferdinandus* eo numero, et apparatu exercitum collegerit, qui suis cum copiis coniunctus par videatur frangendae Turcarum potentiae: id quia *Ferdinandus* ob exhaustas Hungariae vires, et Germaniae religionis causa dissensiones praestare tum non potuit, *Zápolya* male sibi a *Solimanno* metuens a pace, vt conuentum fuit, promulganda ad obitum vsque abstinuit. Haec copiosius hic explicanda erant, vt clare intelligeretur iam nunc, quam inique actum sit ab illis proceribus, qui mortuo *Zápolya*, filium eius *Ioannem Sigismundum* regem eligere, ac *Ferdinandum* ab Hungariae totius occupatione excludere non sibi religioni duxerunt, tristissimarum, quae Hungariam duobus prope seculis postea afflixerunt, calamitatum autores. Ceterum vtilissima fuit ea concordia toti reipublicae Hungaricae: caedibus enim, et rapinis mutuis seuere interdictis, singuli sub illius, qui sibi sorte obtigerat, regis imperio vitae, rerumque suarum securi respirare coeperant. Religio etiam postliminio quasi reuixit, quod tum demum episcopi a regibus nominati, vacantium inde a clade Mohatsiana ecclesiarum possessionem tuto adierint, cum prius plerosque episcopatus profani homines, vt diximus, vsurpauerint.

§. X.

Ioannis regis connubium, et obitus.

Optatiſſima hac pace in ſolio Hungarico ſtabilitum *Ioannem* regem ad ineundum connubium hortabantur ii, qui *Ferdinandi* poſteros, vniuerſamque domum Auſtriacam a regno excluſam voluere, iamque tum praeuidebant, quanta lucra in communi perturbatione collecturi eſſent, ſi *Ioannes* herede augeretur. Quorum conſiliis victas demum ille dedit manus, ſponſamque ſibi delegit *Iſabellam*, *Sigismundi* Poloniarum regis ex Bonna Sfortia filiam. Inſcriptae illi ſunt dotis nomine innumerae arces, ac ciuitates Hungariae pro CXL. millibus aureorum cautionem daturae; (*a*) pactis nuptialibus ſolenni ritu terminatis,
1539 ſponſa regia A. C. 1539. in Hungariam deducta, ac ex ritu eccleſiae Catholicae *Ioanni* copulata, die XVI. Februarii dominica quinquageſimae, reginarum more Albaeregiae coronata fuit: quae coniunctio etſi *Ferdinando* futurorum malorum quaſi praeſago vehementer diſplicebat, vt tamen amicum ſe *Ioanni* oſtenderet, *Caſparem* Seredi ad cohoneſtandam eam ſolennitatem Albamregiam legatum miſerat. Ceterum *Ioannes* haud diu iuuenis ſponſae amoribus fruitus fuit: cum enim negotiorum publicorum cauſa in Tranſ-

(*a*) Tractatus matrimonii vide in Analectis Scepuſii parte I. pag. 165.

ſiluaniam A. 1540. diſceſſiſſet, lethalem ſibi 1540
conſciuit morbum, quo lente contabeſcens, poſtquam de *Ioanne Sigismundo* filio Budae die VII. Iulii in lucem edito nuncium accepiſſet, ſiue ob laetitiae magnitudinem, ſiue alia de cauſa aucta vi morbi, die XXVII. eiusdem menſis Szászſebesini viuere deſiit. Corpus Albamregiam ſubinde traductum, magna cum pompa regum tumulo illatum fuit, ſed quod quinquennio poſt per Turcas effoſſum, ac per ſummam inhumanitatem propalani abiectum, ſepulturae deinceps honore caruit(*a*). Erat *Ioannes* de Zápolya poſt *Samuelem*, et *Mathiam* Coruinum tertius, qui e magnatum regni ordine ad regiam apud Hungaros dignitatem eluctatus fuit: nec ingenio, nec conſilii vi, nec animi fortitudine, nec ceteris denique ſummo iis temporum rationibus in Hungaria imperanti neceſſariis dotibus praeditus: vt adeo, ſi etiam *Ferdinandus* integrum illi a morte *Ludouici* II. regis regnum reliquiſſet, numquam cum laude, et ſubditorum commodo imperaturus fuiſſet: quod paucis illis annis ſceptrum retinuerit, id non tam illius prudentiae, quam Turcarum viribus, et *Georgii* Martinuſii adminiſtri ſui conſiliis adſcribendum eſt. Fatali ſua cum Turcis ſocietate, calamitatum omnium, quae deinceps rupto quaſi aggere per bina prope ſecula Hungariam afflixerunt, reum ſe

(*a*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XIII.

fecit: primus item Tranſſiluaniae ab Hungaris ſeparandae occaſionem dedit. Catholicae religioni, in qua a teneris inſtitutus erat, ad obitum vſque addictus vixit.

§. XI.

Ioannis vltima voluntas, peſſimaque tutorum conſilia.

Exſtincto *Ioanne*, nil ſiue *Ferdinando*, ſeu patriae acceſſit commodi: cum vterum iam gerere ſenſiſſet reginam, *Martinuſii*, aliorumue domus Auſtriacae inimicorum conſilio
1540 inductus in comitiis aeſtate A. C. 1540. Tordae in Tranſſiluania celebratis, communi conſenſu perferri curauit, vt repudiata ſocietate Auſtriaca, porro etiam vetera cum Turcis foedera colerentur, ad quae renouanda deſtinatus fuit Bizantium F. *Martinuſius* cum ditiſſimis muneribus. Audita vero filii *Ioannis Sigismundi* natiuitate, vbi mortem ſibi inſtare animaduertit, tutores illi conſtituit: F. *Martinuſium*, *Petrum Petrouitſium*, et *Valentinum* Török ab Enning, quibus contra iurata pacta id diſerte in mandatis reliquit, vt a morte ſua, *Ferdinandum* regno excludere, filiumque ſuum ad ſolium euehere modis omnibus ſatagerent: illi, quae ſibi commiſſa erant, rite executi, vt primum iuſta funebria *Ioanni* perſoluta ſunt, continuo conſentien-

tibus Tranſſiluanis *Ioannem Sigismundum* infantem regem Hungariae proclamarunt, vtque matrem eo facilius ad ſententiam ſuam pertraherent, ſolenni ſenatusconſulto cauerunt: tutores quidem interea rempublicam curaturos, verum vbi primum puer adoleuiſſet, illam aequato cum filio imperio regnaturam; ſancitum ad haec, vt cuiusuis generis moneta, atque literae publicae, reginae vna, ac filii inſignibus, et nominibus ſignarentur; iidem hi triumviri certi, ne latum quidem vnguem *Ferdinando* cedere, *Stephanum* Verbötzium cancellarium cum *Ioanne* Eſzeki Quinqueeccleſiarum epiſcopo Bizantium oratores miſere, *Solimannum* precaturos, vt ne clientis a ſe tantis curis defenſi pupillum, quem ipſi iam in regno ſucceſſorem elegiſſent, patrocinio ſuo fouere, atque contra *Ferdinandum* tueri dedignaretur. Haec aduerſus ſolennia, ac vtriusque partis iuramento firmata pacta, aduerſus Hungariae ſalutem acta, vſque adeo multis cordatis viris diſplicuere, vt continuo multi ad *Ferdinandi* partes tranſierint: quos inter fuit F. *Franciſcus* de Frangepan Colocenſis archiepiſcopus, *Stephanus* Rátkai, *Franciſcus* Bebek, et *Petrus* de Perény (*a*). Atque ſic reſpirans iam Hungaria trium hominum ſcelere iterum in ruinam impulſa fuit, qui tamen ſinguli meritas perfidiae ſuae poenas non multo poſt dedere.

(*a*) De Bethlen lib. III. pag. 119.

§. XII.

Ferdinandi conatus irriti ad recuperandam ex pacto Hungariam.

Ferdinandus vt erat rara moderatione, et insigni humanitate praeditus, et tempus humando regio corpori Zápolyianis, et spatium lugendi mariti obitum *Isabellae* reginae reliquit, nil dubitans fore, vt ea omnia, quae solennibus tabulis comprehensa erant, vltro ab aduersa parte sibi cederentur. Diebus aliquot elapsis, cum nil nuncii Buda acciperet, *Nicolaum* comitem a Salm oratorem eo misit, maiorem in modum obtestans reginam, vt, quoniam sublato rege coniuge, nil siue ipsi, siue filio amplius iuris erat, sacrum regni diadema, Budam, reliquamque cum Transsiluanis partibus Hungariam sibi legitimo domino beneuole restitueret, ac quemadmodum
1538 pace A. 1538. tautum erat, ampliſſimo mariti patrimonio, bonis dotalitiis, ac insuper ducatu Scepusiensi contenta viuere, in animum induceret, secus sibi necessitatem impositum iri, iura sua armis vindicandi. Orabat praeterea reginam, ne se maleuolorum hominum consiliis induci pateretur ad implorandum Turcarum patrocinium, qui ea opportunitate certo certius abusuri essent, ad Hungariam penitus subiugandam: videret itaque, ne se calamitatum omnium, quas gens vniuersa perpessura erat, ream faceret. Haec vbi regina ex oratore intellexisset, minime alienum a concordia praesetulit animum, nil

tamen certi reſpondebat, quod, quo animo legationem a triumviris Bizantium miſſam *Solimannus* accepiſſet, adhuc ignoraret. At poſtquam inde nunciatum eſt, Sultanum viduae, et pupilli tutelam libenter admittere, prolixeque auxilia, ad ſtabiliendam *Ioanni Sigismundo* ſucceſſionem polliceri, aperte negauit, ſe quidquam ditionum a marito ſibi relictarum ceſſuram, armisque *Ferdinandi* ſuas, et Turcarum vires fortiter oppoſituram. Haec *Iſabella* regina non tam ex ſuo, quam F. *Martinuſii*, et, quod mirandum eſt, *Sigismundi* Poloniae regis conſilio *Ferdinando* tum renunciari curauit (*a*).

§. XIII.

Bellum ab eodem contra viduam improſpere geſtum.

Turpiter ſe a regina, eiusdemue miniſtris deluſum aegre ferens *Ferdinandus*, priusquam Turcarum auxilia in Hungariam aduenirent, bello fortunam experiri decreuit, ac eiusdem anni 1540. aeſtate *Leonardo* Velſio in mandatis dedit, vt Budam expugnare ſatageret: verum is imprudente prorſus conſilio longiore mora in Viſſegradi oppugnatione 1540

(*a*) Iouius lib. XXXIX. Bethlen lib. II.

extracta, nonniſi XX. Octobris Budam peruenit, paucisque poſt diebus, quod hyems imminebat, re infecta inde diſceſſit. Anno
1541 inſequente 1541. oppugnationem Budae inſtaurauit *Rogendorfius*, verum irrito tum etiam conatu, quod interea et nouis propugnaculis, et valido militum praeſidio arx egregie communita fuerit. Cum itaque vis non ſuccederet, *Franciſcus* de Reua copiarum Hungaricarum ductor, ad artes conuerſus, *Paulum* Bornemiſza de Arthand loci praetorem oblata illi per ſolennes tabulas arce ſua Szklabina, et Blatnitza, in partes ſuas clam traduxit: ſic autem eos inter conuenerat: vt portula prope aedem B. V. M. flumentanam ciuitatem verſus aperta relinqueretur, per quam *Reuaius* cum delecto milite Hungaro per noctis tenebras admiſſus, portam vrbis, quam Viennenſem dicimus, occuparet, eaque reſerata reliquis copiis aditum patefaceret. Id vbi *Rogendorfio* explicatum fuit, ſiue quod *Reuaii* fidem ſuſpectam haberet, ſiue futurae eius gloriae inuideret, ſtratagematis autorem cum Hungaris ſeuero imperio in caſtris remanere iuſſit, tum vero quatuor Germanorum cohortes ad conſtitutam portulam praemiſit, aditum tentaturas: intromiſſae eae ſunt, vt conuentum erat, at cum idiomatis Hungarici ignari milites, nec illius diei teſſeram militarem, nec modum progrediendi edoceri poſſent, ac idcirco nullo ordine quaquauerſum in vrbe oberrarent, ex veſtitu, voceque proditi, a praeſidiariis vndique concurrentibus circumdati, multis ſuorum amiſ-

fis, aegre demum per eamdem, qua venerant, portulam ſalutem repererunt. *Bornemiſza*, qui ſupplicii certo certius ſibi irrogandi metu ad caſtra euaſerat, adeo male rem actam dolente, *Reuaio* autem ob amiſſam ducis imprudentia tanti momenti victoriam frementе, Hungaris denique omnibus *Rogendorfium* amaro ſale traducentibus. Ex eo die orta duces inter in caſtris diſcordia, peſſime cedebant omnia; quibus cumulum adiecit clades in exitu accepta: a *Mahomete* enim Belgradi praefecto, qui valido cum exercitu obſeſſis auxilio venerat, maxima copiarum *Ferdinandi* pars, aut aquis Danubii hauſta, aut gladiis conciſa interiit, caſtra, et impedimenta omnia ſunt amiſſa. Dux ipſe copiarum, ex vulnere tum accepto, paucis poſt diebus Comaromii vitam clauſit (*a*).

§. XIV.

Solimannus inſigni aſtu Buda potitur.

Profligatis tam proſpere *Ferdinandi* copiis laeti *Zapolyiani*, incredibili cum ſtrepitu feſtos dies Budae egere: at inconſultam eam laetitiam mox interrupit *Solimanni* aduentus,

(*a*) Iſtuánfius lib. XIV. Petrus de Reua de monarchia, et de S. corona centuria VI.

et quae illic deinceps ab eodem acta referemus. Is audito *Ferdinandi* ad oppugnandam Budam apparatu, tanta celeritate longiſſimum Bizantio in Hungariam iter emenſus fuit, vt paucis poſt *Rogendorfii* diſceſſum diebus, in veteris Budae campis caſtra explicuerit: hic ante omnia *Mahometem* Belgradi praefectum, quod obſeſſis in tempore ſuppetias tulerit, maximis laudibus, et donis excoluit: tum vero, vt tironibus ſuis in Chriſtianos ſaeuiendi audaciam inſpiraret, *Ferdinandeos* omnes, qui oppugnationis tempore capti fuerant, eorumdem gladiis miſerandum in modum concidi curauit: abhinc arcanas cum purpuratis, de Hungaria ſub iugum mittenda, de reginae, eiusdemue filio conſulendi ratione, de Buda denique citra tumultum aſtu aliquo occupanda, deliberationes habuit: alioquin ſapienter praeuidebat, nullam vnquam Ottomannici in Hungaria dominatus ſtabiliendi occaſionem hac opportuniorem ſibi oblatum iri: poſtquam igitur haec omnia in ſecretiore ſenatu rite deſcripta, conſtitutaque fuerant, Budenſi arce ea, quam mox narraturi ſumus, ratione potitus fuit. Die XVI. Auguſti miſit *Solimannus* ad reginam legatos cum muneribus, qui eam vna, ac pupillum infantem ſalutarent, id vna gratiae loco viciſſim peterent, vt regius infans cum primoribus Budae tum praeſentibus in caſtra mitteretur, quo potentiſſimus imperator eum, cuius tuendi cauſa tantum iter confecerat, poſſet intueri. Expalluit ad inopinatam eam petitionem regina, ſed a *Martinuſio*, ne vel relu-

ctantem, vel benefactoris amicitiae diffidentem ſe oſtenderet, admonita, parituram ſe libenter legatis reſpondit: mittitur itaque in nutricum, et procerum F. *Martinuſii*, *Petri Petrouitſii*, *Valentini Török* ab Enning, *Stephani* Verbötzii, et *Vrbani* de Battyán comitatu regius princeps, benenoleque a *Solimanno* accipitur: non multo poſt, praeter *Solimanni* frugaliter admodum, et parce viuentis morem, copioſum, ac ſplendidum apponitur conuiuium, in multam poſtea noctem de induſtria protractum. Haec inter praetoriani Turcae ad id ante inſtructi, ſpecie videndae vrbis, per Sabbathinam, ſeu Viennenſem portam pauci primum nullo ordine ingrediuntur: alii ex his, quaſi curioſitati ſuae ſatisfactum eſſet, redeunt, pluresque iterum ſuccedunt, nemine e cuſtodibus maleficii aliquid metuente, ſic dum vltro, citroque commeando aliquot centuriae conueniſſent, exarmatis vigilibus Hungaris portam occupant, ſociosque ad decem millia in vrbem immittunt. Hi cum in foro in aciei formam diſpoſiti conſtitiſſent, *Solimanni* nomine promulgatum eſt, qui ſalui eſſe cuperent, arma ſua omnia Turcarum manibus conſignarent, cui edicto poſtquam omnes panico terrore correpti paruiſſent, valida manu ad portarum omnium cuſtodiam relicta, ceteri Turcae per domos ſingulas diſtributi ſunt. *Solimannus* accepto, de occupata ſine tumultu arce, nuncio laetus, proceribus, ne ſeditionem commouere poſſent, apud ſe retentis, regium infantem mul-

tis onuſtum muneribus ad matrem remiſit (*a*).

§. XV.

Illius cum ſuis deliberatio de Hungaria.

Ea re intellecta proceres attoniti, extremo metu perculſi ſunt, praeſertim vbi purpuratos poſita iam larua ſibi perfidiam exprobrantes, ac futuram deinceps ſeruitutem denunciantes audiere: praecipuus autem moeror ad *Iſabellam* reginam, quae domi remanſerat, pertinebat, audito enim captae vrbis nuncio, pene exanimata, non ſine lacrimis Turcarum tutelam deflebat, acerbe conqueſta de miniſtris, qui conſilio ſuo eam ab ineunda cum *Ferdinando* amicitia abductam, ad Turcicum foedus perduxerunt; die poſtero, vt ſe a luctu collegit, miſſo per internuncium libello ſupplice, orauit *Solimannum*, vt gratiae tam liberaliter antea promiſſae memor, liberam ſibi Budam relinqueret, proceresque, quorum conſilio continuo opus haberet, remitteret. Ea reginae petitio ſuauiter affecit gloriae cupidiſſimum *Solimanni* animum vſque adeo, vt licet Budam retinere, ceteramque Hungariam ſub iugum mittere antea decre-

(*a*) Iouius lib. XL.

uerit, rurſus tamen conſultationibus ea de re habendis dies quatuor impendi voluerit. Purpurati in duas fere abibant ſententias: *Ruſtanes* imperatoris gener miti vir ingenio negabat, gloriae id ceſſurum *Solimanno*, ſi pupillo, quem in tutelam receperat, regnum eriperet, ſuadebat igitur, Buda reſtituta, honoris potius, quam vtilitatis habendam eſſe rationem: at *Mahometes* Belgradi praefectus, qui geſtis ab adoleſcentia in Hungaria bellis, gentis indolem optime ſibi perſpectam eſſe aſſeuerabat, minime dignos eo fauore contendebat eſſe Hungaros: vbi primum imperator Buda diſceſſiſſet, futuros quam plurimos, qui facta ad *Ferdinandum* defectione, arma in Turcas conuertant: turpe item eſſe, vt Muſulmannorum Sultanus rem Chriſtianorum tam ſincero ſtudio, nullo imperii ſui commodo, procuret: quodſi etiam *Iſabella*, proceresque pupillo addicti in foedere Turcico perſeuerarent, *Ferdinandum* cum reliquis Hungaris non quieturum, dum eam regno eiiciat, aut certe neceſſe futurum, vt potentiſſimus imperator in vnius feminae pl.antis, et pueri vagientis gratiam, inſanum Bizantio Budam vſque iter annis ſingulis relegat: ad haec omnia incommoda vno velut ictu praecidenda, ſuadebat vir barbarus, vt, *Iſabella* ad *Sigismundum* parentem in Poloniam remiſſa, *Ioanne Sigismundo* filio Conſtantinopolim abducto, Hungaria in prouinciae formam redigeretur, vt autem ſecurior eſſet regni poſſeſſio, illud ſibi imprimis neceſſarium videri, vt magnates omnes, et quotquot ob

ſtirpis ſuae antiquitatem excelſae viderentur inter Hungaros indolis, necarentur, nobilium vero bona poſſidentium familiae in Aſiam traducerentur, ſola plebe ad colendos agros in Hungaria relicta, vrbes aliquot ſitu opportunas et moenibus, et copioſo milite muniendas monebat, ceteras autem arces, ne cuiquam receptaculo eſſent, ſolo aequandas, denique conſtituendum Budae praefectum, qui rem politicam aeque, ac militarem legibus Turcicis procuraret, quibus quid ad exſtinguendum nomen Hungaricum accommodatius, atrociusue dici, aut cogitari potuit? et tamen vtcumque ſyſtema hoc deinceps a Turcis obſeruatum fuit: vnde tot vetuſtarum familiarum interitus ex parte repetendus eſt.

§. XVI.

Iſabella cum pupillo Buda in Tranſſiluaniam relegatur.

His magna contentione in vtramque partem diſputatis, *Solimannus* ita demum imperii ſui vtilitatem quaerendam putauit, vt ne gloriae, quam inſigni clementia ſibi hactenus comparaſſe videbatur, iacturam pateretur. Itaque XX. Auguſti arcem ingreſſus, in aede B. V. Mariae, Mahometano prius ritu initiata, peractis patrio more religionibus, monet reginam, vt ex vrbe, Turcico deinceps cuſtodienda praeſidio, diſcederet, Tibiſcanae Hunga-

riae, et Tranſſiluanis partibus imperatura, ſolenni tamen iureiurando, et diplomate pollicitus, ſe Budam *Ioanni Sigismundo*, vbi primum adoleuerit, redditurum. Proceres deinde libertati reſtituit, retento in vinculis, incertum qua de cauſa, *Valentino* Török ab Enning, qui decennio poſt Bizantii in carcere obiit. Eodem die *Hieronymum* Laskium, qui deſerto *Ioanne* rege ad *Ferdinandum* defecerat, ac huius nomine orator eodem anno Bizantium miſſus erat, e vinculis, quibus toto itinere conſtrictus ducebatur, exemtum libere abire ſiuit, pace tamen, quam ille petebat, denegata. *Iſabella* non ſine lacrimis, et gemitu Ottomannicam accuſans perfidiam, durae neceſſitati paruit, gazaque diuite ſecum ablata XXVI. Auguſti A. C. 1541. iter cum pupillo in Tranſſiluaniam iniit. 1541
Abiere vna F. *Martinuſius*, et *Petrus* Petrouitſius pupilli tutores, ſed triſtes, futurorumque exſpectatione ſuſpenſi (*a*). Sic princeps illa regni Hungarici vrbs, tot regum incolatu conſecrata, perfidorum hominum ſcelere in Turcicam delapſa fuit ſeruitutem, CXLV. annis alieno ſub iugo gemitura.

(*a*) Bethlen lib. III.

§. XVII.

Solimannus magnam Hungariae partem ſubiugat.

Solimannus interea dies adhuc non paucos rebus ordinandis Budae inſumſit, Chriſtianis ciuibus, qui in vrbe remanſerant, praetorem conſtituit *Stephanum* Verbötzium antea regni cancellarium, qui multas a Turcis perpeſſus iniurias, eodem adhuc anno contracto ex moerore animi morbo in Catholica religione ad extremum vſque ſpiritum conſtans obiit (*a*), Budam denique X. millibus Ianitſarorum firmatam *Solimanni* Baſſae fidei, ac fortitudini tuendam commiſit; coepit mox Hungaria omnis ſentire triſtiſſimos clientelae Ottomannicae fructus: cum enim *Ferdinandus* nec per *Laskium*, nec per *Nicolaum* a Salm oratorem pacem a *Solimanno* impetrare potuiſſet, continuum deinceps feralis belli theatrum euaſit Hungaria: praeter quotidianas populationes, hominum, pecorumque abactiones per Budenſes Turcas exercitas, triennio poſt, *Solimannus* iterum in Hungariam redux, Valpone, Siklofino, Quinqueeccleſiis, ac Strigonio potitus, Albam etiam deditione accepit, ſenatoribus, et primoribus ciuitatis omnibus, contra datam fidem, interfectis: ſubſequentibus

(*a*) De Verböţzii fatis vide Cl. Wallaſzky diſſertationem.

tibus autem annis Temeſia, Lippa, Viſſegradum, Neogradum, innumeraeque aliae arces Turcarum iugum ſubiere : ſic creſcente in dies *Solimanni* dominatu, nil fere *Ferdinando* reliquum fuit, praeter aliquot vicinos Auſtriae, Styriaeque comitatus, et montanas ſuperioris Hungariae partes, cum non magna Illyrici portione. Dalmatiam enim Veneti, ac Turcae inter ſe diuiſerant, Tranſſiluaniam vero ad Tibiſcum vſque *Iſabella* obtinebat. Cum itaque vehementer diminutae iam domi eſſent vires, nec a Germania ciuilibus diſcordiis flagrante idonea ſubmitterentur ſubſidia, Turcae ex Hungaria profligari amplius non poterant: vt adeo tacitè iam damnarent conſilia ſua illi ipſi, qui, ne clementiſſimo *Ferdinandi* imperio ſubiicerentur, Turcas in auxilium euocauerant.

§. XVIII.

Ferdinandi conatus ad recuperandam Tranſſiluaniam.

Poſt multa cum ſuis agitata conſilia, *Ferdinandus* hanc vnam Turcas e regno eiiciendi inueniebat viam, ſi *Iſabella* regina quibuscumque demum pactis induceretur, ad reſignandam ſibi reliquam Hungariam cum Tranſſiluania: ſic enim vnitis iterum totius gentis viribus, ſi exterorum principum auxilia accederent, optati ſucceſſus ſpes non modica ap-

parebat: quia vero vnum F. *Martinuſium* cuncta pro arbitrio ſuo moderari non ignorabat,
1548 iam A. C. 1548. hominem ſibi conciliare ſtuduit opera *Alberti* de Peregi: mox anno inſequente apertius iam agendum ratus, per *Nicolaum* comitem a Salm et *Sigismundum* baronem ab Herberſtein, vacantem tum per *Pauli* de Varda obitum Strigonienſem eccleſiam, et cardinalitium galerum eidem offerri curauit. *Martinuſius* non tam fortaſſe geminae illius dignitatis fulgore, quam patriae, conſiliis ſuis in exitium praecipitatae, rurſus erigendae deſiderio captus, ſincero animo pollicitus fuit, ſe nil operae, ac induſtriae omiſſurum, quo Tranſſiluanos primum proceres, tum vero *Iſabellam* ad *Ferdinandi* vota flecteret: id vnum orabat, vt aliquo praetextu excogitato *Caſtaldus* bellidux valido cum exercitu in limitibus Hungariae collocaretur, ſibi vltimam tragoediae ſcenam acturo auxilio futurus; neque fidem datam fefellit, vt poſtea narrabitur, *Martinuſius*; haec clam agitata vbi ad *Petrouitſii* aures peruenere, vt erat omnis Germanicae ſocietatis oſor, autor fuit *Iſabellae*, vt *Martinuſium* cunctis aulae muneribus, ac praeſertim aerarii publici praefectura deiiceret, ſimul autem coniuratione tota Bizantium nunciata, *Solimanni* patrocinium imploraret. *Martinuſius* cognitis reginae conſiliis, vt erat expedito arduis in rebus ingenio, rem iam proditam propalam deinceps agere, accelerareque conſtituit, priusquam Turcarum auxilia poſſent adeſſe. Ante omnia praetorianam militiam

nouis Siculorum, ſtipendio publico autoratorum, ſupplementis vltra modum auxit, quorum in ſe fide, ac virtute tutus, non modo impotentis reginae minas omnes riſit, verum etiam A. C. 1550. Budenſem praefectum, *Solimanni* iuſſu in Tranſſiluaniam delecta cum manu properantem, internecione deleuit. Indictis poſtea autoritate ſua Maroſuásárhelyinum comitiis, *Martinuſius* tanto rationum pondere, et eloquentiae vi calamitates e Turcica tutela hactenus ortas, ac deinceps ſecuturas ob oculos omnium poſuit, vt plerosque in Turcas odio, ſinceroque in *Ferdinandum* ſtudio compleuerit. Communia ordinum regni vota vbi intellexit *Iſabella*, pronam ad reſignandum honeſtis conditionibus *Ferdinando* regnum declarauit voluntatem, verum a *Petrouitſio* iterum in tranſuerſum acta eo proceſſit, vt paucorum conuentu Enyedini celebrato, *Martinuſium* perduellem, hoſtemque reipublicae pronunciauerit; at enim et tunc vanae fuere ſine viribus irae: poſtquam enim Albam Iuliam, vbi gaza omnis regia aſſeruabatur, per *Martinuſium* oppugnari, ac *Caſtaldum* inſuper magno cum exercitu in Tranſſiluaniam irrupiſſe audiit, metu correpta, vltro in gratiam rediit cum *Martinuſio*, ſortemque ſuam eiusdem arbitrio permiſit. 1550

§. XIX.

Conditiones, quibus Tranſſiluania S. coronae reſtituta.

Ea re cognita, qui in proximo erant, *Ferdinandi* legati: *Thomas* de Nádasd iudex curiae, *Andreas* de Báthor capitaneus generalis militiae Hungaricae, *Sigismundus* B. ab
1551 Herberſtein, et *Caſtaldus* ineunte A. C. 1551. Száſzsebeſini *Iſabellam* regis ſui nomine adiere, concordiaeque a *Ferdinando* propoſitae capita explicuere, eorum haec fere ſumma fuit: *Iſabella* ſacrum regni Hungarici diadema legatorum manibus conſignaret, Tranſſiluaniam, Hungariamque Tibiſcanam cum praeſidiis omnibus bona fide reſtitueret, omni
1538 denique in regnum iuri ex pactis A. C. 1538. initis renunciaret: ex aduerſo *Ferdinandus* offerebat dotis CXL. millibus florenorum aeſtimatae loco, centum mille aureos cum Oppolienſi in Sileſia ducatu, ac totum inſuper patrimonium Zápolyianum, pollicitus vna ſe *Ioanni Sigismundo* filio, vbi adoleuerit, filiam ſuam archiducem *Ioannam* coniugem daturum. Haec poſtquam *Iſabella* regina poſt maturam trium dierum deliberationem probauiſſet, comitia regni Claudiopolim indicta ſunt: vbi conſentientibus proceribus in aede D. *Michaelis* poſt miſſarum ſolennia, data, et accepta vtrinque iurata fide, S. coronam, et ad eam ſpectantia clenodia *Nádasdii*, et *Báthorii* manibus tradidit regina, vt autem, quam inuito id animo faceret, propalam de-

clararet, tradendum inter non ſine muliebri gemitu vaticinata fuit, ſacro illo diademate numquam deinceps Hungarum coronatum iri. Nuptialia porro pacta poſtridie in eccleſia Kolosmonoſtorienſi ſunt ſignata. Atque hoc tempore, ac ſerius etiam, *Iſabella* vrgebat *Ferdinandum*, vt *Ioannem Sigismundum* futurum olim generum Viennam deferri curaret, apud ſe educandum. Nil hoc conſilio opportunius cogitari poterat; quamdiu enim *Zápolyae* filius in *Ferdinandi* tutelâ, ac poteſtate fuiſſet, nullam ſeu regina mater regnum repetendi, ſeu Tranſſiluani res nouas moliendi habuiſſent cauſam, *Solimanno* denique omnis bellum mouendi praetextus fuiſſet ablatus: at *Ferdinandus*, ſiue quod inuiſi ſibi hominis filium odiſſet, ſeu potior miniſtrorum pars id diſſuaderet, induci nulla ratione potuit, vt pueri principis curam ſuſciperet, damno ſuo poſtea edoctus, peſſime ſe tum rebus ſuis conſuluiſſe (*a*). Subſcripta hunc in modum pace, *Iſabella* cum pupillo Caſſouiam primum deceſſit: vbi acceptis ex pacto centies mille aureis, Oppoliam ſe contulit A.C.1551. At cum ducatus totius reddi- 1551
tus, annuos XII. mille aureos minime aequarent, ac aedes inſuper vetuſtate pene collapſae, vix tuto incoli poſſent, in Poloniam indignabunda receſſit: vbi fratris *Sigismundi* regis, et matris *Bonnae* reginae liberalitate,

(*a*) Bethlen libro IV.

Panocienſi, Crepicienſi, et Wieluñenſi ditionibus donata, partim Cracouiae, et Varſauiae, partim Lembergae inquietam agebat vitam; *Ferdinandus* autem vt *Martinuſio* pro re vtiliter geſta gratiam referret, eumdem vicaria poteſtate Tranſſiluaniae praefecit, addito *Caſtaldo*, qui caeſarearum illic copiarum curam gereret, quin tamen in politicam reipublicae adminiſtrationem ſe ſe vllatenus immiſceret: quod vtinam *Caſtaldus* poſtea obſeruare voluiſſet.

§. XX.

Caſtaldi belliducis cum F. Martinuſio ſimultates.

Ceterum nec *Martinuſio* fauſtus fuit magiſtratus, nec *Ferdinando* diuturna Tranſſiluaniae poſſeſſio; malum omne profluxit e priuatis ſimultatibus, quas *Caſtaldus* cum *Martinuſio* exercebat: hic, quod et Turcarum ad Tranſſiluanos ab Hungaris ſeiungendos molimina, et gentis indolem quam optime perſpectam haberet, moderate admodum, et caute rempublicam gubernabat, ſuoque conſilio cuncta agebat, quin aut conſuleret *Caſtaldum*, aut factorum rationem ei vnquam redderet, effecit autem prudentia ſua, vt ii etiam, qui alienos prius animos gerebant a *Ferdinando*, quietem colerent. *Caſtaldus* ex aduerſo parem, quin et ſuperiorem affectans autoritatem, pariter imperare cupiebat, ac,

vt erat vir militaris, atque politicarum artium rudis, ſummo iure vti, mandata ad prouinciales per ſe ipſum expedire, tributa deſcribere non vna vice attentabat, *Martinuſio* conſtanter repugnante: gliſcenti iam incendio oleum aeſtate eiusdem A. C. 1551. affuſum fuit; *Solimannus* de reſignato per *Iſabellam* regno per miſſos a *Petro* Petrouitſio nuncios edoctus, irarum in *Martinuſium* plenus, Belgradenſi, et Budenſi praefectis ſeuera mandata miſerat, vt collectis, quam poſſent, maximis copiis ad eiiciendos e Tranſſiluania *Ferdinandeos* properarent. Id vbi ad *Caſtaldi* aures peruenisſet, nulla habita prius de modo bellum prohibendi cum *Martinuſio* conſultatione, non modo caeſareas copias in vicina Hungaria ſtatiua habentes in Tranſſiluaniam attraxit, verum etiam miſſis ad omnes regni ordines literis noua militum ſupplementa, ac inſurrectionem, vt aiunt, imperauit. *Martinuſius* id aduerſus autoritatem ſuam actum aegre ferens, contraria illico ad prouinciales mandata expediuit, queis vetuit quemquam iniuſſu ſuo arma capere: quae res vſque adeo *Caſtaldum* irritauit, vt grauiſſimis accuſationibus Viennam tranſmiſſis eumdem *Ferdinando* ſuſpectum reddere ſit conatus, nec dubitarit affirmare, *Martinuſio* ſuperſtite, Tranſſiluaniam numquam in fide caeſaris conſtantem futuram. Haec *Caſtaldi* denunciatio non mediocriter perculit *Ferdinandum*, qui habito cum ſuis conſilio id demum *Caſtaldo* reſcripſit, vt illud de *Martinuſio* conſtitueret, quod communi ſa-

1551

luti vtilius futurum existimaret ; quo haud obscure potestatem illi faciebat hominem necandi , si proditionis reum certo comperisset. Quamquam ex eo, quod diximus, facto nec fraus, nec perfidia adhuc colligi poterat: paucis enim post diebus *Martinusius* habito cum regni primoribus consilio, nouos militum delectus decreuit, eo successu, vt breui tempore *Castaldi* ipsius opinione, et exspectatione maiores copiae confluxerint, vnitis cum caesareo exercitu viribus contra Turcas pugnaturae. Habita cum belliducibus deliberatione placuit Lippam arcem in Temesiensi comitatu ad Marusium amnem sitam, ac nuperrime a Belgradensi praefecto occupatam oppugnare, quae etiam
1551 die IV. Nouembris A. C. 1551. vndique circumuallari coepit.

§. XXI.

Martinusii caedes.

Suprema haec fuit *Martinusii* expeditio: oppido armata manu expugnato, Turcae, qui in arcem se receperant, desperatis suppetiis, candidis vexillis expositis deditionem offerebant, si sibi abeundi libertas daretur: hanc aperte negandam, *Vlamanem*que praefectum suis cum praesidiariis in captiuitatem redigendum censuit *Castaldus*; mitius e contra cum victis agendum putauit *Martinusius*, vtque aliquo clementiae in Turcas argumento iratum sibi *Solimannum* placaret, non modo

liberos ex arce dimiſit omnes, verum etiam aliquot e fidiſſimis ſuorum cohortes addidit, qui eos a *Caſtaldi* militum vi in itinere tuerentur. Hac in Turcas beneuolentia vltra modum offenſus *Caſtaldus*, paulo grauioribus non multo poſt agitari coepit ſuſpicionibus, poſtquam *Martinuſius* vetuit, ne vniuerſus miles caeſareus in hyberna per Tranſſiluaniam diſtribueretur, quod metuere ſe diceret, ne primo ſtatim recuperatae prouinciae anno, incolae tot copiarum alendarum onere grauati, *Ferdinandi* imperium faſtidire inciperent. At *Caſtaldus* multo aliter rem interpretatus, pro certo ſibi perſuaſerat id agere *Martinuſium*, vt excluſo milite caeſareo eo tutius res nouas moliri, regnumque *Solimanni* tutelae rurſus reſignare poſſet. Nil itaque iam de proditione dubitans, necem homini clam inferre decreuit, cuius haec fuit opportunitas: expugnata Lippa cum in Tranſſiluaniam regrediuntur praecipui belliduces, *Martinuſius* accepto, de decreta iam ſibi a *Iulio* II. papa Romana purpura nuncio laetus, ſuique ſecurus, *Caſtaldum* ad ſe Aluintzium deduxit, ac honoris cauſa in nobiliore aedium parte collocauit. Nocte tranquille exacta, *Marcus* Antonius caedis miniſter *Martinuſii*, tum officium diuinum recitantis, conclaue ſubit, oratque, vt commendatitias, quas a *Caſtaldo* ad *Ferdinandum* obtinuerat, literas ſuo pariter calculo roboraret: ille nil doli metuens, arrepta ſine mora penna, animum, oculos, manumque ad ſcribendum intendit: cum ecce *Marcus* educta, quam ſub

veſte occuluerat, ſica geminam ei infligit plagam, alteram in iugulo, in ſummo pectore alteram: eo ſtrepitu, et clamore exciti accurrunt ſocii, humique proſtratum multis vulneribus trucidant: neque *Martinuſii* ephebo puero pone adſtanti parcitum: caedes haec
1551 patrata fuit eodem anno 1551. die XVII. Decembris. Occiſi theſauros plane regios, argentique, et auri cuſi, ac incuſi vim incredibilem *Caſtaldus* occupauit, partimque in ſuos vſus, partim in militum ſtipendia conuertit, praeter id, quod quisque priuatim rapuerat. Corpus occiſi antiſtitis illic relictum, ac ſeptuaginta ipſos dies inſepultum, Albenſes demum canonici ad eccleſiam ſuam tranſtulere: caedis porro miniſtri omnes, vt poſtea obſeruatum fuit, violento mortis genere interiere (*a*). *Ferdinandus*, quo ſe coram domeſticis aeque, ac exteris purgaret, geminis literis *Martinuſii* perfidiae, et proditionis argumenta complexus, iure caeſum pronunciauit (*b*). Erat *Georgius* Martinuſius ingenio, prudentia, negotiorumque tractandorum dexteritate ſummis aeuo ſuo miniſtris comparandus, vt *Ferdinandus* crebro diceret, nil ſe prorſus *Ioanni* Zápolyae regi inuidere, quam vnum cucullatum, qui galeatis decem millibus potior eſſet (*c*): fuit ad aras

(*a*) Iſtuánfi lib. XVII. Bethlen lib. IV.
(*b*) Bethlen loc. cit. Annal. reg. Hung. ad h. a. et ſequ.
(*c*) Iouius lib. XXXIX. Iſtuánfius lib. cit.

ſacerdos pius, ſtrenuus dux in caſtris, in aula ſagax, et indefeſſus miniſter, quae tria ita copulaſſe fertur, vt ſingulorum officii partes quam cumulatiſſime expleuerit. Hunc exitum fortaſſe a Diuina Nemeſi promeritus, quod per tutelam Turcicam tot mortalium millibus calamitatem conſciuerit (*a*).

§. XXII.

Tranſſiluanorum a Ferdinando ſeceſſio.

Martinuſii caedes paulo grauiores apud Tranſſiluanos exciuit motus: illi etiam, qui eius potentiam antea oderant, aegerrime tulerunt, virum tot nominibus illuſtrem S.R.E. cardinalem, et electum regni Hungariae primatem, cuius induſtriae debebatur nuperna Tranſſiluaniae cum Hungaris coniunctio, vnius hominis, eiusdemque gloriae aemuli arbitrio permiſſum, nulloque ſeruato iuris ordine, nec accuſatum, nec conuictum, fuiſſe necatum: verebantur inſuper, ne *Caſtaldus* conſimili ſeueritate in cereros regni primores vteretur, quem metum augebat inconſulta illius cum prouincialibus agendi ratio; quamuis enim *Ferdinandus* veteri gubernandi

(*a*) Eius vitam Pariſiis A. C. 1715. editam habes. Hiſtorie du Miniſtere du C. Martinuſius.

1552 ratione reſtituta, A.C. 1552. Wayuodam nominauerit *Andream* Báthori de Somlyó (*a*) huicque ob ſiniſtram valetudinem magiſtratu cedenti, ſuffecerit *Stephanum* Dobó de Ruſzka, et *Franciſcum* Kendi de Szentiuány, prohiberi tamen non potuit, quin *Caſtaldus* in omnes ſe ſe adminiſtrationis politicae partes violente ingereret. Cetera inter, prouinciam bellis ſuperioribus exhauſtam, tum fame, ac peſte denique afflictam, et copioſi militis alendi onere, et immoderatis autoritate ſua impoſitis vectigalibus diuexare non deſinebat: cui malo acceſſit intoleranda ſane licentia militi in ſtatiuis, et hybernis conceſſa, qui contra, quam piiſſimus caeſar praeceperat, ſtipendio ſuo non contentus, rapinas velut in hoſtico exercere, matronas, et virgines foedare, conuiciis, verberibus, ac omni iniuriarum genere miſeros incolas afficere in more habuit (*b*): qui de his coram *Caſtaldo*, ceterisque ducibus conqueri, gentis immunitates, legumque ſanctiones obtendere auſus erat, continuo refractarius, rebellisque pronunciatus fuit: quibus, aliisque prope quadriennio toleratis, adeo praecipuorum animi a *Ferdinandi* regimine alienati ſunt, vt de reuocanda ad regnum *Iſabella* deliberare coe-

(*a*) Beehlen lib. IV. pag. 181. Annales reg. Hung. ad h. a.

(*b*) Confer. Iſtuánffi lib. XVII. ac Decreta comitiorum A. 1553. art. V. A. 1554. art. II. IV. V. paſſimque alia.

perint. Ita nempe optimi etiam principes prouinciarum amittendarum diſcrimen adeunt, dum conſtituti ab eis magiſtratus aduerſus omnes prudentiae, humanitatis, ac iuſtitiae leges crudeliter diuexant ſubditos, quos principio praeſertim mitiſſime habere, lentisque paſſibus nouo iugo aſſuefacere oporteret, deſperata meliore fortuna, irritati animi facile ad res nouas moliendas excitantur, praeſertim ſi potentior adſit vicinus, qui perduellium conatus adiuuare et velit, et poſſit. Atque iſtud erat, quod Tranſſiluanorum ſeceſſionem accelerauit: vbi *Petrus* Petrouitſius, cui intima erat cum Turcis coniunctio, illos certos reddidit, *Solimannum* nullis ſumtibus parciturum, quo eiectis e Tranſſiluania *Ferdinandeis Iſabella* iterum rerum potiatur.

§. XXIII.

Iſabella regno reſtituta.

Neque aliter ſe res habuit. Turcae enim dudum id iam in arcano ſuo conſilio conſtituerant, vt vires omnes intenderentur ad Tranſſiluanos ab Hungaris ſeparandos, fouendasque conſtanter inter vtrosque populos ſimultates: quare poſtquam *Solimannus* de Tranſſiluaniae motibus ex *Petrouitſio* edoctus fuiſſet, *Ferdinandi* legato inducias

tum petenti citra ambages reſpondit: eas confieri non poſſe, niſi Tranſſiluania *Iſabellae* reſtitueretur; miſſo adhaec in Tranſſiluaniam internuncio, excidium toti regno comminatus fuit, niſi viduam reginam cum pupillo reuocarent: quibus minis conterriti primores, miſſis Viennam nunciis, orauere *Ferdinandum*, vt vel tantas copias in Tranſſiluaniam ocius tranſmitteret, quibus a Turcarum vi ſe tuerentur, vel, ſi id nequiret, communis ſalutis cauſa, poteſtatem faceret, ad *Iſabellam* deficiendi; verum ſera iam fuere haec conſilia: *Petrouitſius* enim collecto e ſeditioſis exercitu, ſparſo vbique terrore, pleroſque iam vel inuitos ad partes ſuas traduxerat, comitiaque numeroſo milite ſtipata conuocauerat. in quibus decreta reginae reductione, miſſus fuit in Poloniam *Franciſcus* Kendi, adiuncto ſibi *Solimanni* internuncio, per quos in Tranſſiluaniam reuocata *Iſabella*, XXII. Octobris
1556 A.C. 1556. priſtinum ſolium recuperauit, nemine ob ſuperiores aduerſae factionis vires reſiſtere auſo (*a*). Quid ageret *Ferdinandus* in tam difficili rerum ſuarum poſitu, nec vires, nec tempus erat amplius, res collapſas reſtituendi, ſed neque irritandus videbatur *Solimannus*, extrema prius omnia experiri paratus, quam vt Tranſſiluaniam vno ſub rege cum Hungaria vniri pateretur. Itaque tempori cedendum ratus, ordines Tranſſiluaniae a praeſtito ſibi prius fidelitatis iuramen-

(*a*) Bethlen lib. IV. a pag. 202.

to abſoluit, praeſidiisque omnibus *Iſabellae* reſignari iuſſis, copias ſuas omnes e Tranſſiluania educi imperauit.

§. XXIV.

Eius obitus, et memoria.

Iſabella regina ſceptrum adepta, quadriennio, quo imperauit, multa imprudentiae, et crudelitatis edidit ſpecimina: perpetuis enim de amittendo regno timoribus agitata, quos ſiniſtro in ſe animo eſſe ſuſpicata fuit, per immiſſos clam ſicarios e medio ſuſtulit. Inter ceteros ipſum etiam *Petrum* Petrouitſium praecipuum partium ſuarum vindicem neci deſtinauit, atque eo ipſo tempore, quo ille paulo grauius aegrotans ac reginae conſiliorum ignarus, condito ſolenni teſtamento, *Iſabellam* cum pupillo rerum ſuarum omnium heredem inſtituebat, cui etiam negotio aetate, ac morbis fractus paulo poſt immortuus, paratum ſibi ſupplicium euitauit. Crudeli hac agendi ratione exaſperatos non paucos, cum res nouas molituros non ex vano ominaretur, miſſo ad *Ferdinandum* nuncio, de reddenda illis, quibus ante, conditionibus Tranſſiluania paciſci coepit, qua in re cum aula Viennenſis Turcarum potentiam verita, difficiliorem ſe praeberet, illa die XV. Septembris A. C. 1560. vitam clauſit Albae Iuliae, ibi- 1560
dem in aede cathedrali ſepulta, ac a nemine

fere deplorata. Vt cetera mulieris ambitioſae vitia praetereamus, illud ad infamiam ſatis eſt, quod *Ioannem Sigismundum* filium conſtanter in gynecaeo velut carcere quodam clauſum, nullis ſeu morum, ſeu diſciplinarum, ſeu denique auitae religionis praeceptionibus imbui permiſerit, ac praeterea *Blandratam* medicum ei moderatorem dederit, qui nulla imbutum religione principem vnitarium effecit, ſectaeque ſuae apud Tranſſiluanos liberius propagandae ſtudio abreptus, ſaluberrimum illud Tranſſiluanos cum Hungaris vniendi conſilium penitus poſtea euertit. Haec de rebus Tranſſiluanicis fuſius commemorari oportuit, quod ex huius regni diuiſione mala deinceps omnia profluxerint, nec prius reges noſtri Hungaris ſecure imperare potuerint, quam poſtquam Tranſſiluania ad S. coronae obſequium poſtliminio reuocata fuit.

§. XXV.

Pax cum Solimanno inita.

Hunc in modum ſpe ſua deluſus *Ferdinandus* cum ſiniſtra plerumque fortuna bellum geri videret, vt id, quod a Turcarum rabie reliquum adhuc erat, conſeruaret, pacem a *Solimanno* petiit, ac aegre demum in octen-
1562 nium duraturas A. C. 1562. impetrauit indu-
cias,

cias, Turcis ea omnia, quae interea occùparant, ſunt relicta, *Ioanni Sigismundo, Iſabellae* filio, Tranſſiluaniae, ac partium Hungariae Caſſouiam vſque poſſeſſio ſtabilita, *Ferdinandus* autem a cetera Hungaria annuum XXX. mille aureorum tributum Bizantium mittere coactus (*a*). En quorſum vetus regni Hungarici gloria decidit, vt ei genti, quam toties debellauerat, fieret tributarium, cuius calamitatis, et infamiae cauſas ex iis, quae ſuis locis narrauimus, ſagaciores facile intelligent.

§. XXVI.

Ferdinandi curae de ſucceſſore conſtituendo.

Dum de pace diſceptabatur Bizantii, *Ferdinandus* principio anni 1562. praecipuos re- 1562
gni barones Viennam exciuit, pro munere prouidi principis, ac patris poſtulans, vt primogenitum filium ſuum *Maximilianum* futurum ceterorum regnorum heredem, ſe adhuc viuente, regem Hungariae inaugurarent. Erat tum regni palatinus *Thomas* de Nádasd, poſt elapſos inde a morte *Báthorii* annos XIX. ad multas ordinum preces A. C. 1554. in comitiis Poſonienſibus creatus. Hic 1554
igitur loqui exorſus, negabat noui regis electionem, et inaugurationem a ſolis ma-

(*a*) Iſtuánfi lib. XXI. pag. 260.

gnatum ſuffragiis pendere, generalibus regni comitiis, omniumque ſtatuum conſenſu ad id opus eſſe, cumque aulae adminiſtri contenderent id minime iam requiri, poſtquam regni Hungarici corona Auſtriacae domui hereditaria facta eſt, repoſuit palatinus, certam quidem eſſe Auſtriacis principibus in regno ſucceſſionem ex ſolennibus pactis *Maximilianum* inter imperatorem, et *Vladislaum*
1491 Hungariae regem A.C. 1491. initis, iisdem nihilominus in tabulis relictam genti Hungarae libertatem, illum ſibi auguſta e domo eligendi, qui prae ceteris magis idoneus videretur, nulla habita primogeniturae ratione (*a*). Atque iſtud eo ſpectabat, vt palatinus, aliiue eiusdem ſententiae proceres ſecundogenito caeſaris filio archiduci *Ferdinando* viam ad ſolium Hungaricum praepararent, idque cum propterea, quod is bellicae virtutis laude, et inſigni in Hungaros humanitate multorum ſibi ſtudia demeruerit, tum vero, quod vererentur, ne, ſi *Maximilianus* iam Romanorum rex Hungaria potiretur, exemplo patris ſui perpetuo extra regnum in Germania degeret, alioquin praecipuam ſiniſtri bello, paceque ſucceſſus, Tranſſiluanorum item ab Hungaria diuiſionis cauſam exiſtimabant plerique, continuam *Ferdinandi* a regno abſentiam, ac idcirco ſingulis in comitiis preces iterabant, vt aliqua ſaltem an-

(*a*) Recole hic ea, quae in rebus Vladislai II. commemorauimus.

ni parte domicilium in Hungaria figeret. Ex his itaque cauſis, cum caeſar videret, proniores Hungarorum animos in archiducem *Ferdinandum*, quam in *Maximilianum*, quem iam vniuerſis in ditionibus ſucceſſorem conſtituerat, grauiter indignatus, ſoluto Viennenſi conuentu, deliberationem omnem abrupit.

§. XXVII.

Maximilianus primogenitus in regem Hungariae inauguratur.

Mortuo interea eodem adhuc anno 1562. IV. Maii *Thoma* de Nádasd, aulae caeſareae adminiſtri autores fuere caeſari, vt palatini dignitatem, cui ſumma vtramuis in partem inerat autoritas, aut ſupprimeret, aut certe, quemadmodum poſt *Stephani* de Báthor obitum fecerat, pluribus annis diſſimularet, conſtituto interea locumtenente regio, qui palatini etiam vices obiret. Qua in re exemplo praeiuerat *Mathias* Coruinus, cum *Emerico* de Zápolya palatino A. C. 1489. e viuis ſublato, *Vrbanum* Dótzi de Nagy-luche epiſcopum Agrienſem locumtenentem ſuffecerat: ac ipſe etiam *Ferdinandus*, bello adhuc cum *Ioanne* Zápolya feruente, conſimili ratione *Paulum* de Varda Strigonienſem metropolitam ſuum in regno locumtenentem 1562 1489

1535 A. C. 1535. creauerat (*a*). Itaque vt eo certius *Maximiliani* filii inaugurationem obtineret, *Nicolaum* Olahum Strigoniensem archiepiscopum, virum virtute, doctrina, rerum vsu, ac constante in se fide conspicuum locumtenentem regium nominauit, praeparatisque illius opera primorum animis, comi-
1563 tia anno insequente 1563. ad diem XX. Augusti Posonium indixit: quibus apertis, eadem, quae superiore anno, difficultas redierat, quam tamen *Olahi* prudentia, et eloquentiae vis paulo post dissipauit, ostenderat is cum in priuatis colloquiis, tum vero in publicis consessibus, Hungaros Transsiluania, ac magna iam regni parte priuatos, quemcumque alium sibi regem elegissent, retundendis Turcarum viribus impares fore: auxilia ab exteris incassum exspectatum iri, quod illi Hungaros, velut nil ad se attinerent, otiose spectaturi essent: ex aduerso, si *Maximilianus* filiorum primogenitus, omnium Germanicarum ditionum dominus, idemque Romanorum caesar regno potiretur, futurum, vt ceterae prouinciae omnes, ipsaque Germania vnitis viribus ad vindicandam a seruitute Turcica Hungariam conspirent, aut certe id saltem, quod reliquum erat, fortiter tueantur, quibus rationibus sane quam grauibus permoti demum regni ordines, optimi cae-

(*a*) Diploma Paulo de Varda tum datum, locumtenentisque potestatis limites ibidem descriptos lege in codice iuris patrii pag. 514.

ſaris votis ſubſcripſerunt, *Maximiliano* vnanimi conſenſu rege electo, ac die XIII. Septembris in aede S. Martini Poſonii inaugurato (*a*): in prima hac coronatione ritus olim Albaeregiae vſitati, quoad licuit, obſeruati ſunt, ac alia inter ad ſimilitudinem collis Albenſis, tumulus prope Danubium erectus fuit, cui poſtea montis regii appellatio adhaeſit, quem noſtra aetate munificentia MARIAE THERESIAE AVGVSTAE ad ſummum ſplendorem euectum intuemur. Praeterea, quod olim Albaeregiae in aede S. *Martini* fieri conſueuerat, Poſonii prope portam S. Michaelis, in erecto ad id ſuggeſtu ad ſeruandas regni immunitates ac libertates, decretumque regis *Andreae* II. praelegente Strigonienſi archiepiſcopo, ſolenne iusiurandum praeſtitit *Maximilianus*, die vero poſtero huius coniux *Maria*, *Caroli* V. caeſaris filia, in humero coronata fuit.

§. XXVIII.

Ferdinandi obitus, et liberi.

Soluto Poſonienſi conuentu, febris, qua diu iam laborabat *Ferdinandus*, vehementius inualuit, quae pientiſſimum caeſarem optime ad ineundum aeternitatis iter comparatum,

(*a*) Lege Iſtuánf. lib. XXI. a pag. 261. Belii Tom. I. pag. 278.

confecit denique Viennae die XXV. Iulii A-
1564 C. 1564. imperii Romano-Germanici VI. Hungarici XXXVII. aetatis primo, et ſexageſimo. Corpus eius Pragam delatum, pone
1546 oſſa coniugis *Annae* A. C. 1546. defunctae collocatum fuit. Luctum prouinciis omnibus communem vtcumque ſedauit numeroſa prolium corona. Filii fuere ſequentes: *Maximilianus* imperator, Hungariae, et Bohemiae rex, tum archiduces: *Ferdinandus*, *Ioannes*, et *Carolus*. Filiae autem: *Anna Alberto* Bauariae duci; *Maria Wilhelmo* Iuliacenſi; *Catharina Franciſco* Mantuano; *Eleonora Wilhelmo* itidem Mantuano; *Barbara Alphonſo* II. Ferrarienſi; *Ioanna Franciſco* Hetruriae ducibus nuptui traditae, praeter *Vrſulam*, *Margaretam*, *Magdalenam* Oeniponti, et *Helenam* Halae ſanctimoniales (*a*).

§. XXIX.

Eius memoria.

Erat *Ferdinandus* pii, iuſtique principis exemplar abſolutiſſimum, ac in fide ſiue ſuis, ſiue exteris, ac etiam hoſtibus data conſtan-

---

(*a*) Exactam Habsburgo-Auſtriacae domus genealogiam A. C. 1774. typis Vindobonenſibus vulgauimus in opere, cui titulus: *Specimen progonologico-genealogicum.*

tiſſimus, vt adeo *Solimannus* audita illius morte non immerito in haec verba eruperit: *Vere iuſtus, et tenax recti princeps fuit, nec vnquam in data fide fefellit*, appoſite ſcilicet ad familiare illi ſymbolum: *Fiat iuſtitia, et pereat mundus.* Singulari in omne hominum genus comitate, ac beneuolentia vſus, neminem, quantumuis vilem, ab audientia arceri ſiuit, illud crebro ingeminans: *Quomodo nos reges Deus exaudiet, ſi nos pauperum preces audire abnuamus?* Indefeſſo in Hungariae ſalutem ſtudio intentus, innumeras leges XX. decretis comprehenſas edidit, quibus tamen inueterata iam mala minime curata ſunt. Belliducibus, prouinciarum praefectis, ac praecipuis magiſtratibus ſapientiſſimas inſtructiones ſua interdum manu conſcriptas dabat, quae vtinam ad amuſſim obſeruatae fuiſſent. Eos, qui fidem, virtutemque ſuam illuſtribus factis teſtati ſunt, opibus, honoribusque munifice remuneratus eſt, vnde complures florentiſſimae ad noſtram vſque aetatem familiae ſua *Ferdinando* vel initia, vel certe incrementa debent, quarum potentia, et fidelitas ſubinde *Ferdinandi* poſteris, ad conſeruandam Hungariae poſſeſſionem plurimum momenti attulit, praeſertim *Botskaianorum, Bethlemianorum*, ac *Rakotzianorum* motuum tempore. Etſi porro in propriis ſummo imperanti officiis nil prorſus diligentiae a *Ferdinando* praetermiſſum fuerit, fato tamen quodam inſcrutabili, vel potius,

vt comitia loqui non erubuerunt (*a*), ad punienda populorum admodum ea aetate deprauatorum peccata, permittente Numine, finiſtros vbique habuit ſucceſſus. Quamuis ob ſingularem probitatem, et benignitatem a plerisque amaretur, non leui tamen inuidiae apud veteris moris tenaces obiectus fuit, quod ab antiqua gubernationis conſuetudine nonnihil deflexerit. Nam cum primus regum omnium ſtabile extra Hungariam domicilium fixiſſet, ne generalibus quidem comitiis, niſi raro admodum, intereſſe eſt ſolitus (*b*). De rebus Hungaricis cum conſiliariis exteris deliberabat, qui, quod moris patrii, locorum, ac perſonarum ignari erant, inutilia, imo et noxia interdum ſuggerebant conſilia: mos etiam introduci coepit, mandata regia per cancellarium imperialem, aut cameram aulicam in Hungariam expediendi, eademque inuſitato quodam ſigillo annulari ſignandi, adeo vt ſigilli maioris regii Hungarici vſus in deſuetudinem abierit (*c*). Ex ipſa adeo moneta Hungarica tam aurea, quam argentea, maximis popularium ingratiis, iconem B. V. Mariae, et inſignia Hungarica expungere conati fuere monetarum praefecti (*d*). Denique aegre

(*a*) Decret. IX. artic. II decret. X. art. IV.
(*b*) Vide decret. X. art. V. decret. XI. art. XXII. decret. XII. art. IV.
(*c*) Decret. VIII. art. IV. et XV. decret. XIX. art. VIII. et IX.
(*d*) Decret. XII. art. XLVIII. decret. XVII. art. XXXVIII.

ferebant Hungari palatini dignitatem longa annorum ſerie vacantem, prope ſublatam fuiſſe (*a*). Sed haec omnia, vbi ad aures *Ferdinandi* peruenissent, publicis legibus ſunt correcta.

§. XXX.

Catholicae religionis tuendae, ac reſtituendae ſtudium.

Praeter continuas moleſtiſſimi regiminis curas, recens enata religionis diſſidia non mediocriter exercuere *Ferdinandum*: praeſertim poſtquam acatholicorum numerus multarum illuſtrium, ac potentiſſimarum familiarum acceſſione vltra modum propagatus fuit. Rapidae huic progreſſioni multa calamitoſo illo Hungariae tempore fauebant: nos pauca ſolum hic attingemus (*b*). Cum pleraeque iam

---

(*a*) Decret. XIII. art. XXIV. decret XV. art. VI. Iſtuánfi lib XXI. pag. 261.

(*b*) Fuſius iſta perſequitur autor *Hiſtoriae diplomaticae religionis euangelicae in Hungaria* edit. A. 1710. Verum paulo atrocius inſectatur Catholicos, qui cum tot ante Lutherum ſeculis in poſſeſſione fuerint, nouorum dogmatum propagationi ſe ſe pro virili oppoſuerant. Hoc ſi ille, vt crimen grauiſſimum Catholicis allinit, quid ſentiendum de tot Europae populis, qui poſtquam ab auitis ſacris potiori ſui parte receſſerant, priſtinae fidei cultoribus Catholi-

in Germania, Belgio, et Heluetia academiae a Lutheranis, aut Caluinianis profeſſoribus occupatae tenerentur, neque vllae omnino in Hungaria eſſent ſcholae Catholicae, multi e locupletioribus Hungariae dynaſtis, ac nobilibus partim filios, partim clientes ſtudiorum cauſa in exteras mittere prouincias cogebantur, qui quidem non ſcientias modo illic hauſere, verum etiam noua dogmata, cum implacabili eccleſiae Catholicae, antiſtitum, ac miniſtrorum odio coniuncta: quae illi in patriam ſubinde reduces ſtudioſis nouitatum popularibus ſuis cum per libellos, tum per priuatos publicosque ſermones explicuere. Auide haec ſexus, et ordo omnis arripiebant, quod multis parochis interea demortuis, religioſis Turcarum metu profugis, paſtoribus ſuis deſtituti erant: quin, ne quid diſſimulem, in ſumma illa temporum ruditate, ac deprauatione non pauci ſacerdotes, ac coenobitae abiecta veſte ſacra, ad acatholicorum caſtra ſe contulere, eodemque populum curae ſuae creditum traduxere. Adhaec *Ferdinandi* copiarum belliduces acatholici, magnum academicorum numerum ſecum in Hungariam attulerunt, qui poſtea vacantibus parochiis paſtorum loco ſunt impoſiti. His adminiculis accelerata fuit Catholicae religio-

---

cis omnia prope ciuitatum iura denegarunt; ignota nempe ſat diu fuit omnibus, Chriſtiana alienae a ſua religionis cultorum tolerantia, quam multi Europae principes hodie ſuis in ditionibus ſibi ſtabiliendam ſumſere.

nis ruina, quae in dies grauior euadebat, quod occupatis per profanos homines bonis ecclesiasticis, episcopis deessent redditus, ad scholas aperiendas, clericosque alendos, futuros olim populi doctores. *Ferdinandus* pro eo, quo erat in auitam religionem tuendam studio, matura prius deliberatione praehabita, solenni diplomate A. C. 1560. edi- 1560
to (*a*), donationes omnes bonorum ecclesiasticorum cuicumque factas reuocauit, cunctaque iniuste ablata episcopis, capitulis, ac coenobiis sine mora reddi iussit. Praeterea cum multa religiosorum domicilia deserta esse relicta accepisset, eorum redditus in stipendia professorum, et discipulorum conuerti voluit (*b*): mediis his restituendae religionis egregie mox vti coepit *Nicolaus* Olahus Strigonienſis archiepiscopus, condito iunioris cleri seminario Tyrnauiae, quod a S. *Stephano* rege nomen habet, ac per euocatos Vienna aliquot societatis Iesu professores apertis ibidem scholis Catholicis, vnde postea cetera per Hungariam gymnasia propagata sunt. Atque gemina haec Catholicorum ludorum literariorum, et seminariorum adminicula opportune fuisse adhibita, abunde probat religio Catholica, post tot clades non modo ab interitu vindicata, verum etiam ad summum florem subinde euecta. Quibus

(*a*) In codice iuris patrii pag. 495. post decret. XIX.

(*b*) Decret. XI. art. VI. VII. et XII.

inſuper legibus ſacroſanctae religionis incolumitati conſultum iuerit *Ferdinandus*, ex eius conſtitutionibus nullo negotio licebit intelligere.

MAXIMILIANVS

IMPER.

REX XL.

A. C. 1564.

§. I.

Octennales cum Turcis induciae rumpuntur.

Maximilianus Ferdinandi ſucceſſor difficilia admodum nactus fuit regni initia: Turcae imprimis inſuper habita induciarum, biennio abhinc initarum, fide non modo vicinas praefidiis ſuis ditiones dirum in modum depopulati ſunt, verum etiam complures arces rebus ſuis opportunas in poteſtatem redegerant. His acceſſere lites cum *Ioanne Sigismundo Zápolyae* regis filio; is *Blandratae* medici inſtinctu, Tranſſiluaniam cum parte Hungariae Tibiſco adiacente pleno iure ſibi

relinqui, regisque Hungariae titulos a *Maximiliano* dari poſtulabat. Caeſar probe gnarus, quam neceſſaria eſſet Tranſſiluanorum cum Hungaris coniunctio, veterumque pactorum non immemor, regiam appellationem aperte negauit, Tranſſiluaniam autem vita comite poſſidendam obtulit, ea lege, vt is ſe fiduciarium, vaſallumque regis, et coronae Hungariae principem profiteretur: quod cum *Ioannes Sigismundus* facere abnuiſſet, bellum illi illatum fuit, *Lazaro* Schuendio duce, eo ſucceſſu, vt Tokainum, Bathorium, Erdödium, Köuarinum, pluresque arces in caeſaris poteſtatem ſint redactae. *Solimannus* a cliente ſuo de periculo admonitus, miſſo nuncio bellum pariter *Maximiliano* comminatus fuit, niſi Tranſſiluano ea, quae eripuerat, ſine mora reſtitueret, atque inſuper promiſſum a *Ferdinando* patre XXX. millium aureorum tributum Bizantium tranſmitteret; *Maximilianus* certus iam copioſa ſibi ab imperio Romano militum ſubſidia decernenda, repoſuit ſe poſtulata facturum, vbi primum Turcae loca omnia induciarum tempore per fraudem occupata reſtituiſſent, Tranſſiluanus autem ſumtus omnes in bellum factos refudiſſet. Generoſo eo reſponſo irritatus *Solimannus* poſtremam A. C. 1566. in Hungariam 1565
ſuſcepit expeditionem (*a*).

(*a*) Iſtuánfi lib. XXII. Bethlen lib. V. a pag. 227.

§. II.

Ioannes Tranſſiluanus a Turcis deluſus.

Taurunum, ſiue Belgradum aeſtate eiusdem anni cum exercitu appulſum *Solimannum* honoris cauſa conuenit *Ioannes Sigismundus*, dextramque tutoris oſculatus, libellum ſup-
1541 plicem porrexit, quo vi promiſſi A. C. 1541. facti Budam, reliquamque Hungariam a Turcis poſſeſſam ſibi reſtitui flagitauit. *Solimannus*, vt erat gloriae vltra modum appetens, pactorum optime recordatus, *Mehemeti* vezirio ſine mora in mandatis dedit, vt videret, qua ratione citra imperii Turcici detrimentum ea reſtitutio fieri poſſet. Quodſi ſincera fuit reapſe *Solimanni* tum voluntas, negotium omne corrupit Tranſſiluani principis arrogantia: praeparauerat in tentorio ſuo *Mehemetes* maximi pretii munera, oraueratque per internuncium, vt ad ſe quoque regius princeps diuerteret: quod cum ille *Caſparis* Békeſii inſtigatione velut a dignitate ſua alienum facere abnuiſſet, *Mehemetes* eam repulſam contemptum interpretatus, adeo vehementer commotus fuit, vt adornatis de induſtria accuſationibus *Solimanni* animum ab eo penitus auerterit, neque ex eo die vnquam Tranſſiluano aditus ad imperatorem patuerit. Hunc in modum *Ioannes Sigismundus* ſpe ſua deluſus, fiduciam in Turcis collocatam, non ſine totius rei Chriſtianae damno, caſtigatam ſenſit (*a*).

(*a*) Iſtuánfi lib. XXIII.

§. III.

Poſtremi Solimanni ad Szigetum conatus.

Ad primum belli Turcici rumorem, *Maximilianus* vires ſuas omnes trifariam diuiſit. *Lazarus Schuendius* bellum contra *Ioannem Sigismundum* adminiſtrandum ſuſcepit trans Tibiſcum; *Carolo* archiduci, Styriae duci, Croatiae defendendae prouincia demandata: denique ad laurinum octoginta peditum, ac quinque ſupra viginti equitum millia confluxere, quibus caeſar, tametſi praeſens aderat, *Ferdinandum* archiducem germanum ſuum praefecit, adiuncto illi legato, *Gunthero* comite a Schuartzenburg. Quo apparatu cognito *Solimannus* aperto marte congredi non auſus, Agriam primum, dein vero Szigetum oppugnare decreuit, vt *Mehemetis* propinqui ſui, a *Nicolao* Zrinio ad Sikloſium interfecti, caedem vlciſceretur. Non eſt quidem noſtri inſtituti bellorum hiſtoriam texere, at quoniam oppugnatio Szigetana plus Hungaris gloriae, quam Turcis commodi attulit, qua licebit breuitate, eamdem commemorabimus. Calendis Auguſti A. C. 1566. ducenta Turcarum millia circumuallauere Szigetum, a mille quingentis tantummodo praeſidiariis Hungaris defenſum, at cui *Nicolaus* Zrinius rara in patriam caritate, et fortitudine illuſtris praeerat. Nudata propugnaculis omnibus per diurnas, nocturnasque verberationes arce, vicenis plures aſſultus a Turcis tentati heroica prorſus Zrinianorum vir- 1565

tute ſunt repulſi: ad extremum enato caſu incendio, poſtquam arx, et quidquid vſui eſſe poterat, conflagraſſet, Turcaeque poſtremae aggreſſionis ſignum e ducibus ſuis opperiebantur, VII. Septembris *Zrinius* cum reſiduis ſociis ad vincendum, aut glorioſe occumbendum antea animatis ex arce egreſſus, exploſo, quod vnicum reliquum fuit, non ſine immani hoſtium denſo ordine ſtantium clade tormento, in Turcas irruit, horribilique quaquauerſum edita caede, fortiter dimicans occubuit, ceteri pariter prope omnes non inulti periere. Sunt, qui eruptione hac, totoque oppugnationis tempore, XXV. millia Turcarum cecidiſſe ferant. Victoriae huic ſane quam cruentae minime ſuperſtes fuit *Solimannus*, biduo ante epilectico malo enectus, cum aetatem ad LXXVI. annos adduxiſſet, ob inſignem militarem ſcientiam, laetiſſimosque bello ſucceſſus primis Turcarum ſultanis accenſendus, cum ceteris populis, tum vero Hungaris funeſtiſſimus. Mors illius tamdiu celata in caſtris, dum filius *Selimus* Bizantii poſſeſſionem cepit, qui ſubinde reuertenti exercitui obuiam factus Belgradi, fauſtis omnium acclamationibus in ſolio confirmatus fuit (*a*).

§. IV.

(*a*) Hiſtoria Szigeti capti in collectione ſcriptorum Schuandtneri Tomo I. Iſtuánfi lib. XXIII.

§. IV.

Pax cum Turcis.

Solimanno e viuis ſublato, aliquamdiu ab armis ceſſatum fuit. *Maximilianus* aulae Bizantinae conſiliorum incertus, conuocatis A. C. 1567. regni ordinibus neceſſaria ad bellum continuandum pecuniae, militumque ſupplementa flagitauit: decreta haec ſunt pro ſuperiorum annorum more admodum liberaliter (*a*). At cum caeſar domeſtica haec ſubſidia Turcarum viribus longe inferiora cerneret, nec tantum, quantum opus eſſet, auxilii ab imperio Romano ſperaret, conſentientibus vltro Hungaris, ad petendam a *Selimo* pacem applicuit animum: miſſus itaque Bizantium *Antonius* Verantius epiſcopus Agrienſis, cuius prudentia, et dexteritate induciae in annos octo impetratae ſunt, his legibus: Turcae, *Maximilianus*, et *Ioannes Sigismundus* Tranſſiluaniae dux ab omni deinceps hoſtilitate abſtinerent, quod quisque ſuperiore bello ſuum fecerat, in pace poſſideret. Vtiliſſima fuit ea pax *Maximiliano*, cum quod loca plurima vltra Tibiſcum Tranſſiluano eripuerat, tum vero quod afflictae tot annorum bellis Hungariae reſpirare conceſſum fuerit. 1567

(*a*) Maximiliani decret. II. in codice iuris patrii.

§. V.

Caeſarem inter, et Tranſſiluanum concordia.

Ioannes Sigismundus per eas inducias Budae, ceteraeque Hungariae recuperandae ſpe deiectus infidos patronos Turcas deſerere, intimamque cum caeſare amicitiam inire conſtituit: res acta eſt per legatum *Caſparem* Békeſium ſequentibus conditionibus: *Ioannes* ſereniſſimi principis appellatione contentus a titulo regis abſtineret: in Hungaria Biharienſem, Kraſznenſem, Szolnokienſem mediocrem, et Marmaroſienſem comitatus, ſed ſolum vita comite, partium regni Hungariae domini titulo poſſideret, cum hereditario ad poſteros Tranſſiluaniae, intra montes comprehenſae, principatu, vnde ſi per Turcas aliquando eiiceretur, ad Oppolienſem ducatum in Sileſiam commigraret: ſiquid finium orientem verſus a Turcis recuperauerit, id eius ditionis peculiare eſſet: ſi abſque herede maſculo e viuis exceſſiſſet, liberum ſit Tranſſiluanis legere ſibi Wayuodam, qui tamen ſolenni iuramento obedientiam, et fidelitatem regi Hungariae profiteretur: eosdem vterque amicos, et hoſtes haberent, mutuisque viribus ſemet tuerentur, hac tamen addita cautione; vt, quamdiu liceret, Turcae de his pactis celarentur, liberumque ſit *Ioanni, Selimum* interea priſtinis amicitiae officiis colere; ne ille irritatus Tranſſiluaniam nondum ſatis ad defenſionem comparatam inuaderet. Foedera haec vt firmiora eſ-

ſent, alterutra caeſaris neptis, Bauara, vel Iuliacenſis in matrimonium promiſſa. Tabulae hae ſub exitum A. C. 1570. ſignatae, in- 1570
credibili *Ioannem Sigismundum* laetitia affecerunt, at non multo poſt non parum offenſus fuit, cum intellexit, alteram e caeſaris neptibus admodum deformem eſſe, alteram a nuptiis abhorrere, niſi ille ex vnitario Catholicus fieret, (a) id quod *Blandratae* medico quam maxime diſplicebat.

§. VI.

Ioannis Sigismundi obitus.

Ceterum *Blandratae* curae ad retinendum in Arianiſmo *Ioannem Sigismundum* mox ſuapte deſiere, poſtquam hic in lethalem, quem vitae intemperantia ſibi conſciuerat, morbum incidit, quo etiam poſt LIV. dierum phreneticas conuulſiones, XIV. Martii A. C. 1571. 1571
deceſſit Albae Iuliae, aetatis XXXI. Vt peſſime a puero inſtitutus fuit, ita nulla prudentiae, virtutis, ac iuſtitiae in regno edidit ſpecimina, pleraque eo inſcio gerebantur per *Ioannem Blandratam*, et *Caſparem* Békeſium Socinianos, quibus omnem reipublicae adminiſtrationem tradiderat. Ingratam ad poſteros memoriam conſecutus eſt ab ex-

(a) Iſtuánfi lib. XXIV. a pag. 317.

ſtincta fere apud Tranſſiluanos *Catholica* religione, oppreſſisque et Lutheranis, et Caluinianis, vt rediuiuam in Socinianis Arii ſectam ſtabiliret. Nemini enim, *Blandratae* conſilio, ad aulae munia, et magiſtratus regni aditum patere voluit, niſi vnitario: qua arte effecit, vt eo imperante praecipui quique Tranſſiluani ſiue ex animo, ſiue ad ſpeciem *Socinum* ſequerentur. Sic cum *Ioannes Sigismundus* vnigenito Dei filio diuinitatis gloriam eripere conatus eſt, ipſe in ipſo aetatis flore e principatus faſtigio deiectus, florentem ſeculis aliquot Zápolyiorum familiam ſecum tumulo intulit(*a*).

§. VII.

Tranſſiluania ad obſequium S. coronae redit.

Maximilianus audita moleſtiſſimi ſibi aemuli morte, de reuocanda ad vnionem Tranſſiluania ſollicitus, vltro poteſtatem fecit prouincialibus Wayuodam ſibi deligendi, ea tamen, quae per nupernam pacem ſancita fuit, lege, praeterea *Caſparem* Békeſium ſibi familiariter cognitum, quod conſiliis ſuis obſequentiſſimum fore credebat, maiorem in modum pro ea dignitate commendauit. At Tranſſiluani intolerabilem hominis arrogan-

(*a*) Iſtuánfi lib. cit. pag. 319.

tiam, et exercitam in multos, qui ab vnitariorum dogmatibus abhorrebant, duritiem non ferentes, *Stephanum* Báthori de Somlyo insigni animi moderatione, auita religione, morumque probitate conspicuum, ac rara admodum in negotiis maxime arduis perficiendis prudentia, et dexteritate praeditum e. a. 1571, communi suffragatione Wayuodam elegere, gemino adstrictum iuramento, altero de gentis praerogatiuis, et immunitatibus conseruandis, altero de libero religionibus omnibus, Catholicae videlicet, Caluinianae, Lutheranae, ac vnitariae concedendo exercitio, cum antea solis vnitariis id permissum fuerit: quod vbi cauisset *Báthorius*, pleno iure Wayuodatum adeptus, sine mora *Selimum* vna, ac *Maximilianum* imperatorem de electione sua certiores fecit. Ille vt se Transsiluanorum principum dominum ostenderet, continuo principatus insignia: vexillum, sceptrum, acinacem, ac mitram ducalem transmisit, id vnum *Báthorio* imperans, vt vetera inter *Solimannum*, et *Ioannem* de Zápolya pacta religiose custodiret, nisi suam experiri velit indignationem. *Maximilianus* etsi grauiter tulerit, *Békesium* a Wayuodatu excluſum, ne tamen ciuilibus turbis, quae bellum Turcicum post se trahere poterant, Transsiluaniam inuolueret, pariter ratam habuit *Báthorii* electionem, ea tamen conditione, vt ille, iuxta formulam ab se transmissam, obedientiae, ac fidelitatis sacramentum sibi, vt regi Hungariae, nuncuparet: formula haec praeter alia subiectionis argumenta, 1571

nominatim illud continebat, vt *Báthorius*, quandocumque id iuberet *Maximilianus*, Wayuodatum reſignaret (*a*). Conditio haec imprimis dura videbatur *Báthorio*, diuque, quid ageret, anceps deliberabat, at quoniam *Békeſii* res nouas iam tum molientis, a caeſareque protecti factionem verebatur, parendum denique ſibi putauit. Ne tamen arcti adeo iuramenti fama ad alios, qui Turcis fauebant, ac ſubinde ad *Selimum* ipſum peruenireret, ita rem inſtituit, vt nonniſi illis proceribus, quos addictiſſimos ſibi nouerat, praeſentibus praeſcriptum ſibi iusiurandum praeſtiterit. Hac ratione *Báthorius* ſubditum ſe regi Hungariae profeſſus, non plus, quam ceteri ante eum Wayuodae, autoritatis conſecutus, non alio etiam, quam Wayuodae ſe nomine compellauit (*b*).

§. VIII.

Debilis admodum Tranſſiluanos inter et Hungaros nexus.

Nexus hic Tranſſiluaniae cum Hungaria haud ita firmus, et conſtans fuit, ac principio apparebat. *Báthorius* vt ſe a *Selimo* in digni-

(*a*) Formulam iuramenti huius ex Bethlenio recitatam habes in *Notitia rerum Hung.* edit. A. 1775. parte III. pag. 129.

(*b*) Iſtuánfi lib. XXIV. a *pag.* 819.

tate confirmatum, *Békeſiique* factionem diminutam ſenſit, *Maximilianum* caeſarem interpellauit, vt de iuramenti a ſe praeſtiti rigore aliquid remitteret, ac ſaltem perpetuum ſibi relinqueret Wayuodatum, aperte denuncians, potiores Tranſſiluaniae proceres Turcarum patrocinio fretos, ſeditionem facturos, vbi primum comperiſſent, a caeſare temporariam ſolum, ac certis limitibus circumſcriptam poteſtatem conceſſam eſſe illi, quem ipſi perpetuum, ſummoque cum imperio praefuturum principem ſibi elegiſſent; Turcas pariter minime paſſuros, vt Tranſſiluania a ſocietate ſua auelleretur. Quibus, aliisque rite expenſis, *Maximilianus* tempori cedendum putauit, priuata itaque pactione inita, cauit, *Báthorio* perpetuum fore Wayuodatum, modo is, quoad per Turcas liceret, fidelem ſe S. coronae clientem exhiberet: aliud inſuper, quod *Stephanus* Báthorius de domo ſua in principatu apud Tranſſiluanos conſtabilienda ſollicitus magnopere cupiebat, indulſit, vt *Chriſtophorum* fratrem germanum, ſibi Vice-Wayuodam adſciſceret, magiſtratusque prouinciae, ac praeſidiorum praefecti omnes vtrique fidelitatis ſacramentum nuncuparent: ea tamen lege, vt *Stephano* Wayuoda demortuo tota Tranſſiluania, nulla interpoſita mora, ad regis Hungariae iurisdictionem rediret. Ita tum conuentum, minime tamen poſtea obſeruatum fuit: poſtquam enim *Stephanus* de Báthor A. C. 1576. Polo- 1576
niae corona potitus, *Maximilianum* eapropter hoſtem expertus eſt, aſſumto Tranſſilua-

niae principis titulo, *Chriſtophorum* fratrem vice ſua Wayuodam illic conſtituit, rurſusque effecit, vt huic filius *Sigismundus* in dignitate ſuccederet. Atque ſic nouis ſemper enaſcentibus obſtaculis, ſapientiſſimi caeſaris, ad reuocandam in obſequium S. coronae Tranſſiluaniam, conatus inutiles euaſerunt (*a*).

§. IX.

Gentis Hungaricae querimoniae.

Si diſſidia Polonicae coronae cauſa exorta demas, tranquillum cetera regnum habuit
1567 *Maximilianus*: quae enim A. C. 1567. cum Turcis pax inita erat, eamdem *Selimi* ſucceſ-
1575 ſor *Amurathes* A. C. 1575. rurſus in octennium confirmauit, tam longae igitur quietis tempore *Maximilianus* in id incubuit, vt regnum tot calamitatibus oppreſſum erigeret, id quod e VII. decretorum ab eo editorum articulis nullo negotio colligitur. Ceterum euitare non potuit, quin eorum, quibus reipublicae adminiſtrandae cura commiſſa erat, culpa nonnulla fierent, quae genti Hungaricae veteris moris ſtudioſae diſplicerent. Nos prae-

(*a*) Haec vide apud Iſtuánfi lib. XXIV. et XXV. Bethlen lib. VI.

cipua querimoniarum capita e publicis regni conſtitutionibus deſumta huc adſcribemus: aegre itaque ferebant Hungari, regni negotia in conſilio bellico, camera, et cancellaria Germanica tractari, nullumque e conſiliariis Hungaris in conſilium adhiberi, mandata regia idiomate Germanico, forma inuſitata per ea, quae diximus, dicaſteria in Hungariam mitti (*a*): belliduces, tribunos, alios ue praefectos militares tantum ſibi iurisdictionis vſurpare, vt cum de aliis cauſis ciuilibus, tum vero de iuribus poſſeſſionariis ſententiam ferant, non ſine graui ordinariorum regni tribunalium iniuria (*b*): a praeſidiorum capitaneis, et militibus hibernantibus, qui ciuibus ſecuritatem praeſtare deberent, incolas miſerum in modum exagitari, omnique iniuriarum genere affici (*c*): nobilitas ſpeciatim querebatur praeter alia ordinis ſui praerogatiuis contraria, id a regiorum bonorum adminiſtratore introductum, vt nulli liceret propria etiam vina diuendere, niſi perſolutis prius a quouis vaſe VI. florenis Hungaricis (*d*), praeter palatini dignitatem prope abolitam, aliis etiam regni baronatus pluribus annis vacare: (*e*) ampliſſima familiarum exſtinctarum, aut ob infideli-

(*a*) Decret. II. art. XL. Decret. III. art. XXXVIII.
(*b*) Decret. II art. XLI.
(*c*) Decret II. art. II. Decret. III. art. XLIV.
(*d*) Decret. II. art. XXXVIII.
(*e*) Decret. III. art. XXXVII. Iſtuánfi pag. 325.

tatis notam ad manus regias deuoluta bona: quae LXVII. arces, et dominia efficiebant (*a*), aerario regio nullo discrimine addici, neque iam more, institutoque veteri bene de rege, patriaque meritis conferri, id quod eo acerbius eis dolebat, quod ipsi, praeter alia pro communi salute onera, a singulis centum colonis tres equites constanter aere suo alere cogebantur (*b*). Denique et illud displicebat religionis auitae tuendae studiosioribus, quod, vt vacantium episcopatuum, beneficiorum ecclesiasticorum fructus eo diutius fiscus retineret, eadem longa annorum serie vacare sint permissa, praesertim autem Iaurinensis episcopatus, cuius prouentus *Zacharias Delphinus* cardinalis, absens percipiebat (*c*). Haec fere summa querelarum fuit, quibus *Maximilianus*, quoad licuit, remedium attulit: nominatim autem militum licentiam correxit, ad cancellariam autem Hungaricam geminos viros adlegit, alterum e sacro, e profano ordine alterum: verum, vt *palatinum* crearet, induci non poterat, quin potius, *Ferdinandi* patris exemplo, eius officii munera obituros locumtenentes regios, plerumque Strigonienses archiepiscopos nominauit.

(*a*) Epitome Timonis ad A. C. 1569.
(*b*) Decret. I. art. XV.
(*c*) Decret. III. art. XXXV. et VI. Decret. IV. art. VIII.

§. X.

Rudolphus, caesaris primogenitus, vnanimi consensu coronatur.

Etsi porro caesar, iustis fortasse de causis, non omnibus suorum postulatis deferendum putauerit, promptissimos tamen ad omnia, quae imperabat, voluntatique suae obsequentissimos constanter expertus fuit. Patuit hoc maxime in *Rudolphi* primogeniti electione, ac inauguratione. Cum enim A. C. 1572. Posonium 1572
ad comitia conuenissent regni ordines, considerata Hungariae, tot ditionibus iam mutilatae, quotidianisque caedibus prope in solitudinem redactae imbecillitate, clare intueri coeperunt, quantum ad communem salutem interesset, regnum suum ceteris Austriacae domus prouinciis copulatum, ab vno principe gubernari. Itaque missa ad caesarem legatione, maiorem in modum orauere, vt, quoniam omnium vota in *Rudolphum* archiducem conspirauerant, ratam habere vellet illius electionem, diemque opportunum coronationi peragendae praefigeret (*a*). Caesar mentem suam ab Hungaris occupatam laetatus, ad diem XXV. Septembris ordines regni iterum conuenire iussit, quo *Rudolphus* eodem anno, ab *Antonio* Verancio Strigoniensi archiepiscopo locumtenente regio inauguratus, solitam de tuendis legibus, ac ordinum prae-

(*a*) Decret. IV. art. II. et III.

rogatiuis cautionem dedit (*a*). Idem ſubinde
1575 A. C. 1575. Bohemiae, ac anno conſequente Romanorum corona auctus fuit.

§. XI.

Maximiliani obitus, et encomium.

His curis tempeſtiue liberatus *Maximilianus*
1576 A.C. 1576. XII. Octobris nephritico morbo conſumtus obiit, aetatis anno vndequinquageſimo. Corpus Pragam deportatum in principe vrbis aede conditum fuit. Praematurum auguſti principis obitum boni omnes deploraruere: nam cum ad eam, quam ab optimo patre ſuo traxerat, manſuetudinem vigor quidam mentis, ac in rebus agendis conſtantia acceſſiſſet, a ſubditis non amabatur ſolum, verum etiam timebatur: ad conciliandos populorum, quibus imperabat, animos non parum faciebat, quod cum ſingulis proprio loqueretur idiomate: nam praeter Latinum, Hiſpanicum, Italicum, Gallicum, et Teutonicum, etiam Hungaricum, et Bohemicum egregie callebat. Religionem difficillimis temporibus, qua licuit, tutatus eſt. Literas amauit impenſe, fouitque literatos, quorum complures in aula ſua habuit, hos inter *Ioannes* Sambucus Tyrnauienſis caeſareus hiſto

(*a*) Decret. V. art. I. et II.

AD NOTITIAE RER. HVNG. PARTEM III.

Ferdinandus I. infans Hiſpaniae A. A. Rom. Imp.
Hungariae, et Bohemiae rex † 1564
Vxor. Anna Vladislai II. Hungariae, et Bohemiae regis filia † 1547

Maximilianus II. Rom. Imp. Hung. et Bohemiae rex † 1576
Vxor. Maria infans Hiſp. Caroli V. Imp. filia † 1603

Rudolphus II. Rom. Imp. Hung. et Bohemiae Rex caelebs † 1612

Ernestus locumtenens Reg. in Hung. Gub. Belgii caelebs † 1595

Ferdinandus A. A. comes Tirolis † 1595
Vxor. I. Philippina nobilis a Velſer † 1580
II. Anna Wilhelmi ducis Mantuae filia

Ex I. Andreas ab Auſtria S. R. E. Card. Epiſcopus Conſtant. † 1600

Mathias II. Rom. Imp. Rex Hung. et Boh. † 1619
Vxor Anna A. A. Com. Tyr. *improlis* † 1618

Carolus A. A. dux Styriae. Anna A. A. † 1875
Vide Tabellam III. Maritus Albertus V. Dux Bauariae

Carolus ab Auſtria Marchio Burgouiae † 1618

Maximilianus A. A. Armorum Praefectus in Hung. M. magiſter Ord. Teuton. † 1618

Anna A. A. Com. Tirol: *Maritus* Mathias II. Rom. Imp.

Albertus A. A. Belgii Gub. † 1621
Vxor Iſabella Clara Philippi II. Hiſp. Reg. filia *Improlis*

ricus vna, et consiliarius fuit, ab eruditis lucubrationibus, et operibus in lucem editis clarum ad posteros nomen consecutus.

§. XII.

Coniux, et liberi.

Ex *Maria Caroli* V. imperatoris filia V. filios superstites reliquit, quorum tamen nemo, mirando sane diuinae prouidentiae consilio, augustam stirpem propagauit. I. *Rudolphus* imperator, et rex. II. *Ernestus* archidux A. III. *Mathias* imperator et rex. IV. *Maximilianus* A.A. ordinis Teutonici M. magister. V. *Albertus* A.A. Belgii gubernator. Filiae fuere: *Anna Philippo* II. Hispan. regi. *Elisabetha* Carolo IX. Galliae regi traditae, ac *Margareta* sanctimonialis.

RVDOLPHVS IMPERATOR.

REX XLI.

A. C. 1576.

§. I.

Rudolphus regni Hungarici curam in fratres transfert.

Rudolphus regnorum omnium habenas conſecutus, quod inde a puero literarum potius ſtudiis, quam militaribus exercitiis aſſuefactus erat, quo liberius ſcientiis, ac imprimis aſtronomiae vacare poſſet, Hungariae, quae eius otium quam maxime turbatura videbatur, gubernationem cum *Erneſto* fratre, et *Carolo* auunculo partiri in votis habuit. Eum igitur
1578 in finem ad calendas Februarias A. C. 1578. comitia Poſonium conuocauit: in his poſtquam vſitata militiae et alendae, et faciendae ratio deſcripta, copioſae ad inſtaurandas arces operae, pecuniae denique ſubſidia decreta fuiſſent, id etiam caeſari permiſſum, vt rei militaris per Hungariam cura *Erneſto* archiduci committeretur, in quem ſubinde, quod *Rudolphus* continuo a regno aberat, to-

ta vna rei politicae adminiſtratio deuoluta fuit (*a*). *Carolus* archidux, Caroloſtadii conditor, bellicam Illyrici praefecturam obtinuit (*b*). His actis *Rudolphus* Pragam rediit, mathematicas diſciplinas, non ſine reipublicae damno, vnice deinceps tractaturus.

§. II.

Turcae pacem violant.

Sedecim, et amplius annos induciae cum Turcis bello Aſiatico occupatis tenuere, quibus durantibus etſi hoſtes a rapinis minime abſtinebant, Hungarique viciſſim vim vi repellerent, numquam tamen quotidianae hae velitationes in apertum bellum erupere. *Sinanes* haud ita pridem vezirius creatus, quo dignitatis ſuae initia illuſtri quadam victoria nobilitaret, mox a confecta A. C. 1589. 1589
cum Perſis pace, autor *Amurathi* fuit, vt bellum in Hungariam transferri pateretur: quod cum ille induciarum religione prohibitus abnuiſſet, *Sinanes* deteſtanda fraude voti demum damnatus fuit. Datis cum ad alios, tum ve-

(*a*) Decret. IV. art. I.
(*b*) Decret. I. art. XV.

ro ad Boſſniae praefectum literis monuit, libere vt in Chriſtianorum ditiones irrumperent, ſi ab his eapropter irritatis viciſſim Turcici limites laceſſerentur, continuo querelas ad ſe Bizantium mitterent; ceſſit dolus e ſententia. *Haſſanes* enim Boſſniae praefectus ceteris audacior, vezirii autoritate fre-
1590 tus A. C. 1590. maioribus iam copiis Illyricum omne percurſabat, ceterosque ad damna Chriſtianis inferenda exemplo ſuo animabat, quorum incurſionibus cum Chriſtiani ſe fortiter opponerent, *Haſſanes*, vt condictum erat, exaggeratas aduerſum Chriſtianos querimonias Bizantium perſcripſit. Rurſus itaque *Sinanes Amurathem* aggreditur, bellumque decerni poſtulat, rurſusque repulſam patitur, quod *Muſtius*, ſummus ſacrorum apud Turcas praeſes, induciarum fidem obſeruandam eſſe *ſultano* perſuaſerit. Quid ageret neſarius homo? *Muſtium* veneno clam enecat, aliumque votis ſuis fauentiorem illi ſuffici procurat, nouis deinde mandatis *Haſſanem* paulo vehementius in Chriſtianos concitat. Hic itaque XXV. millium exercitu ſtipatus, non iam depopulari ſolum Illyricum, verum arces etiam complures admota vi expugnare auſus fuit; at iuſto Dei iudicio a *Petro* Erdödi Illyrici bano, et comite *Eckenbergio*
1593 A. C. 1593. ad Siſciam victus, XII. millibus ſuorum deſideratis, aquis hauſtus interiit. Atque hac demum clade concitatus *Amurathes*, eodem adhuc anno caeſari bellum indixit. *Si-*
1594 *nanes* fraudis ſucceſſu laetus, A. C. 1594. in Hungariam aduenit, laurinumque per *Ferdi-*

nandi

nandi, Hardecci, et *Nicolai* Perlini, praefectorum ignauiam occupauit : qui ſubinde, quod integris adhuc moenibus deditionem fecerant, ſenatus bellici ſententia damnati, ac Viennae die V. Iunii A. C. 1595. ſecuri ſunt 1595
percuſſi, vrbs autem ipſa quadriennio poſt principis *Schuartzenburg*, et *Nicolai* Pálfi (*a*) virtute recuperata fuit. Hoc ſucceſſu demto, nil praeterea ſiue a *Sinane*, ſiue ceteris toto bello ad annum vſque 1606. memorabile ge- 1606
ſtum fuit, Chriſtianis, vt mox videbimus, propitia fere ſemper fortuna dimicantibus (*b*).

§. III.

Hungarorum ad patriam iuuandam liberale ſtudium.

Vbi primum caeſar de occultis Bizantinae aulae conſiliis edoctus fuit, mox ad VIII. calendas Februarii A. C. 1593. patres Poſonium 1593
conuenire iuſſit, *Mathia* archiduce, quem

(*a*) Nicolao Pálfio gratiam relaturi regni ordines A. C. 1599. Poſonii in comitiis congregati, orauere caeſarem, vt eidem, ac poſteris maſculini ſexus arcem Poſonienſem cum eo ſpectantibus bonis, tituloque perpetui comitis conferret. Vide decret. X. art. XLVIII. et Notit. Rer. Hung. edit. ſecundae parte III. pag. 154.

(*b*) Bellum hoc lege apud Iſtuánfi a lib. XXVII. vſque XXXIV.

Erneſto ad Belgii gubernationem euocato ſuffecerat, praeſide de bello tempeſtiue apparando deliberaturos: decreti hic ſunt tres florenni a porta, eorumque colligendorum ratio praeſcripta, ne, vt ſaepe ante factum, potior eius pecuniae pars ab exactoribus poſſet abliguriri, quia vero illi, qui ex legum praeſcripto continuum equitem alere tenebantur, negligentius id aliquando praeſtiterant, poena dupli in eos decreta fuit (*a*). Subſidia haec cum tanto bello propulſando minime ſuffectu-
1595 ra viderentur, conuenere iterum A. C. 1595. regni ordines, vtque propalam teſtarentur, quam incenſo ad patriam iuuandam ferrentur ſtudio, ſanxere imprimis IX. florenos a ſingulis portis per colonos, ac ſeorſim VI. florenos per praelatos, barones, ac nobiles a ſingulis ſeſſionibus *ex propria*, vt conſtitutiones aiunt, *crumena ſub poena tripli* dependendos, quod ſubſidium patriae amore oblatum ad IX. florenos anno inſequente extendi voluere: (*b*) eodem *tempore*, quod numquam antea factum erat, curas ſuas ad ſaucios, aegrotantesque milites porrexit nobilitas, oblatis ad horum leuamen de ſuo X. denariis a ſingula ſeſſione numerandis (*c*). Neque hic quieuere calentia gentis ſtudia, vltra quam praeſcriptum meminimus, vt cuiusque erant

(*a*) Decret. V. in codice iuris patrii.
(*b*) Decret. VI. art. II. III XVII. Decret. VII. art. V. VI. VII. XV.
(*c*) Decret. VII. art. XXX.

facultates, aere, militeque *Mathiae* archiducis belli imperatoris conatus adiuuabant, vt adeo toto eo bello XL. et amplius millia, praelatorum, baronum, nobilium, ac ciuitatum regiarum ſtipendiis conſtanter militauerint. Quibus ſi Illyrici copias, ſi copioſa e reliquis Auſtriacae domus prouinciis, et e Romano imperio ſubmiſſa ſubſidia connumeres, formidandae orienti vires confluxere. Bello circa Danubium adminiſtrando praeerat *Mathias*, ad Tibiſcum *Maximilianus* archiduces, ab illuſtribus victoriis de hoſte reportatis immortale apud Hungaros nomen conſecuti. Atque haec de Hungarorum in patriam ſuam caritate ex conſtitutionibus publicis eo fine huc transtulimus, vt intelligeretur, quantis curis, laboribus, et ſumtibus ſteterit maioribus noſtris, et propriae cuiusuis, et communis contra hoſtes in viſceribus regni haerentes patriae ſecuritatis procuratio, vtque eo luculentius pateret aetatis noſtrae ab eorum temporum calamitatibus diſcrimen, ſingularisque ea felicitas, quam principum noſtrorum prouidentiae, et maiorum virtuti acceptam debemus (a).

(a) Vide Iſthánfi lib. XXVII. praeſertim pag. 375.

§. IV.

Belli Turcici ſucceſſus.

Exſpectationi, quam caeſar de apparatu, de ducum, militumue virtute conceperat, vtcumque reſpondit euentus: praeter minores victorias, et arces plurimas Turcis ereptas, Strigonium caeſis ſemel, ac iterum, qui ob-
1595 ſeſſis auxilio venerant, hoſtibus, A.C. 1595. a *Mathia* archiduce expugnatum. Iaurinum
1598 A.C. 1598. receptum. Albaregalis profliga-
1601 to ante ingenti cum clade vezirio A.C. 1601. capta. Sola *Mathiae* conatus luſit Buda, ſemel, ac iterum incaſſum oppugnata. Non inferior fratre ſuo *Maximilianus* archidux Turcis ad Tibiſcum freno fuit. Agriam quidem exteri milites praeſidiarii, *Paulo* Nyári loci praefecto fruſtra flexis humi genibus de-
1596 hortante, XIV. Octobris A. C. 1596. *Mahometi Amurathis* in imperio ſucceſſori dediderant: at hic XII. poſt die ad Kereſzteſum non ſine XX. millium caede a *Maximiliano* archiduce victus, fugienti ſimilis Bizantium remeauit. Duces, qui eo bello inclaruerant, fuere ſequentes: dux *Mercurianus* e Lotharingiae ducum domo oriundus, *Carolus* princeps Mansfeldius, *Chriſtophorus* B. Teuffenbachius, *Adolphus* princeps a Schuartzenburg; ex Hungaris: *Petrus*, et *Thomas* Erdödi, *Georgius* Zrini, *Nicolaus* Pálfi, *Franciſcus* Nádasdi, et *Georgius* Thurzó.

§. V.

Sigismundus Wayuoda in regis Hungariae clientelam concedit.

Ad bellum hoc maiore, quam vnquam ante, cum ſucceſſu gerendum, plurimum momenti attulit illud, quod Tranſſiluani intima tum cum Hungaris foederis, et armorum ſocietate coniuncti erant: praeterea Moldaui non minus, quam Valachi, Turcicam ſeruitutem deteſtati, ad priſtinam S. coronae iurisdictionem poſtliminio redierint, ac vtrisque dextras vna, et vires in communem hoſtem iunxerint. Iuuat rem multis poſtea viciſſitudinibus agitatam paulo altius repetere: *Chriſtophorus* Báthori de Somlyo Wayuoda Tranſſiluaniae, cum mortem ſibi inſtare ſenſiſſet, adnitente germano ſuo *Stephano* Poloniae rege, in generalibus prouinciae comitiis A. 1581. id impetrauerat, vt octennem filium 1581
Sigismundum ſibi in Wayuodatu ſucceſſorem conſtituerent; qui eodem anno demortuo patri cum ſuffectus fuiſſet, ac regendae prouinciae per aetatem adhuc impar eſſet, *Stephanus* rex Poloniae tutorem ei dedit *Ioannem* Gétzi, qui pluribus deinceps annis inſigni cum laude, et reipublicae commodo, pupilli vice Tranſſiluaniam moderatus fuit: additus huic erat *Alphonſus* Carillius e ſocietate Ieſu theologus Hiſpanus, qui tenero principi in religione, moribus, et ſcientiis inſtituendo praeeſſet. His igitur moderatoribus adoleſcentiam ingreſſus *Sigismundus*, Ot-

tomannicam ſocietatem, quae omnem ſibi cum Chriſtianis Europae principibus amicitiam interdicebat, ex animo faſtidire, ac ad ſanciendam cum *Rudolpho* caeſare Hungariae rege belli, pacisque communionem aſpirare coepit; ſtimulos illi addidere *Stephanus* Reſuan Moldauiae, et *Michael* Battus Tranſalpinae, ſeu Valachiae Wayuodae, qui dudum iam ſibi, ſuisque populis intolerabile iugum Ottomannicum exeutere conſtituerant: Hi igitur *Stephano* Poloniae rege, et *Ioanne* Zamoiskio magno regni cancellario agentibus, fidem *Sigismundo* dederant, ſe perpetuos eius clientes, ſociosue futuros, quamprimum optatum cum *Rudolpho* rege foedus ad exitum perduxiſſet: confidebant nempe fore, vt, ſi rex Hungariae, Tranſſiluanus, ac ipſi vnitis et viribus, et animis rem agerent, Turcae nullo negotio e ſacrae coronae Hungaricae ditionum dominatu deiicerentur. Vltimum demum fluctuanti adhuc *Sigismundi* animo arietem admouit *Sinanis* vezirii, de quo iam ſuperius meminimus, arrogantia: nam cum A. 1593 1593. *Georgius* Rauasdius *Sigismundi* legatus conſuetum annuum cenſum Bizantium attuliſſet, ac vna, ne durius deinceps vectigal Tranſſiluanis imponeretur, deprecatus fuiſſet, *Sinanes* ira correptus, *Sigismundum* imperatoris ſui ſeruum, atque mancipium eſſe, breuique ſuis cum Tranſſiluanis in duriſſimam ſeruitutem redigendum illoto prorſus ore effutiuerat: atroci huic denunciationi adiecit mandata ſane quam maxime ardua: vt ſibi, nempe proximo vere ad debellandos Hunga-

ros profecturo, honoris, et obſequii cauſa Belgradum vſque occurreret, tum vero L. mille haſtas XL. cubitos longas, totidem operas dolabris, et ligonibus inſtructas, ac immenſam denique cuiusuis generis annonae vim ad Danubium vſque deuehi curaret. Haec cum ex reduce *Rauasdio* intellexiſſet *Sigismundus*, et ſuam principis dignitatem, et popularium libertates, ac praerogatiuas adeo foede per vezirium violatas indigne ferens, tantum abeſt, vt quidquam eorum, quae *Sinanes* imperauerat, praeſtiterit, vt etiam indictis A. 1594. Száſzsebeſini comitiis, rei 1594
indignitate propalam in conuentu explicata, mentem ſuam de mittendo Turcis nuncio, foedereque cum caeſare ſanciendo aperuerit. Prouidum hoc, vtileque conſilium etſi non pauci probarint, multo tamen plures porro etiam in Turcica ſocietate perſiſtendum eſſe vrgebant, id cauſae allegantes, quod minime tantum virium haberet *Rudolphus*, vt Tranſſiluanos aduerſum Ottomannorum potentiam poſſet defendere: quodſi itaque bello ſuccumberent, quid aliud a victoribus Turcis, quam miſerrimam ſeruitutem, et ſupplicia exſpectanda haberent: non deerant, qui *Rudolphi* caeſaris, ac domus Auſtriacae dominatum auerſantes, malebant Turcarum eſſe ſocii, quam vno ſub capite cum Hungaris coaleſcere. Ea ſuorum renitentia vltra modum irritatus *Sigismundus*, indignabundus tum e comitiis diſceſſit, ac Albam Iuliam cum *Stephano* Botskai de Kis-Maria, auunculo, praecipuoque iam tum conſiliorum omnium

adminiſtro ſe recepit: proceres autem Tordae vna conuenere, vbi re iterum in quaeſtionem vocata, adeo ad Ottomannicam ſocietatem conſeruandam obfirmauere animum, vt, ſi *Sigismundus* a concepto propoſito dimoueri non poſſet, eumdem principatu, et vita ipſa deturbare conſtituerint: coniurationi huic, quod mirere, adhaeſit *Balthaſar* Báthori, *Sigismundi* patruelis, quem Wayuodatus ſpe oblata in ſuas partes pertraxerant, cancellarius item aulae *Wolfgangus* Kouatsótzi cum multis aliis primae nobilitatis, et ſubſellii viris. Haec tum clam agitata, et concluſa, cum et ex nunciis, et ex interceptis forte literis didiciſſet *Sigismundus*, comitia Claudiopolim tranſtulit, quo ipſe delecta militum praetorianorum manu ſtipatus cum peruenisſet, diſſimulato interea, quod in coniuratos conceperat, odio, per *Wolfgangum* Kouatsótzium cancellarium ordinibus regni vna congregatis edici iuſſit, fixum ſibi eſſe, deſertis Turcis, cum Hungariae rege foedus inire, qui huic ſuae voluntati refragari auſus fuerit, eum ſe pro ſuo, ac reipublicae hoſte habiturum. Ea denunciatione, et militum plateas, et fora vrbis percurſantium metu perculſi proceres, alii ex animo, alii ad ſpeciem principis imperio ſe obſequi ſunt profeſſi, tragoediae, quae die altero agenda erat, ignari: cum enim poſtridie, qui
1594 XXVI. Auguſti e. a. fuit, ſalutandi principis cauſa, magno numero ad palatium conueniſſent, ex *Stephani* Botskai conſilio, XIII. primi ordinis viri, per immiſſos milites com-

prehenſi ſunt: ex quibus nouem paucos poſt dies diuerſis in locis vario ſupplicii genere vitam finiere, bonis eorum omnibus in fiſcum redactis (*a*): reliqui autem, vt *Ioannes* Gerendi, *Albertus* Lonyai, Georgius Szalántzi, et *Balthaſar* Sziluáſi amicorum interuentu a morte liberati, bonorum publicatione mulctati, ſolum vertere ſunt coacti. Seueritas ea iis etiam, qui a principis parte ſtabant, vehementer diſplicuit, tum quod iuris ordo ſeruatus non erat, tum vero, quod nec cognato *Balthaſari* Báthori, neque eius vitrico *Ioanni* Iffiu parcitum fuerit, ceterum peracta triſti ea ſcena, cum *Sigismundus* conuentum ingreſſus, coniuratos exautorationem, mortemque ſibi machinatos fuiſſe multis verbis expoſuiſſet, ac etiam per literas, vt diximus, interceptas probaſſet, comitia ipſa iure caeſos, bonisque mulctatos pronunciarunt (*b*). Cum itaque nemo iam eſſet, qui principis voluntati refragari auderet, lecti ſunt oratores: *Stephanus* Botskai, *Alphonſus* Carillius theologus, *Gregorius* Tsáki, *Ioannes* Sigeri, *Albertus* Siuegh, et *Ioannes* Frátai, qui Pragam proficiſcerentur, optatum foedus cum *Rudolpho* caeſare perfecturi.

(*a*) Fuere hi: Alexander, Gabriel, et Franciſcus Kendi, Ioannes Iffiu, Balthaſar Báthori, Gregorius Deák, Ioannes Forró, Ioannes Bornemiſza, et Wolfgangus Kouatsótzi cancellarius.

(*b*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXIX. pag. 400.

§. VI.

Rudolphum inter et Sigismundum foederis conditiones.

Nil optatius ea legatione *Rudolpho* accidere potuit, vt qui dudum iam vias, modosque diſpiciebat, Tranſſiluaniae ad priſtinum obſequium reuocandae: itaque *Ioannem* Kutaſi cancellarium laurinenſem, *Stephanum* Szuhai Vacienſem epiſcopos, *Thomam* Erdödi Dalmatiae, et Croatiae banum, *Nicolaum* Pálfi transdanubianarum regni partium capitaneum, *Simonem* Forgátś pincernarum regalium magiſtrum, et *Ioannem* Loó de Kaſzaháza, perſonalis praeſentiae regiae in iudiciis locumtenentem e ſuis delegit, qui nuncio pontificio, oratore Hiſpano, et *Paulo* Trautson aulae mareſchallo arbitris, de pace cum Tranſſiluanis tranſigerent. Poſt paucorum dierum conſultationes his demum conditionibus concordia coaluit: *Sigismundo* Bathorio S. R. I. principis titulus cum aurei velleris torque daretur: Tranſſiluaniam, et vicinos IV. comitatus *Partium Hungariae* nomine appellatos, quae ad eum diem Wayuodae ſolum titulo et patri, et patruo eius per reges Hungariae conceſſa erant, ipſe hereditario deinceps ad maſculinum ſexum iure, principisque titulo poſſideret, clientem tamen ſe ſe S. coronae Hungaricae profiteretur, in cuius clientelae teſtimonium, *Sigismundus* mox a concluſo tractatu fidelitatis ſacramentum *Rudolpho* caeſari, qua Hungariae regi,

praeſtaret, eius autem heredes, et ſucceſſores eodem ſe ſe in ipſo principatus aditu ſemper obſtringerent. Cum vicini Moldauiae, et Valachiae Wayuodae in *Sigismundi* clientelam vltro conceſſerint, in has quoque prouincias ſupremum maieſtatis ius eidem, et heredibus illius permitteretur: quodſi Turcae bello Tranſſiluaniam appeterent, caeſar totis viribus clientem ſuum *Sigismundum* tueretur: quod communibus armis e Turcarum manibus vindicaſſent, id finibus, ditionibusque Hungariae accenſeretur: quod *Sigismundus* propriis viribus bello, aut pace recuperaſſet, id eodem, quo Tranſſiluaniam, feudi titulo ſibi retineret. Quodſi principatu eumdem deiici, aut depelli contingeret, rex Hungariae eidem de vitae pro principis dignitate traducendae mediis alibi proſpiceret. Deficiente autem virili *Sigismundi* Báthorii ſtirpe, cum aliae ditiones omnes, tum vero *Tranſſiluania* ipſa, *non in alterius*, vt pacta loquuntur, *quam in Rudolphi, eiusque ſucceſſorum Hungariae regum ditionem, et poteſtatem, tamquam verum, et inſeparabile membrum, abſque vlla controuerſia peruenire debeat, et ſuper hoc ipſe princeps ſe, ſuosque ordines, et omnes ſuae ditionis ſtatus iuramento fidei obſtringat.* Hoc porro caſu, ſi Tranſſiluani ad priſtinam S. coronae iurisdictionem redirent, ſalua eis ſint iura, priuilegia, et praerogatiuae, quibus ante ſunt gauiſi: liberum tum ſit regi Hungariae Wayuodam, aut gubernatorem toti prouinciae vicaria cum poteſtate praeficere, modo ne is exterus, aut ali-

unde, quam e Tranſſiluaniae nobilitate lectus ſit. Haec ſumma fuit XII. capitum, quae in ſolenne inſtrumentum relata, vtriusque partis oratorum ſigillis, et ſubſcriptione
1595 die XXVIII. Ianuarii A. 1595. ſignata ſunt: eadem haec pacta, quia nonnullarum S. coronae ditionum auulſionem continebant, et quia aetatis illius mos id exigebat, generalium eiusdem anni comitiorum Poſonii habitorum examini, et iudicio fuere commiſſa, quae poſtquam decreti tum editi articulo LVI. probata fuiſſent, *Rudolphus* caeſar ea demum die XIV. Martii eodem anno calculo ſuo roborauit: foedus hoc, vt eo firmius euaderet, *Rudolphus* caeſar *Mariam Chriſtiernam, Caroli* archiducis Auſtriae, ac Styriae domini filiam, *Ferdinandi* huius nominis II. imperatoris ſororem *Sigismundo* deſpondit, quibus omnibus rite confectis, lectiſſima ſponſa cum a formae venuſtate, tum vero a praeclaris animi dotibus, et Latini ſermonis peritia commendata, in ſereniſſimae matris *Mariae* Bauarae, et illuſtrium vtriusque ſexus perſonarum comitatu, in Tranſſiluaniam eſt deducta,
1595 ac eodem anno 1595. Claudiopoli in aede vrbis principe ex ritu eccleſiae Catholicae *Sigismundo* Tranſſiluaniae principi copulata (*a*). Moldauiae quoque, et Valachiae Wayuodae, datae antea fidei memores, quamprimum de confecto cum *Rudolpho* caeſare foedere ſunt edocti, certis pactis in *Sigismundi* cliente-

(*a*) Nicolai Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXIX.

iam conceſſere (*a*). His itaque foederibus confirmatus princeps Turcarum minas ridere coepit: Bizantina autem aula ex hac Valachorum, Moldauorum, ac Tranſſiluanorum cum rege Hungariae coniunctione, ſuo in Hungaria dominatui male metuens, vires omnes eo intendere ſtatuit, vt foedus illud ſibi tantopere inuiſum euerteret: quapropter *Sinanem* vezirium eodem anno maximis cum copiis ad inuadendam, ſubiugandamque Tranſſiluaniam dimiſit: eius aduentu cognito, nil turbatus *Sigismundus*, valido exercitu in Valachiam traducto, hoſti occurrit, expugnatoque, quod Turcae antea occupauerant, Siculicarum legionum virtute Buchereſto, recenti hoc ſucceſſu animatum militem recta in Turcas ducit, poſt diuturnum, et acre certamen, *Sinanes* magna cum caede profligatus, domum non ſine ignominia redire coactus fuit. Inter praecipuos victoriae huius fructus cenſeri poteſt, quod Turcis vehementer animi concidere, creuere ex aduerſo Tranſſiluanis, qui formidandum ſibi antea hoſtem, fortitudine ſua debellari poſſe proprio didicere experimento: vnde et hi in cuſtodiendo deinceps cum *Rudolpho* foedere et Moldaui vna, ac Valachi in principis *Si-*

(*a*) Pacta, quibus Michael Valachiae Wayuoda ſe, ſuos heredes ac gentem vniuerſam *Sigismundo* obſtrinxit die XX. Maii A. 1595. Albae Iuliae ſignata, lege, ſi placet, in doctiſſimi Pray diſſertationibus criticis ad Annales ſuos pag. 152.

gismundi clientela non mediocriter confirmati ſunt (*a*).

§. VII.

Sigismundus Tranſſiluaniam Rudolpho caeſari reſignat.

Glorioſa haec Tranſſiluanicae cum Hungaria ſocietatis initia, quae *Sigismundo*, eiusdemque poſteritati ſtabilem, felicemque Tranſſiluaniae poſſeſſionem polliceri poterant, non multo poſt, foeda illius animi inconſtantia corrupit, ſpesque omnes, quas foederati conceperant, peſſumdedit. Vix euoluto a nuptiis anno, *Sigismundus*, incertum prorſus qua de cauſa, quam vulgus magicis tribuebat incantationibus, nobiliſſimam coniugem vſque adeo faſtidire coepit, vt illa, perſoluta dote, domum remiſſa, Tranſſiluaniam *Rudolpho* reſignare, alibique priuatam agere vitam in animum induxerit. Quapropter cum aurei velleris e caeſaris manibus accipiendi cauſa A. 1597 1597. Pragam ſe contuliſſet, mentem ſuam eidem coram aperuit, tantaque obſtinatione negotium vrſit, vt, niſi ille votis ſuis morem gereret, Tranſſiluaniam Polonis, aut etiam

(*a*) Iſtuánfi lib. cit.

Turcis ſe ſe reſignaturum minaretur. *Rudolphus* etſi ignominiam cognatae ſuae illatam aegre ferret, ac ex intempeſta ea principatus abdicatione grauiſſimas Tranſſiluaniae turbas ſapienter proſpiceret, ne tamen prouincia adeo diues in alienas manus deueniret, annuit demum inconſtantis hominis pertinaciae, Oppolienſemque in Sileſia ducatum eidem addixit, cum annuo L. mille aureorum ſtipendio, ſcripſit praeterea germano ſuo *Maximiliano* archiduci, ſupremo Caſſouiae armorum praefecto, vt primo quoque tempore in Tranſſiluaniam ſe conferret, eamdemque vicaria poteſtate moderaretur interea, dum ipſe aliud aliquid de reipublicae ibidem adminiſtrandae ratione conſtituiſſet: verum maximo rei communis damno accidit, vt archidux, graui, diuturnoque morbo prohibitus, Tranſſiluaniae gubernacula adire nequiuerit. Interea *Sigismundus* voti damnatus, rebus ſuis rite diſpoſitis, Tranſſiluaniae gubernatione miſſis a caeſare legatis *Stephano* Szuhai epiſcopo Vacienſi, et *Nicolao* Iſtuánfi regni Hungariae palatini locumtenenti reſignata, lectiſſima denique coniuge ſupremum ſalutata, ac cum inſcripta ſibi dote domum redire iuſſa, vere anni 1598. Oppoliam diſceſſit, liberam a reipublicae curis, ac tranquillam, vt rebatur, vitam illic deinceps ducturus; ignorabat ſcilicet inconſtans princeps ab animi potius quiete, quam a loco vitae tranquillitatem eſſe repetendam. 1598

§. VIII.

Multiplex illius inconſtantia, et vitae exitus.

Vix pedem e prouincia extulit *Sigismundus*, cum continuo tempeſtas cogi coepit, multis deinceps annis, non ſine Hungariae damno, dirum in modum deſaeuitura: legati, quos a caeſare miſſos diximus, *Szuhaius*, et *Iſtuánfius* id in mandatis habebant, vt a Tranſſiluaniae ordinibus fidelitatis ſacramentum reciperent, prouinciamque ſubinde venturo propediem *Maximiliano* archiduci gubernandam aſſignarent, tum vero in id toto conatu incumbere iuſſi ſunt, vt *Michaelem* Valachiae Wayuodam, prouinciaeque primores, honeſtis quibusdam pactis, ad ſacrae coronae Hungaricae obſequium reuocarent, ac ad fidem ſuam *Rudolpho*, qua Hungariae regi, obſtringendam adducerent: nihil nempe ad continendos in officio Tranſſiluanos opportunius fore exiſtimabat caeſar, quam ſi vicinum Valachum fidum clientem, foederatumque haberet, cuius opera ad eos, qui res nouas moliri auderent, coercendos in promptu, et tuto vti poſſet. Legati imperata executuri, Tergouiſtum conceſſere, atque ibidem Wayuodam tota cum gente his fere pactis caeſari obſtrinxere: *Michael* eiusdemue heredes, nuncupato prius regi Hungariae fidelitatis ſacramento, hereditario iure Wayuodatum in Valachia obtinerent: in clientelae ſignum, annis ſingulis munera tranſmitterent: exſtincta *Michaelis* ſtirpe virili, prouinciales

uinciales quidem liberis ſuffragiis Wayuodas ſibi legerent, ſed qui a rege Hungariae confirmationem ſuam petere tenerentur: belli tempore *Michaeli*, eiusdemue in Wayuodatu ſucceſſoribus rex Hungariae ſtipendia V. millibus armatorum alendis ſuffectura quotannis numerari curaret, denique vniuerſae Valachorum genti liberum eſſet religionis auitae, ritusque Graeci vbiuis exercitium, quae omnia die IX. Iunii eodem anno 1598. 1598
vtrinque ſignata ſunt (*a*). Atque ſic tum Valachi citra vllam difficultatem, ad S. coronae Hungaricae obedientiam rediere: non perinde res habuit apud Tranſſiluanos. Cum enim *Maximilianus* archidux aegritudine prohibitus, prouinciae gubernacula ſuſcipere nequiuerit, neque *Rudolphus*, vt erat cunctis in negotiis cunctabundus, quidquam interea aliud de ea adminiſtranda conſtituerit, Tranſſiluaniae autem ordines nec *Chriſtiernae Sigismundi* coniugis, nec *Szuhaii*, et *Iſtuánfii* caeſaris legatorum in ſe autoritatem, et iurisdictionem vellent agnoſcere, idoneo capite deſtituti, coitiones facere coeperant. Cum multis aliis, quam caeſar regiminis Tranſſiluanici formam introducturus eſſet, incertis, cum vero imprimis *Botskaio*, qui nullam ſe deinceps in regni adminiſtratione partem habiturum praeuidebat, vehementer

(*a*) Vide Cl. Pray *Diſſertationes Hiſtorico-Criticas* pag. 155. et Nicolai Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXI. pag. 444.

innouatio quaeuis displicebat: eoque magis, quod potior prouincialium pars, et toti reipublicae generatim, et seorsim singulis vtilius fore existimauerit, si a proprio principe liberis suffragiis electo, certisque legibus obstricto gubernarentur, ac quemadmodum ante, ita porro etiam intimam cum Turcis colerent societatem. Itaque eo rerum articulo, id sibi agendum putauere, vt *Sigismundum* domum reuocatum, ad resumendum iterum principatum permouerent. Neque multis vrgendus erat, suapte mobili, inconstantique animo princeps, vt qui de Transsiluanorum in se voluntate per occultos nuncios, et literas edoctus, sine mora itineri se dedit, atque die XX. Augusti eiusdem anni Claudiopolim peruenit, hic cum *Christiernam* coniugem discessum tum in Stiriam paranem improuiso occupasset, cum eadem seu ex animo, seu ad speciem in gratiam rediit, atque mox a confluentibus magno numero prouincialibus, princeps proclamatus, reipublicae gubernationem vltro suscepit; ne autem regis Hungariae legati restitutioni suae intercedere, resque nouas moliri possent, eosdem custodiae mancipauit. Foedam hanc inhumanitatem turpiore mox perfidia cumulauit, cum suorum, qui iugum Ottomannicum Austriaco anteferebant, hortatu *Stephanum* Ouári ad *Mehemetem* Turcarum vezirium Tsanadini tum castra metantem misit de renouando pristinis pactis, et oneribus cum aula Bizantina foedere transacturum: nil enim dubitabat fore, vt Turcae eam Trans-

ſiluanos rurſum ſuam in clientelam recipiendi occaſionem, quam promptiſſime amplecterentur, ſicque ipſe ſe ſe a caeſaris armis tutum praeſtaret: verum *Mehemetes* ſiue quod nihil de hoc ab imperatore ſuo in mandatis haberet, ſiue vt Tranſſiluano eo maiorem formidinem incuteret, legatum, ob factam a Turcarum protectione ſeceſſionem, et iniurias ab eo tempore illatas, atrocioribus verbis caſtigatum, ſine mora eo, vnde venerat, iuſſit faceſſere. Ea re non mediocriter perculſus *Sigismundus*, ac inſuper alia ex parte *Rudolphi* caeſaris vindictam extimeſcens, *Demetrium* Napragi Tranſſiluaniae epiſcopum, et *Stephanum* Botskai oratores Pragam ablegauit, ſimul reditus ſui veniam, ſimul praeteritorum pactorum renouationem impetraturos: quorum etiam precibus aegre admodum placatus caeſar, Tranſſiluaniam iisdem, quibus ante ſancitum erat, pactis *Sigismundo* poſſidendam, reliquit: verum nondum oratores a placato caeſare domum redierant, cum *Sigismundus* nouis agitatus intemperiis, *Chriſtierna* coniuge iterum dimiſſa, ac ad ſuos redire iuſſa, patruum ſuum *Andream* Báthori S. R. E. cardinalem epiſcopum Varmienſem e Polonia euocauit, eidemque principio anni 1599. Tranſſiluaniam reſignauit ea 1599
lege, vt coniugi ſuae quantocyus dotem exſolueret, ſibi vero priuatam in Polonia vitam acturo, annis ſingulis XXIV. aureorum millia ſubmitteret. Vtrique conditioni haud grauate ſubſcripſit cardinalis, ac cum *Chriſtierna* ita tranſegit, vt ea contentam ſe fore

declararit, si sibi quotannis, quoad viueret, XV. aureorum millia numerarentur. At *Rudolphus* caesar ea Transsiluaniae, se inconsulto, facta cardinali cessione, sua regis Hungariae iura per summam perfidiam, et ingratitudinem a *Sigismundo* violata grauiter admodum, molesteque tulit, atque idcirco *Napragium*, et *Botskaium* legatos pancis antè diebus Praga digressos, quod mala fide secum egisse viderentur, ex itinere intercipi, ac in carcerem iussit coniici, supplicio eapropter afficiendos; quod profecto minime euasuri fuissent, nisi euidentissimis argumentis, et testimoniis, ac interposito insuper iureiurando, innocentiam suam, bonam fidem, et rerum, quae interea se absentibus in Transsiluania acta erant, ignorationem demonstrauissent. Hoc rerum apud Transsiluanos statu, *Michael* Valachiae Wayuoda, illustri aliquo edito facinore *Rudolphi* caesaris, cui, vt iam diximus, clientela se obstrinxerat, gratiam aucupaturus, quamuis haud ita pridem foedus cum *Andrea* cardinali pepigerat, prouinciam cum exercitu subiit, nilque hostile metuentem, atque ideo non satis ad vim propulsandam comparatum cardinalem die XXIX. Octobris e. a. aggressus, magna cum clade profligauit: qui cum e praelio fugitiuus per deuia nemorum in amicam tum Polonis Moldauiam euadere satagit, a Siculis prope passum Oitos miserum in modum obtruncatus, anno aetatis octauo supra vicesimum, regnum, et vitam perdidit, Albae Iuliae postea sepultus. Ab hac victoria porro etiam suis cum

copiis in Tranſſiluania remanſit Valachus, non ſolum, vt prouincialium motus prohiberet, verum etiam, quod ſpem ſibi faciebat, Tranſſiluaniae Wayuodatum a caeſare impetrandi; quapropter neque tum, cum *Georgius Baſta* caeſareo cum exercitu e. a. prouinciam ſubiit, is inde exceſſit. Multa ex eo tempore et *Rudolphus*, et, cui ille non Tranſſiluanicas minus, quam res Hungaricas dirigendas commiſerat, *Mathias* archidux de gubernandae, ac in officio continendae Tranſſiluaniae ratione conſilia agitabant; commendabatur ante ceteros pro Wayuodatu *Stephanus* Báthori caeſi cardinalis germanus: verum quod is cum *Sigismundo* principe ſanguine ſibi iuncto colluſurus, minimeque in ſacrae coronae fide conſtans futurus videbatur, haud eum idoneum cenſebat *Mathias*, cui ſumma rerum apud Tranſſiluanos tuto poſſet committi. *Michael* Valachiae Wayuoda totum ſibi deuinxerat *Malaſpinam* nuncium apoſtolicum, poſtquam ſe, miſſo ſchiſmati nuncio, et vnionem cum Latina eccleſia, et pontifici Romano obedientiam profeſſurum fidem dedit. Quapropter *Malaſpina* maiorem in modum *Mathiam* archiducem orauit, vt *Michaeli* Valacho Tranſſiluaniae Wayuodatum conferri procuraret, vtile id imprimis fore monarchiae, quod is, ſi Tranſſiluani res nouas moliri auderent, proprio ſuae gentis milite illis poſſet frenum iniicere: religioni quoque id acceſſurum, quod *Michaelis* exemplo, et opera vniuerſa Valachorum gens vnionem cum Romanis eſſet amplexura. At

conſiliis his acriter obſtitit conſultus a *Mathia* archiduce *Georgius Baſta*, qui hominis penitius iam ſibi cogniti vafram indolem, ac minus ſinceram in agendo fidem, adeo atris apud caeſarem coloribus adumbrauerat, vt grauem in *Malaſpinam* conceperit indignationem propterea, quod is vltra, quam ſibi commiſſum fuerat, progreſſus homini non ſatis ſibi perſpecto principatus Tranſſiluanici ſpem facere auſus fuerit, eoque imprudentia ſua rem adduxerit, vt, ſi Valachus repulſam pateretur, ex vtili ante cliente, indubie hoſtis caeſaris eſſet euaſurus: atque iſtud in cauſa fuit, quod caeſar, ne hominem copioſo milite ſubnixum irritaret, a nouo Wayuoda Tranſſiluanis praeficiendo abſtinuerit, arcanaque *Baſtae* mandata dederit, vt *Michaelem* cunctis beneuolentiae, et humanitatis officiis coleret, vna tamen honeſta aliqua ratione ad educendum e Tranſſiluania exercitum permoueret (*a*): verum cum Valachus deinceps quoque ſuo cum milite in Tranſſiluania morari pergeret, nec quidquam de ſuo domum reditu cogitaret, imo vero Wayuodatum, quem iam ſpe deuorauerat, vehementer apud caeſarem vrgeret: hic ad grauiores turbas, quas irritatus ille ciere poterat, prohibendas, aliquid hominis ambitioni deferendum putans, ſuum paulo ſerius
1600 menſe Iulio A. 1600. per Tranſſiluaniam lo-

(*a*) Notitiam hanc hauſimus ex Mathiae archiducis literis A. 1599. die XIV. Nouembris, III. item, et VIII. Decembris ad Dauidem comitem Vgnad de Sonnegh, caeſaris in Baſtae caſtris miniſtrum, datis.

cumtenentem promulgauit: haec inter nonnulli ex Tranſſiluanis clam in Poloniam elapſi, *Sigismundum Batborium* communi gentis nomine orauere, vt patriae caritate motus, iterum in prouinciam rediret, reſumtoque principatu, populares ſuos a Wayuodae Valachi dominatu vindicaret: haeſit ille aliquamdiu anceps, non tam, quod regnum bis iam dimiſſum auerſaretur, quam quod *Michaeli* Valacho, et *Georgio Baſtae* caeſarearum copiarum duci debellando imparem ſe cerneret; ancipitem, fluctuantemque inconſtantis hominis animum in optimi ſucceſſus ſpem erexit *Ioannes Zamoiski* Poloniae cancellarius: ex cuius conſilio ad diuidendas hoſtium vires ita rem aggredi placuit, vt *Ieremias* Moldauiae Wayuoda Polonorum foederatus in Valachiam milite tum deſtitutam irrumperet, ſicque *Michaelem* Wayuodam ad aras, et focos tuendos domum redire cogeret. Ceſſit principio *Zamoiskii* ſtratagema e ſententia: *Michael* enim audita Moldauorum in ditionem ſuam irruptione, milite omni e Tranſſiluania educto, domum rediit; verum, vt erat vir bellicae artis peritus, profligatum ſemel, ac iterum *Ieremiam* adeo in arctum concluſit Hotini, vt niſi Polonicae copiae a *Zamoiskio* ſubmiſſae ſubſidio veniſſent, eum certo certius in poteſtatem fuiſſet redacturus. Itaque euaſtata, qua late patebat, Moldauia, damna ſuis illata egregie vltus, rurſum in Tranſſiluaniam valido cum exercitu ſe infudit, collatoque ſibi a caeſare locumtenentis magiſtratu porro fungi coepit. Hic cum et ſua ipſius arrogantia, et into-

leranda militis ſui licentia omnium fere odia in ſe concitaſſet, Tranſſiluani correptis armis duce *Stephano* Tsáki, *Michaelem* prope Enyedinum adorti, non modo memorabili clade affecerunt, verum etiam, quod *Baſta* nullas ei ex condicto ſupperias ferret, e regno profligatum, in Valachiam reiecerunt. Hunc in modum ab inuiſo ſibi Valacho liberati Tranſſiluani, libentius iam *Rudolphi* caeſaris, qua regis Hungariae, dominatui ſe ſe ſubiecere, quodque diu iam ante incaſſum vrſerat caeſar, primores gentis ſolitum illi fidelitatis ſacramentum ſumma animorum conſenſione praeſtitere, *Georgio Baſta* copiarum duce caeſaris perſonam referente: miſſi deinde ſunt communi nomine Pragam legati id perfecturi, vt vel *Maximilianus* archidux principis poteſtate prouinciae moderandae praeficeretur, vel ordinibus prouinciae facultas daretur Wayuodam ſibi deligendi, aeque Hungariae regi fidelitatis iuramento obſtringendum. Verum cum caeſar, vt erat in grauiſſimis etiam negotiis definiendis vltra modum ſegnis, et cunctabundus, legatos aliquot menſibus absque reſponſo apud ſe retinuiſſet, multorum e Tranſſiluanis animos a ſe ſe alienauit: qua opportunitate vſus *Ioannes Zamoiski*, quo *Sigismundo* Báthorio, cuius ſororem in coniugio habebat, expeditius iter ad principatum redderet, Valachiam iuſto cum exercitu ingreſſus, *Michaelem* Wayuodam tanta cum caede profligauit, vt is cum paucis ſuorum in alpium abditis ſalutem quaerere ſit coactus: ab hac victoria cum *Zamoiskius* af-

finis reducendi causa in Transsiluaniam quoque se irrupturum simulasset, prouinciales, quid caesar legatis suis Pragae responsi daturus esset, incerti, non exspectato eorum aut nuncio, aut reditu Claudiopoli vere anni 1601. conuentum habuere, in quo *Sigismundus* Bathori rursus principatui restitutus fuit, missique continuo ad eum in vicina Moldauia commorantem nuncii, qui illum ad capessenda iterum prouinciae gubernacula inuitarent: quibus ille sine mora obsecutus sub finem Aprilis e. a. tertium iam principatus iura capessiuit. Communi huic defectioni *Georgius Basta* minime obsistere poterat, quod potiorem copiarum partem, ne Transsiluanis molestus esset, in hiberna per Hungariam distribuerat. *Sigismundus* autem, vt se in recuperato regno constabiliret, eodem tempore legatos et Bizantium ad *Mahometem* Turcarum imperatorem, et Pragam ad *Rudolphum* misit: ille perlibenter eam Transsiluanos rursum clientelae suae autorandi opportunitatem arripuit, confirmatoque sine mora principi, opem omnem aduersus quosuis hostes prolixe addixit: *Rudolphus* autem toties repetita *Sigismundi* inconstantia, et ingratitudine ad iustam prouocatus indignationem et legatos illius, et eos, quos a prouincialibus dudum iam ante missos meminimus, non sine stomacho, et Praga, et cunctis suis e terris iussit facessere. Atque sub hoc tempus cum *Michael* Valachiae Wayuoda a *Zamoiskio*, vt narrauimus, profligatus, Pragam appuliisset, adeo fidem suam caesari probauit, vt is hominem, vtilem

ſibi deinceps fore ratus, maximis, et honoribus, et muneribus prius excultum in Tranſſiluaniam remiſerit, datis ad *Georgium Baſtam* mandatis, vt communibus cum eodem conſiliis, et aequali cum poteſtate, prouinciam bello, paceque adminiſtraret. His igitur ducibus vnitis viribus bellum gerentibus, *Sigismundus* die II. Auguſti eodem anno tanta cum caede ſuorum deuictus fuit, vt aegre in Moldauiam fuga euaſerit. Sollicitatis deinde incaſſum per *Moyſen* Székely copiarum ſuarum ducem apud Turcas auxiliis, poſita recuperandi principatus ſpe, tantum in toties ab ſe offenſi *Rudolphi* caeſaris clementia fiduciae collocauit, vt oratorem ad eumdem Pragam miſerit, veniam deprecaturum, qua obtenta, ipſe reſignata prius in habito Clau-
1602 diopoli ordinum conuentu, A. 1602. *Baſtae* Tranſſiluaniae, eodem profectus, annua L. mille florenorum ſtipendia obtinuit ea lege, vt vitam deinceps in arce Lobkouicia ageret, neque ſe inconſulto pedem e Bohemia efferet, vnde ob proditionis ſuſpicionem A. 1610.
1610 Pragam traductus, honeſta in cuſtodia ad an-
1613 num vſque 1613. detentus obiit aetatis anno XL. (*a*): dignus ſane miſeratione princeps, qui res Tranſſiluanicas non minus, quam familiae ſuae proprias ingenii ſui mobilitate corrupit, occaſionemque praebuit, vt Tranſ-

(*a*) Copioſius haec videri poſſunt apud Iſtuánfi Hiſt. lib. XXXI. et ſequ. Wolfgangum Bethlen lib. X.

AD NOTITIAE RER. HVNG. PARTEM III.

TABELLA GENEALOGICA
Báthoriorum de Somlyó seculi XVI. et XVII.

Stephanus Báthori de Somlyó Waiuoda Tranſſilu. † 1534
Vxor Catharina Telegdi † 1547.

Andreas Báthori † 1562
Margaretha filia Stephani de Mailáth et Annae de Nádasd

Stephanus Báthori Rex Polon. † 1586.
Anna filia Sigismundi I. Reg. Polon. † 1596

Christophorus Báthori Waiuoda Tranſſiluaniae † 1581
Elisabetha Botskai † 1580

Clara Bàthori nupta Michaeli Vardai.

Sophia Báthori Nupta Demetrio Tsáki

Stephanus Báthori † 1606
Sophia Bebek

Balthaſar Báthori Caeſus 1594

Andreas Báthori S. R. E. Card. Princeps Tranſſilu; caeſus 1599

Sigismundus Báthori S. R. I. Tranſſilu. Mold. Valach. Princeps † 1613
Vxor Maria Chriſtina Caroli archiducis Auſtriae filia Nupta 1595 poſtea S. Monialis Halae † 1621

Gabriel Báthori Princeps Tranſſilu. Caeſus 1613

Andreas Báthori
Anna Zachreski Polona.

Sophia Báthori † 1682 nupta Georgio II. Rákótzi S. R. I. et Tranſſilu. principi.

ſiluani non modo disiuncti deinceps ab Hungaris ſeculo prope integro viuerent; verum etiam Turcis interdum ad euaſtandam Hungariam ſocia arma coniunxerint, ſicque in veteris patriae ſuae ruinam, fratrumque ſuorum excidium operam ſuam locauerint.

§. IX.

Caeſareae, et Bizantinae aulae diuerſa ſtudia ad Tranſſiluanos in fide retinendos.

Hunc in modum *Sigismundo* Bathorio e principatu excedente: *Benedictus* Mindſzenti cum aliquot ſociis Pragam miſſus fuit, primum, vt nouum fidelitatis iusiurandum a Tranſſiluanis recens praeſtitum caeſari referret, tum vero, vt, qua deinceps ille ratione Tranſſiluaniam gubernari vellet, cognoſceret, interea vero ſolus iam *Georgius Baſta* rem ciuilem non minus, quam militarem ſumma cum poteſtate procurabat: *Michaelem* enim Valachiae Wayuodam, quod pernicioſa eum caeſari conſilia agitare compererat, die 1. Septembris A. 1601. nocte concubia in ten- 1601
torio dormientem, per immiſſos militiae praefectos obtruncari curauit: cuius morte die poſtero vulgata, conterriti Valachi milites, praecipiti fuga domum rediere: de Valachi, ob arrogantiam, auaritiam, ac intolerandam eius militum licentiam toti prouinciae exoſi, caede etſi plerique gratularentur;

plurimis tamen diſplicuit, quod caeſar hominis tam ſibi antea et cari, et vtilis caput, citra vllam cauſae cognitionem, vnius *Baſtae* arbitrio commiſerit; cum itaque quisque conſimile fatum ſibi euenire poſſe metueret, *Baſtam* adeo ampla vitae, ac necis poteſtate inſtructum vereri primum, tum, quod inde conſequi ſolet, odiſſe coeperunt: odia haec auxit ipſe paulo aſperiore cum prouincialibus agendi ratione qua *Rudolphi* dominationis deſiderium penitus poſtea apud Tranſſiluanos exſtinctum fuit: interea dum prouinciae ordines legatorum, quos Pragam miſerant, reditum opperiuntur, caeſarisque de forma gubernationis Tranſſiluanicae mandata ſollicite exſpectant, aula Bizantina in ſecretiore ſuo ſenatu firmiter decreuerat, nulli labori, aut ſumtui parcendum, quo Tranſſiluanos ad priſtinam clientelam, ſocietatemque reuocaret: proprio quippe iam experimento didicerat, non magnas a ſe in Hungaria ſubiuganda progreſſiones fieri poſſe, ſi, dum bellum cum Hungaris geritur, a tergo Tranſſiluanos hoſtes habeat: quapropter Temeſienſes Turcae aulae ſuae mandata executuri, *Moyſen* Székely *Sigismundi* Báthorii copiarum ducem, qui poſt acceptam a *Baſta* cladem ad ſe profugerat, validis adiutum copiis in Tranſſiluaniam remiſere, ſimul autem, quos partium ſuarum ſtudioſos nouerant proceres, qua pollicitationibus, qua minis hortati ſunt, vt excuſſo *Rudolphi* iugo *Moyſen* ſibi principem conſtituerent: quod cum Tranſſiluani
1603 A. 1603. *Baſta* tum forte in Hungaria ab-

ſente potioribus ſuffragiis praeſtitiſſent, continuo *Moyſi* in principatu confirmato non modo ſolita dignitatis inſignia, verum copioſa etiam militum auxilia per Turcas ſunt ſubmiſſa. Verum huic nec felix, nec diuturnus fuit principatus. *Radulo* enim Valachiae Wayuoda, quem *Baſta* paulo prius ad fidelitatem ſuam caeſari obſtringendam adduxerat, nouum principem prope Coronam vrbem die XXII. Iulii e. a. aggreſſus, tanta clade affecit, vt is in fuga interceptus, atque obtruncatus interierit. Noua hac prouinciae defectione, ac vna *Moyſis* caede audita *Rudolphus*, longam, qua hactenus in ordinandis Tranſſiluaniae rebus non ſine monarchiae damno vſus erat, cunctationem abrupit, miſſisque ad *Baſtam* mandatis, decemvirum collegium e tribus nationibus: Hungaris, Siculis, et Saxonibus conflari iuſſit, cuius conſiliis prouincia deinceps gubernaretur: verum neque nouo hoc inſtituto quidquam ad Tranſſiluanos in obſequio retinendos profectum fuit, altiores iam communia totius gentis in *Baſtam* odia egerant radices, quam vt inuiſum hominem diutius apud ſe dominari paterentur: itaque iam tum de *Gabriele* Bethlen de Ictar, qui a *Moyſis* caede Temeſuarum ad Turcas effugerat, ad principatum euocando conſilia inibant, quorum votis obſecutus *Bechta* Temeſienſis praefectus, collectis, quas ſuo ſub imperio habebat, copiis, *Bethlenium* A. 1604. in Tranſſiluaniam inducere 1604
conatus fuit: verum a caeſareis ducibus intempeſta nocte oppreſſi, magna cum caede

in fugam acti, vterque aegre victorum manus euaſere. Atque hac tempeſtate *Stephanus* Botskai, qui turbas Tranſſiluaniae aliquot annis e propinquo in Hungaria ſpectabat, ſeu ſua ſponte, ſeu nonnullorum prouincialium hortatu coepit principatum Tranſſiluaniae aucupari: itaque datis ad *Gabrielem* Bethlenium, optime ſibi ante cognitum, ac tum apud Turcas exulantem literis monuit, ne, vt erat minime locuplete e domo ortus, opibus, neruoque proprio deſtitutus, fortunam aduerſus caeſareas copias incaſſum periclitaretur: ſibi potius, cui idoneae ad copias conſcribendas, bellumque gerendum adeſſent facultates, et Turcas, et prouinciales conciliare ſtuderet, in nauatae ea in re ſibi operae praemium ampliſſimos et honores et bona ab ſe iam principe accepturus. His promiſſis permotus *Bethlenius* vtrumque quam cumulatiſſime praeſtitit: conciliatis primum *Botskaio* Turcis, Tranſſiluanos quoque permouit, vt virum locupletem, ingenio promptum, et negotiorum, quae ad eum diem geſta ſunt, ſcientiſſimum, *Stephano* Tsáki, in quem plurimorum iam voluntates conſpirauerant, anteferrent. Quod autem *Stephano* Botskai expeditum et ad principatus dignitatem in Tranſſiluania, et ad autorandam partibus ſuis Hungariam iter praeſtitit, illud erat, quod et Tranſſiluanorum, et Hungarorum animi, vltra modum tunc a *Rudolpho* caeſare diuerſis ex cauſis alienati erant, vt mox narraturi ſumus.

§. X.

Georgii Baſtae inconſulta cum Tranſſiluanis agendi ratio.

Georgius Baſta parentibus ex Epiro oriundis in Italia natus, per omnes militiae gradus ad ſupremam belli imperatoris dignitatem aſcenderat: de eius virtute ſcientiaque militari tantam, quamuis pro merito, caeſar opinionem conceperat, vt pene in eo ſolo ſpes ſuas omnes collocatas haberet, eius fidei, et iudicio vnice confideret, neque vllis vnquam, quae de aſpera, inhumanaque illius agendi ratione non raro ad aulam deferebantur, querelis aures praeberet: cum itaque arcanum cum eo caeſar literarum commercium haberet, quod ille perſcripſerat, ſanctum erat, et, quidquid conſilii ſuggeſſerat, probabatur. Cum A. 1599. Tranſſiluaniam cum 1599
exercitu ſubiiſſet *Baſta*, *Mathias* archidux datis XIV. Nouembris e. anno Vienna literis, grauibus verbis eumdem monuit, vt ſumma humanitate, et circumſpectione cum Tranſſiluanis ageret: caueret cauſas omnes, quibus eorumdem animi poſſent a caeſare alienari, ſpeciatim autem praecepit, vt creditum ſibi militem ſeuera in diſciplina contineret; pro poteſtate prohiberet, ne is oneri potius eſſet prouinciae, quam ſaluti: neue cuiquam aliquid moleſtiae, praeſertim autem illis, qui caeſari addicti erant, adfer-

ret (*a*). Sapientiſſima haec mandata principio a *Baſta* diligenter obſeruata fuiſſe dubitari nequit: verum longiore tempore in prouincia commoratus, poſtquam rem ciuilem non minus, quam militarem ſummo cum imperio illic procurare coepit, ſeu ſuopte ingenio, ſeu multiplici nonnullorum inconſtantia paulo vehementius irritatus, aduerſus omnes prudentiae leges ita auare, et aſpere magiſtratum geſſit, vt *Nicolaus Iſtuánfi*, oculatus eorum temporum teſtis, praecipuam ſecutae poſtea *Botskaianae* ſeceſſionis cauſam illi vni adſcribere non dubitauerit (*b*). Praeter plurima contra ſolennem a caeſare cautionem Tranſſiluanis datam, aduerſus patrias leges, gentisque immunitates, in ciuili gubernatione pro arbitrio acta, praeter exaggerata tributa pro ſtipendiis militum ab omnibus nullo diſcrimine exacta, quo Tranſſiluanis ad excutiendum iugum modum omnem, neruumque ſubtraheret, quotquot locupletiores ſeu ciuitates, ſeu nobiles, atque dynaſtas compererat, hos vario praetextu, copioſo auro, et argento mulctabat: ignorabat ſcilicet *Baſta*, in ea demum ciuitate ſubditos libenter ſummi imperantis iugum pati, vbi opes, facultatesque per induſtriam parare

(*a*) Ex literis Mathiae archiducis ad Dauidem comitem ſab Vngnad in Baſtae caſtris agentem datis, eidemque Somlyouiae die XXII. Nouembris e. a. redditis.

(*b*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXIV. pag. 522.

rare, eisdemque ſecure frui licet. Aliud quoque acerbitatis genus in gentem contumeliae omnis impatientem exercuit: nobiliſſimos quippe viros contemtim habere: gentis mores, et propriam ei patriae viuendi conſuetudinem amaris ſalibus traducere, honeſtiſſimos quosque conuiciis laceſſere, nil penſi habuit. Supremi ducis exemplo, et impunitate animati milites, praeſertim cum ſtipendia deerant, velut in hoſtili prouincia ſpoliis, rapinis, atque omni iniuriarum genere incolas diuexabant: vt ii milites non iam vt amicos, fidelesque vitae, rerumque ſuarum propugnatores, ſed tamquam immaniſſimos hoſtes auerſarentur; haec quidem ad *Rudolphum* caeſarem plus ſimplici vice, et ſeorſim a multis, et communi totius gentis nomine delata fuere, additis precibus, vt crudeli homine e prouincia euocato, Wayuodaque conſtituto priſtinis et legibus, et moribus prouinciam gubernari iuberet: quae cum ſurda aure caeſar accepiſſet, eouſque odia Tranſſiluanorum creuere, vt vna iam omnium vox eſſet, modo *Baſtae* iugum poſſet excuti, quauis conditione Turcis potius eſſe ſeruiendum, quod hi annuo XV. mille aureorum tributo contenti, nullis vltra vectigalibus, aut militiae alendae oneribus prouinciales premere conſueuerint. Ceſſerat quidem ad extremum communibus totius gentis querelis caeſar, ſed tum, cum malum iam incurabile euaſerat, reuocatoque e Tranſſiluania *Baſtae*, *Iacobum* Barbianum ſuffecerat, eo prorſus tempore, quo clariſſimum belliducem in Tranſſiluania retineri,

pauloque validioribus copiis inſtrui oportebat, vt *Stephanum* Botskai ab occupanda pro-
1605 uincia prohiberet: ac reapſe A. 1605. rurſus *Baſta* in Tranſſiluaniam redire iuſſus, *Botskaium* profligauerat, ſed cum in exhauſta regione nil amplius pecuniae in copiarum ſtipendia poſſet corradere, potiore caeſareorum militum parte e caſtris diſcedente, *Baſta* ipſe cum paucis ſuorum ad tutiora ſecedere, prouinciamque *Stephano* Botskai occupandam relinquere coactus fuit.

§. XI.

Perturbatus id temporis Hungariae ſtatus.

In Hungaria quoque diu iam gliſcebat ignis ſub cinere, qui affuſo poſtea per *Stephanum* Botskai oleo, in apertum, idemque toti regno funeſtum erupit incendium: noſtrum erit, quaecumque demum illae tum fuerint, mali cauſas, vt ad poſterorum memoriam tranſmiſſae ſunt, fideli calamo explicare: dolebat diu iam Hungaris, perpetua illa *Rudolphi* caeſaris a regno, ac praeſertim a generalibus regni comitiis abſentia: in grauiſſimis etiam negotiis, quae moram non ferebant, expediendis tarditas, vt poſt plurium menſium interuallum ea interdum reſponſa redderet, quae mutatis interea rerum, temporumue adiunctis inutilia, imo nonnumquam

reipublicae noxia, ac idcirco effectu impoſſibilia euaſerant: ſpeciatim autem querebantur, plerosque regni epiſcopatus, baronatus, comitatus honores, ac ipſam adeo palatini dignitatem multis iam annis vacare: Dalmatiae, et Croatiae bani, generalium item regni capitaneorum in re militari poteſtatem arctiſſimis limitibus eſſe circumſcriptam, totamque rem bellicam per exteros militiae duces, ac praefectos adminiſtrari. Senatui, ſiue conſilio regio, Poſonii agenti exiguam conceſſam eſſe autoritatem, negotia Hungarica per miniſtros homines exteros, rerum, iurium, et conſuetudinum patriae rudes, ac inexpertos non ſine priuato multorum, et communi totius regni damno tractari: ampliſſimos S. coronae prouentus, ſacerdotiorum tot vacantium redditus, tributa, et vectigalia publica, gratuitaque ſubſidia, maligne admodum per quaeſtores regios adminiſtrari, nilque fere ad inſtauranda, ac rebus ad defenſionem neceſſariis opportune inſtruenda finitima Turcarum ditioni munimenta, aut confiniariorum militum ſtipendia inde impendi: ob peſſimam denique omnium reipublicae partium adminiſtrationem, adeo regni ſtatum eſſe perturbatum, vt niſi generali reformatione promptum malis remedium adferatur, illud ſuapte concidere, ac hoſtibus in praedam cedere oporteat. Haec cum copioſe, et ſaepius *Rudolpho* fuiſſent propoſita, commiſſionem e clero, magnatibus, nobilibusque conflatam Poſonii cogi iuſſit, quae praeſide *Erneſto* archiduce, de curandis reipublicae vulneribus delibera-

ret: at cum archidux nulla quidquam decidendi potestate esset instructus, ac quidquid ibi constitueretur, caesareorum ministrorum examini submitti oporteret, commissio illa re infecta dissoluta fuit. Cum itaque animorum apud Hungaros aegritudinem magis iam in dies crescere sensisset *Mathias* archidux, caesari persuasit, vt generalia regni comitia ad
1593 diem XXV. Ianuarii A. 1593. indiceret, id quod ille cumulate praestitit, cum *Mathiam* ipsum plena agendi, concludendique potestate instructum, vice sua eisdem praefecit: ac reapse in his comitiis, id operam dedit *Mathias*, vt salua caesaris dignitate quamplurimis Hungarorum querimoniis satisfieret. Principio enim ex datis ad se comitiorum responsis, paulo vehementiore calamo exaratis, exulceratos admodum omnium animos satis aperte cognouerat: sic die XIII. Februarii e. a. his verbis vsi fuere: „ Si infectis „ rebus hinc discedatur, alioquin fere iam „ desperati, extrema necessitate coacti, ad „ extrema descendere cogentur: vnde non „ ipsa modo Hungaria, verum et vniuersa „ Europa periclitetur„. Sed *Mathias*, cui excelsa Hungarorum indoles optime perspecta fuerat, ita tum prudentia, et moderatione sua exasperatos ordinum animos ad quietem reduxerat, vt has etiam minas mitigare postea, excusareque studuerint (*a*). Praeter haec,

(*a*) Pleraque ex his debemus mutuis *Mathiam* inter, et congregatos in comitiis regni ordines scriptis,

quae ſuccincta narratione complexi ſumus, alia etiam acceſſere, per quae priſtina gentis vulnera recruduere: grauis erat toti regno effuſa militis externi licentia: non ſecus enim, atque ſi in hoſtico ageret, fruges ex agris diripere, vina e cellariis educere, pecudes, et iumenta abigere, haecque omnia propalam venum exponere in more habebat, vt adeo egenae praeſertim plebi nil fere, vnde vitam toleraret, reſiduum relinqueretur: rapinis his conniuebant praefecti militares, quod aliqua pars lucri inde ad eos deriuari ſoleret (*a*): copiarum per Hungariam diſperſarum duces poteſtatis ſuae limites egreſſi, in ciuilem regni adminiſtrationem ſe ſe impune ingerebant: pro tribunali enim ſedere, cauſas promiſcue cognoſcere, lites iudicio ſuo dirimere, nobiles etiam viros apud ſe accuſatos plectere, et mulctare, iam apud eos in conſuetudinem abierat: *Iacobus* Barbianus, caeſarearum in ſuperiore Hungaria copiarum dux, praeter alia damna, et iniurias priuatis dominis illatas, Caſſouienſi ci-

---

quae a Dauide Vngnad L. B. de Sonneck conſilii bellici praeſide, ibidem inter indigenas tum relato, diligenter adnotata nobis legere licuit. Haec eadem illuſtrantur ex ipſis decreti V. tunc editi conſtitutionibus.

(*a*) Huc pertinent Rudolphi decret. IV. art. I. decret. VII. art. III. et XXIV. Decret. IX. art. III. decret. XIV. art. II. decret. XV. art. XII. et XIV. Vide item Iſtuánſi Hiſtor. a libro XXVIII. vſque XXXIV.

uitati XXVIII. pagos, quos ex priorum regum donatione tenuerant, ſua autoritate ademit, aerariique militaris rationibus addixit. Fiſcus regius in omnem lucri occaſionem intentus, nunc hos, nunc illos bonorum poſſeſſores in ius vocabat, ex quibus alii eius iudicio bonis ſuis multati, alii, vt ſe ſe in poſſeſſione confirmarent, ad magnam aeris vim aerario numerandam ſunt adacti: quamuis indubium ſit, bellis *Zápolyam* inter, ac *Ferdinandum*, tum vero *Maximilianum* inter, ac *Ioannem Sigismundum* longa annorum ſerie durantibus, multos aut derelicta demortuarum familiarum, aut etiam S. coronae bona per vim occupaſſe, ac idcirco eorumdem poſteros merito tum in ius fuiſſe a fiſco vocatos: ſed et hoc vitio illi datum fuit, quaſi odio potius, et aegre faciendi cupiditate, quam iuſtitiae ſtudio ageretur: quod denique multorum e regni dynaſtis, et proceribus animos commouit, fuit *Stephani Illésházi* curiae regiae magiſtri caſus; cum enim quaeſtor regius eo caeſarem induxiſſet, vt is Bazinium, et S. Georgium illius tunc ditionis oppida, inuito, ac reluctante domino in liberarum, ac regiarum ciuitatum numerum adſcripſerit, *Illésházius* ſcripto paulo acerbiore eam quaeſturae regiae aduerſus legum patriarum praeſcriptum agendi rationem exagitauit, ob quod ſcriptum de laeſa maieſtate accuſatus, Poſonium ad dicendam cauſam euocatus fuit: hic cum iudices regni ordinarii praeſide *Nicolao* Iſtuánfio palatini locumtenente, minime tam atrocis criminis

reatum illum incurriſſe cenſuiſſent, atque ideo ad coercendam ſolummodo, quaeſturae regiae dignitatem, et autoritatem inſectandi licentiam, mitiorem, quam caeſar vellet, in *Illésházium* ſententiam pronunciaſſent, iudicii praeſes *Iſtuánfius* Pragam euocatus, iuſſus fuit illuſtrata ibidem cauſa, laeſae maieſtatis poenas in *Illésházium* decernere, quod cum ille ne faceret, legibus regni ſe prohiberi reſpondiſſet, *Rudolphus* paulo grauius indignatus, iudices nouos Viennae conſtituit, qui cauſam eam denuo cognoſcerent, ac ad omnem iuſtitiae rigorem deciderent: ab hoc iudicio cum *Illésházius* capitis, et fortunarum poenam ſibi iam decretam per *Mathiam* archiducem admonitus fuiſſet, capitis periculum anteuerſurus A. 1603. in vicinam Po- 1603
loniam fuga euaſit, (*a*) reuocandus poſtea, plurimumque operae ad reſtinguendam Botskaianam ſeceſſionem allaturus, vt breui narraturi ſumus.

§. XII.

Stephani Botskai artes ad commouendam apud Hungaros ſeditionem.

Hac ratione comparatos eſſe Hungarorum animos cum non ignoraret *Stephanus* Botskai,

(*a*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXIII.

poſtquam e ſuis ad *Gabrielem* Bethlenium, et huius ad ſe literis per caeſareos duces interceptis, prodita iam eſſe conſilia ſua ſenſiſſet, ac vna de ſe clam intercipiendo agi intellexiſſet, poſita larua id, quod ante conſtitutum habebat, aperte iam ſibi agendum putauit: ſed neque iam ſolam Tranſſiluaniam ſibi ſubdere, verum etiam Hungariam ipſam a caeſaris imperio abſtrahere decreuit. Quapropter per literas primum, ac nuncios potentiores earum partium dynaſtas, ac nobiles, quos paulo vehementius a *Rudolpho* alienatos nouerat, ad ineundam ſecum pro reſtauranda gentis libertate armorum ſocietatem inuitauit: primi, qui ei adhaeſerunt, fuere: *Valentinus* Homonnai, *Paulus* Nyári, *Nicolaus* Dersfi, *Franciscus* Magotfi et *Georgius* de Széts opibus prae ceteris, et autoritate conſpicui. De horum, ac plurium e potentioribus in ſe fide certus, poſtquam Belgradenſem, Temeſienſem, ac Budenſem praefectos ad ſibi totis viribus aſſiſtendum mandata Bizantio accepiſſe, copiasque colligere
1604 intellexit, ſparſis exeunte A. 1604. per vniuerſum regnum libellis cunctos ad arma pro libertatibus, praerogatiuisque gentis vindicandis corripienda excitare conniſus fuit (*a*): cum autem ad eum diem nulla publica regni conſtitutione ſiue Auguſtanae, ſiue Heluеticae confeſſionis ſectatores ciuitate donati

(*a*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXIV.

essent, speciosum cupiditati suae velum praetexuit, vtriusque confessionis in Hungaria constabiliendae studium: sparsit enim *Rudolphum* caesarem firmiter decreuisse liberum vtrique exercitium interdicere: quod vt eo certius crederetur, occasionem praebuit decreti anno eodem a *Rudolpho* caesare editi postremum caput, (*a*) quo caesar cunctis decessorum suorum in Catholicae religionis fauorem constitutionibus ex plenitudine potestatis suae confirmatis, id vnum grauissimis sub poenis vetuit, ne quis in generalibus regni comitiis religionis negotia proponere ausit, ne disceptationibus inde enatis tempus, quod paulo grauioribus reipublicae deliberationibus sacrandum esset, non sine communi damno eriperetur: ac reapse prima haec fuere comitia, in quibus acatholici tacitis nominibus libellum supplicem caesari obtulere, templa ablata sibi restitui, ministros variis e locis a militiae ducibus eiectos reddi, liberumque religionis exercitium concedi flagitantes (*b*). Illud quoque, quamquam immerito, inuidiam, qua caesar laborabat, auxerat: quod cum Agrienses canonici occupata per Turcas Agria, Cassouiam demigrassent, caesar princeps eius vrbis D. *Elisabethae* templum, quod paulo prius reformati Catholicis eripuerant, veteribus possessoribus reddi, vsibusque canonicorum Agrien-

(*a*) Decreti XV. art. XXII.
(*b*) Ibidem articulo citato.

ſium deputari iuſſerit. His igitur magno animorum motu vbiuis per vniuerſum regnum acceptis: alii totam gentis ſuae felicitatem in libertate ſitam eſſe falſo arbitrati, ad hanc armis extorquendam, alii ad religionis ſuae exercitium obtinendum, plurimi denique, vt in communi ea regni perturbatione ſpoliis, et rapinis rem ſuam familiarem impune augerent, incredibili plane numero ex omni ordine ſub *Bostkaii* ſigna confluxere: is, vt erat rara prudentia, et longo rerum, negotiorumue tractandorum vſu inſigniter inſtructus, vt ea coniuratorum multitudo in fide, et officio facilius contineri poſſet, nec quisque, quod ſibi collibuiſſet, pro libidine ageret, ſiſtema quoddam ſibi coniurationis elaborandum, atque communi conſilio ſtabiliendum exiſtimauit: itaque in diem XVII.
1605 Aprilis A. 1605. conuentum ſuis in Zemplinienſi prouincia ad oppidum Szerents indixit: hic vt inter diuerſarum religionum, ſigna ſua ſequentium, aſſeclas voluntatum, ſtudiorumque conſenſionem firmaret, ſaluis, integrisque Catholicae religionis iuribus relictis, ſolis inſuper Auguſtanae, et Helueticae confeſſionis alumnis liberum decreuit religionis exercitium: ceteris religionibus per Hungariam interdictis: hoc quaſi mutuae apud ſuos vnionis fundamento iacto, communibus ſuffragiis lecti ſunt, qui ſeu ciuiles magiſtratus, ſeu militares praefecturas deinceps gererent: belli poſtea adminiſtrandi ratio deſcripta, ac quamuis *Rudolphum* Hungariae dominatu exuere fixum, ſtatutumque

fuerit, pacis tamen etiam, si eius necessitas appareret, cum caesare conficiendae conditiones iam tum definitae fuere: a quibus citra coniuratorum scitum non liceret *Botskaio* recedere (*a*).

§. XIII.

Rapida secessionis progressio.

His ex sententia prouide constitutis, *Stephanus* Botskai Transsiluaniam, caesareo milite propemodum vacuam, valida cum copiarum manu A. 1605. ingressus, in comitiis 1605
Claudiopolitanis, communibus votis princeps acclamatus, ac per internuncium Turcicum nomine aulae Bizantinae in dignitate confirmatus, fidelitatis sacramentum et accepit a Transsiluanis, et vicissim eisdem reddidit; tum prouinciae administratione *Sigismundo* Rákótzi interea commissa, in Hungariam reuolans, vniuersum regnum torrentis instar inundauit: nobilium magnatumque pars fidem caesari seruare certa, rebus, bonisque suis omnibus hostium direptioni relictis, ad tutiora loca se se receperunt, nonnulli ex improuiso occupati, vt a bonis, subditisque suis belli incommoda prohiberent, *Botskaia-*

(*a*) Vide Istuánsi Histor. lib. XXXIV.

nis ſeu ex animo, ſeu coacti ſe ſe coniunxere: arces plurimae, ac ciuitates, praeſertim montanae, quod nullo ad defenſionem apparatu erant prouiſae, maximo aerarii regii damno, in ſeditioſorum conceſſere poteſtatem, equidem tam rapida erat ſeceſſionis progreſſio, vt caeſareo milite vbiuis retrocedere coacto, inde a finibus Tranſſiluaniae, Poſonium vſque vnus dominaretur *Botskaius*. Miſeranda profecto fuit tum Hungariae conditio, hinc foederati *Botskaianis* Turcae, quidquid caeſareae fuit ditionis, foedum in modum depopulati, ferro, et igne euaſtabant, multaque mortalium millia in ſuam rapiebant ſeruitutem, illinc *Botskaiani* in patriae ſuae viſcera deſaeuiebant, multaque cum popularium ſuorum caede, exhauſtam alioquin Hungariam in ſolitudinem redigebant, nec defuere, qui eo crudelitatis progreſſi ſunt, vt quos bello coeperant Chriſtianos, Chriſtiani ipſi Turcis pro pretio venum dederint. Sic tum illi victoriis per ciuium, fratrumque ſuorum necem reportatis exultantes, eius gentis, quam barbarum in modum trucidabant, omnique iniuriarum, et calamitatum genere afficiebant, ſe libertatem, et ſalutem procurare iactabant: ad cumulum malorum acceſſit illud, quod *Botskai*, vt pares debellandis caeſareis copiis vires in promptu haberet, Tartaros ipſos in auxilium euocauerit, quibus vt expeditius eſſet in Hungariam iter, miſſa ad Polonos legatione effecit, vt eisdem per Poloniae fines tranſitus in Hungariam concederetur:

quot rurſum a foeda hac hominum colluuie oppida, et pagi in cineres redacti: quot hominum millia partim caeſa, partim in captiuitatem ſint abducta, quis calculum ineat? his igitur ſucceſſibus vſus *Stephanus* Botskai Turcarum rogatu, in campis Peſtinenſibus menſe Nouembri A. 1605. cum exercitu con- 1605
ſedit: vbi die D. *Martino* Hungariae tutelari ſacro, *Mehemetes* vezirius eidem, portae Ottomannicae nomine, coronam auream, ſceptrum, enſem, et vexillum tradidit, totiusque Hungariae regem pronunciauit: verum ille, ne apud ſuos inuidiam ſibi conflaret, a regis Hungarorum titulo conſtanter abſtinuit; per eam occaſionem *vezirius* imperatoris ſui *Achmetis* nomine *Botskaium* hortatus fuit, ne vnquam cum *Rudolpho* caeſare, et ceteris Auſtriacis principibus in gratiam rediret, atque occupatas nunc Hungariae ditiones ipſe vna, et ſucceſſores ſui pro viribus porro tueri ſatagerent: quem in finem non ſolum Turcarum auxilia praeſto ſemper futura, verum etiam ditiones omnes, quas porro poſſeſſurus eſſet, per decennium integrum ab omni tributo pendendo, immunes fore pollicitus fuit: fidem denique dedit, pacem, et amicitiam, quam *Botskaiani* cum aula Bizantina inibant, ſtabilem, ac perpetuam fore. Liberalis haec Turcarum oblatio multis probabatur: verum potior coniuratorum pars ab ea amplectenda abhorruit, quod ſanguinea amicitiae, et ſocietatis Ottomannicae

veſtigia, et cicatrices nondum conſanatas paſſim ſuismet vſurparent oculis, atque hinc factum fuit, vt aliquot e magnatibus opportunitatem nacti, a *Botskaii* ſignis diſceſſerint, Viennamque ſe receperint, caeſari ad ferale incendium tempeſtiue reſtinguendum, operam locaturi (*a*).

§. XIV.

Caeſaris ad ſopiendam ſeditionem ſtudia.

Communi hac totius propemodum gentis ab obſequio ſuo defectione intellecta, *Rudolphus* cum vna proximum regni amittendi diſcrimen inde conſequi poſſe ſapienter perſpiceret, ſepoſitis tantisper aſtronomicis occupationibus, ſerio ad adferendum malis remedium applicuit animum: verum omnia, quae ſeu per ſe, ſeu per *Mathiam* archiducem germanum ſuum adhibuit media, optato ſucceſſu caruere: etſi enim totus ordo eccleſiaſticus, ac non pauci e magnatibus, praeſertim Catholicis, a caeſaris partibus ſtabant, non eae tamen omnibus his fuere vires, vt *Botskaianorum* impetum poſſent retundere: ſed neque vllus ex his ea ſeu gratia, ſeu autoritate pollebat apud *Botskaium*,

(*a*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXIV.

vt hominem ſecundis tot ſucceſſibus elatum ad honeſtam aliquam pacis cum caeſare ineundae rationem poſſet adducere: poſt multa itaque ex aulae miniſtrorum conſilio incaſſum tentata, id demum *Rudolpho* caeſari ſuggeſſit *Mathias* archidux, vt *Stephanum* Illésházi Viennenſium iudicum ſententia biennio abhinc maieſtatis damnatum, ac in Polonia exulem, culpa, poenaque omni condonata, domum reuocaret, eiusdemque conſilio, et opera ad reſtinguendam ſeditionis flammam vteretur, illum enim magna apud ſuos eſſe et exiſtimatione, et autoritate: cumque aliena a Catholicis, Auguſtana ſacra ſequeretur, idoneum plane videri, ad acatholicos etiam caeſaris partibus conciliandos. Conſilio huic, quamquam illibenter, parendum tamen ſibi eo temporis articulo putauit *Rudolphus*: itaque *Mathiae* negotium dedit, vt oblata nomine ſuo vitae, bonorumque gratia, hominem Pragam ad ſe venire iuberet, quo ibidem de pacis cum *Botskaio* componendae conditionibus clarius, vberiusque poſſet edoceri. Poſtquam geminas huius argumenti literas accepiſſet *Illésházius*, nil iam de ſincera caeſaris in ſe voluntate addubitans, *Mathiae* archiduci reſpondit, minime e re caeſaris fore, ſi ipſe Pragam rediret, ſicque ſe eiusdem partes ſequi aperte declararet, quod omnis eius negotiatio *Botskaianis* ſuſpecta ſit futura: vtilius multo et caeſari, et patriae fore, ſi bona illius venia, liceret ſibi recta ad *Botskaium*, a quo crebris et literis, et nunciis euocaretur, ſe conferre: vbi con-

ciliata sibi hominis et beneuolentia, et fiducia, ea omnia, quae pro augustae domus Austriacae honore, atque commodo viderentur, summa fide, et diligentia esset acturus. Singulari huic consilio cum ex *Mathiae* archiducis suasu annuisset caesar, *Illésházius* e Polonia recta ad coniuratorum castra transiit, tantamque breui apud omnes autoritatem consecutus fuit, vt eumdem *Botskaius* praecipuum arcanorum consiliorum suorum arbitrum delegerit, nec quidquam deinceps illo inconsulto constituerit: atque in hac statione *Illésházius* datam caesari fidem nequaquam fefellit, summaque vsus circumspectione, ea deinceps egit, quae eum non modo patriae, verum etiam augustae domus studiosum fuisse probant. Illud profecto singulare fuit in patriam caritatis argumentum, quod cum ditionis caesareae ciuitates, et arces per Hungariam per *Botskaianos* sociis Turcis, partim vi, partim deditione occuparentur, studiose cauerit *Illésházius*, ne idmodi locis Turcae praesidio imponerentur, vt adeo hi toto eo bello nullius prorsus munimenti possessionem adierint: praeterea *Mathiam* archiducem per occultos nuncios cunctis de rebus, et *Botskaii* consiliis edocebat, ac quid, quaue ratione agendum esset, admonebat. Hoc rerum positu, *Mathias Sigismundum* Forgatsium ad *Botskaium* misit, qui caesaris nomine fidem daret, saluis religionis Catholicae iuribus, et praerogatiuis, Augustanae vna, ac Helueticae confessioni liberum fore

exerci-

exercitium : palatinum ceterosque vacantes regni magiſtratus in proximis comitiis creatum, ac vna ibidem reliquis coniuratorum querimoniis communi ordinum regni conſilio, et conſenſu ſatisfactum iri: haec cum die XIII. Nouembris A. 1605. propalam *Forgatsius* explicuiſſet, principio probari videbantur : at poſt dierum aliquot conſultationes et a *Botskaio*, et a coniuratorum ſenatu die XXV. eiusdem menſis ſunt reiecta; videbat nempe *Botskaius*, nil ſe e tota ea tragoedia lucri decerpturum, niſi ſibi Tranſſiluaniae poſſeſſio iis, quibus *Sigismundo* Báthorio conceſſa erat, iuribus, et conditionibus per caeſarem confirmaretur: ſed et alii clare perſpiciebant, minime ſe priuata ea commoda, quae ante ſperauerant, conſecuturos, ſi pacem illis, quas caeſar offerebat, conditionibus amplecterentur, vnde manifeſtum fit, plerosque non tam ad religionum ſuarum exercitium procurandum, vindicandasque gentis ſuae praerogatiuas, quam ad augenda priuata ſua emolumenta, arma corripuiſſe, quod neque tum haec ponere voluerint, cum caeſar ea omnia, quae famoſo ſuo libello coniurati querebantur, ſe curaturum addixit. Obſtinatio haec *Botskaianorum* non mediocriter diſplicuit *Illésházio*, qui cum pro certo teneret, numquam pacem coalituram, ſi caeſaris propoſitiones in pleno ſemper ſeditioſorum conuentu examinarentur, eo demum conſilio, ac prudentia ſua rem adduxit, vt et a *Botskaio*, et ab vniuerſo coniuratorum coetu plena cum agendi poteſtate orator ipſe 1605

ad *Mathiam* archiducem mitteretur (*a*): huic enim iam tum *Rudolphus*, turbarum Hungaricarum toedio correptus, totum pacis cum *Botskaio* ſanciendae negotium commiſerat, quae eo magis neceſſaria fuit, quod Bohemi pariter, et Moraui ad liberum religionum ſuarum exercitium extorquendum, veteresque gentis ſuae libertates, et praerogatiuas poſtliminio recuperandas, intimam cum *Botskaianis* armorum ſocietatem inire parabant, quod ſi bello adhuc durante ad exitum deduxiſſent, de Auſtriacae domus in Bohemicas ditiones dominatu actum erat.

§. XV.

Pacificatio Viennenſis.

Principio anni 1606. *Stephanus* Illésházi, et *Petrus* Maldoſſeuits *Botskaianorum* oratores Viennam appulſi, poſt dierum aliquot cum *Mathia* archiduce conſultationes, de cedenda *Botskaio* Tranſſiluania, ceterisque pacis capitibus nullo negotio conuenere: quae cum *Botskaio* ſubinde relata fuiſſent, is ſecundo rerum ſuarum ſucceſſu vltra modum elatus, mutata interea voluntate, minime iam

(*a*) Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXIV. a pag. 514. qui tamen ea, quae de Stephano Illésházio alio e fonte hauſta retulimus, ignoraſſe videtur.

iis, quae ante poſtulauerat, contentus, totam inſuper Transtibiscanam Hungariam, geminos ad haec *Beregienſem*, et *Vgotsienſem* comitatus, ac *Tokaienſem* denique dynaſtiam, ſibi hereditario ad poſteros iure tranſcribi flagitauit; noua haec poſtulata eo fine excogitauerat *Botskaius*, vt, ſi ea ſibi negarentur, ſpecioſam belli iterum ſuſcitandi cauſam nanciſceretur: multum *Illésházius*, *Paulus* Nyári, multique primi ordinis viri operae collocauerant, vt hominem ſibi propemodum ereptum ad aequiora traducerent conſilia, cumque oleum, et operam perdidiſſent, noua haec *Botskaii* poſtulata Viennam rurſus per oratores perferri oportuit, quae cum initio vt abnormia reiicerentur, *Illésházius* clam *Mathiam* admonuit, ne in iis, quae ad *Botskaii* perſonam pertinebant, concedendis difficilem ſe praeberet, propterea, quod is omni herede careret, ac paulo iam grauius ex aqua intercute laborans, medicorum ſententia propediem eſſet obiturus: a cuius obitu mox omnia ſuapte ad regis Hungariae ius eſſent deuoluenda: atque haec ſpes in cauſa fuit, vt *Mathias* paulo liberalius ſibi cum homine iam iam animam agente agendum cenſuerit, nos ſumma ſolum pacis capita hic loci attingemus: datum itaque *Botskaio*, vt in hereditario ad maſculini ſexus poſteros iure, iis nempe, quibus *Sigismundus* Báthori, conditionibus Tranſſiluaniam obtineret, cum *Bihariensi*, *Zarandienſi*, *Szolnokienſi*, et *Marmaroſienſi* comitatibus: his tres alii: *Szathmarienſis*, *Vgotſienſis*, *et Beregienſis* adiice-

rentur cum arce, et dominio *Tokaienſi*, quae omnia *Botskaio* absque heredibus decedente, nulla interpoſita mora ad S. coronae Hungaricae ius, atque proprietatem redirent: ex aduerſo autem *Botskaius* ea omnia, quae e caeſaris ditionibus rapuerat, mox a concluſa pace, caeſareorum hominum manibus reſignaret. Cum ceteris autem coniuratis ita transactum: in proximis regni comitiis more, ac inſtituto veteri palatinus eligeretur: cum communis omnium eſſet opinio, res Hungaricas ob perpetuam caeſaris a regno abſentiam, ac in negotiis expediendis tarditatem fuiſſe perturbatas, *Mathias* archidux gubernator Hungariae crearetur, abſentis caeſaris vices plena cum agendi poteſtate obiturus: ſaluis religionis Catholicae iuribus, ac praerogatiuis liberum Auguſtanae, et Helueticae confeſſioni addictis religionis ſuae exercitium indulgeretur: templa per vim, atque tumultum vtrinque ablata redderentur: eccleſiaſtici porro etiam cauſas iure patrio, et conſuetudine ad ſacrum forum pertinentes diſcuterent, ſi tamen limites iurisdictionis ſuae egreſſi, in res profanas inuolaſſe viderentur. in generalibus regni comitiis eorum autoritas ad id, quod aequum eſt, reſtringeretur: camerarum, aerariique regii adminiſtri Hungari deinceps, iidemque e ſeculari ordine conſtituerentur: praefecturae militares *Iaurino*, et *Comaromio* excepto, Hungaris crederentur: iniuriae, et damna ſeceſſionis tempore ſibi mutuo illata condonarentur: denique cum *Rudolphus* regia fide cauerit, ſe leges, im-

munitates, et conſuetudines gentis ſaluas deinceps ſeruaturum, confoederationes, coniurationesque omnes in terrae principem hactenus initae, ſine mora definerent, ac in perpetuum deinceps interdictae eſſent. His aliisque die XXIII. Iunii A. 1606. *Mathias* archidux cum iunctis ſibi Germanis, Hungarisque miniſtris *Paulo Sixto* comite Trautſon, *Carolo* a Liechtenſtein, *Erneſto* a Molard, *Sigefrido* Preiner, *Thoma Erdödi* Tauernico, *Georgio* Thurzo, *Sigismundo* Forgáts, *Vdalrico* a Kremberg, ac praeterea *Botskaianorum* oratores: *Stephanus* Illésházi, *Thomas* Vízkeleti, *Andreas* Oſtroſich, et *Paulus* Apponyi ſubſcripſere: eadem *Rudolphus* caeſar die VI. Auguſti e. a. calculo ſuo roborauit: gemina praeterea inſtrumenta ſub id tempus confecta ſunt: alterum, quo Hungari die XXIII. Septembris Bohemiae regni ordinibus fidem dant, ſe pacis capita omnia ſponte, non coacte amplecti, ac fideliter deinceps obſeruare velle: alterum, quo die XXVI. eiusdem menſis Bohemi viciſſim cautionem dedere, eadem et a caeſare, et a ſe cuſtoditum iri (*a*). Reſtincto hunc in modum bello ciuili, Turcae quoque mitiores redditi opera *Stephani* Illésházi ad ineundam cum *Rudolpho* in viginti annos pacem ſunt adducti, per quam ſolius Strigonii, quod ſuis auſpiciis, armisque expugnauerant, acceſſione 1606

(*a*) Vberius hoc diſce ex pacificatione in codice iuris patrii edita.

priſtini eorum ditionis limites creuere: pax haec in caſtris Danubium inter, et Situam fluuios poſitis, die XI. Nouembris e. a. vtrinque ſignata fuit (*a*).

§. XVI.

Stephani Botskai obitus, et vltima voluntas.

Stephanus Botskai parto per ciuile bellum principatu, opibusque plane regiis ſibi comparatis haud diu fruitus die XXVIII. Decembris A. 1606. nullo prorſus herede relicto, Caſſouiae ex hydrope obiit: ne itaque, vt vi pacificationis Viennenſis cautum erat, et Tranſſiluania, et, qui eidem conceſſi erant, Hungariae comitatus ad ſacrae coronae dominatum redirent, per ſummam perfidiam moriens prohibere ſtuduit: ingraueſcente enim aegritudine, cum nulla iam illi ſpes vitae ſupereſſet, vocatis ad ſe coniuratorum primoribus autor fuit, vt mox a morte ſua nouum Tranſſiluaniae principem legerent *Valentinum* Drugeth de Homonna, quem ipſe cum ob inſignem prudentiam, tum vero opes immenſas ei dignitati et gerendae, et tuendae aptiſſimum fore cenſeret. Condito praeterea teſtamento ea et Tranſſiluanis, et Hungaris monita reliquit, quae quam lucu-

1606

(*a*) Ibidem.

lentiſſime demonſtrant, quam inſincera, perfidaque mente pacificationi Viennenſi ſubſcripſerit: quam iniquo in auguſtam domum Auſtriacam animo, quam item exigua ad patriae tranquillitatem, et ſalutem ferretur caritate. Nos pauca ſolum de multis excerpta compendio referemus: Hungaris igitur non minus, quam Tranſſiluanis autor fuit, ne vllo vnquam tempore, aut conditione Tranſſiluaniam immediato regis Hungariae imperio adiungi, ſubdiue paterentur, proprios ſemper prouinciae darent principes, Turcarum clientelae, ſocietatiue obnoxios: commodum id imprimis fore Hungaris, qui ſi libertates ſuas ab Auſtriacis principibus reſtringi aliquando ſentirent, promptum ſemper apud vicinos Tranſſiluaniae principes, ac per eos apud portam Ottomannicam auxilium eſſent reperturi: atque iſtud freno futurum Auſtriacis, ne durius cum gente Hungarica agere auderent: Tranſſiluanos autem hortatus fuit, vt ad aemulationem, diſcordiamque omnem domo prohibendam, a conſtituendo e prouinciae familiis principe abſtinerent: hunc potius ex illuſtrioribus, locupletoribusque Hungariae magnatibus ſibi eligerent, qui propriis etiam facultatibus ſuis decorum dignitatis ſuae poſſet tueri, et tamquam exterus, nullaque cum ſuis cognatione, vel affinitate implicitus, citra omne partium ſtudium, prouinciam gubernaret. Per eumdem hunc principem Hungarum, neceſſariam Tranſſiluanos inter, ac Hungaros ami-

citiam, animorumque conſenſionem conſeruatum iri. Haec fere ſunt praecipua ex eis, quae *Botskaius* vltimis cauit tabulis.

§. XVII.

Pacta pacis Viennenſis primi infringunt Tranſſiluani.

Huic igitur poſtremae *Stephani* Botskai voluntati, contra quam Viennenſi pace cautum fuerat (*a*), aliqua ex parte obſecuti ſunt Tranſſiluani: etſi enim *Valentinum* Homonnai partim propterea, quod *Botskaius* ſua vnius autoritate eum ſibi ſucceſſorem conſtituerit, partim quod illius potentiam vererentur, aperte repudiauerint, mox tamen, quaſi ea, quae Viennenſi pacificatione concluſa erant, nihil ad eos attinerent, die VII. Februarii
1607 A. 1607. *Sigismundum* Rákótzi quamquam inuitum, ac reluctantem principem iuſſere: cui etiam die IV. Martii e. a. confirmatio, et principatus inſignia per Turcicum internuncium conſignata ſunt: qui cum ſe per *Valentinum* Homonnai, praereptae ſibi dignitatis dolore abreptum, apud Turcas accuſatum, ſuſpectumque redditum intellexiſſet,

(*a*) Pacificationis Viennenſis quoad perſonam Stephani Botskai §. III. in codice iuris patrii.

vt reliquum, quod erat, prouectae iam aetatis tranquillus posset exigere, consentientibus prouinciae ordinibus principatum *Gabrieli* Báthori de Somlyó, *Stephani* Báthori, ac *Sophiae* Bebek de Pelseötz filio A. 1608. cessit, qua in re consequenda, ac impetranda etiam a Turcis confirmatione, quia *Gabrielis* Bethlen de Ictár operam sibi vtilissimam fuisse sensit *Báthorius*, trium sedium Siculicalium: *Tsík*. *Gyergyó*, et *Kászon* eumdem creauit iudicem: atque hac ratione *Bethlenius*, iam ante Hunyadiensi comitatu, bonisque amplissimis per *Botskaium* donatus, noua hac dignitatis accessione paulo iam maiorem non apud Turcas modo, verum etiam apud suos autoritatem consecutus, viam sibi ad supremam principis dignitatem praeparauit. *Rudolphus* caesar noua hac *Gabrielis* Báthorii electione, altera iam vice *Viennensem pacificationem* violari acerbe ferens, pro eo, ac debuit, acriter eidem obstitit, neque prius illi assensus fuit, quam postquam *Báthorius* per missos Pragam oratores, non solum ritu solenni illi, vt Hungariae regi, fidelitatem, et obedientiam professus fuit, verum etiam in id consensit, vt quo sacrae coronae in Transsiluaniam iura magis constabilirentur, praecipuis aliquot ciuitatibus, et locis munitis Germani militis praesidium imponeretur. Postquam autem *Mathias*, cedente *Rudolpho* fratre, rerum in Hungaria eodem adhuc anno potitus fuit, *Steph.* Illésházio negotium dedit, vt *Báthorium* vna, ac Transsiluanos, ad pacta Viennensi pacificationi conformia

1608

adigeret, quae cum et princeps ipſe, et prouinciae ordines iureiurando roborasſent, eademque *Nicolaus* Zegnyei, et *Sigismundus* Kornis Tranſſiluanorum legati poſtea in comitiis Poſonienſibus retuliſſent, quo maius illis robur accederet, decreto tum edito ſunt inſerta (*a*). Haec autem eorum ſumma fuit: *Gabriel* Báthori fidelem, ac obedientem regis Hungariae clientem ſe exhiberet: Tranſſiluaniam cum vicinis quatuor Hungariae comitatibus: *Bihariensi*, *Zarandiensi*, *Szolnokiensi*, et *Marmaroſiensi* ipſe, et heredes ſui maſculi poſſiderent, ſi absque herede obiret, vniuerſa haec ditio ad regis Hungariae ius reuerteretur: vt autem et de principis, et de prouincialium in ſe fide eo certior, ſecuriorue eſſet *Mathias*, celebriores ciuitates, et arces Germanorum praeſidium admitterent: ſed haec ſollicite tum, prouideque conſtituta, minime deinceps a Tranſſiluanis obſeruata ſunt, vt adeo merito mireris, eorum temporum in ſolennibus iureiurando etiam firmatis cum terrae principe tractatibus violandis facilitatem, iureque iam reiicias illorum querelas, qui Auſtriaca e domo reges noſtros fidem ſubditis ſuis datam fallere conſueuiſſe, calumniati ſunt.

(*a*) Mathiae decreti I. art. XI. et XIX. poſt coronationem.

§. XVIII.

Rudolphum inter, ac Mathiam fratres diſcordia.

Feruente adhuc *Botskaiana* tempeſtate, domeſticis diſſidiis auguſta domus Auſtriaca perturbari coepit: quae tamen minus, quam timeri poterat, damni poſtea attulere. Caelebs ad eum diem *Rudolphus* caeſar, cum nullam praeterea e *Mathia, Maximiliano*, et *Alberto* fratribus, pariter coniugii expertibus, ſpem poſteritatis cerneret, conſilium ſuſcepit, *Ferdinandum* archiducem, *Caroli* Styriae ducis filium, principem ſingulari probitate, ſapientia, atque prudentia conſpicuum, ac plurium iam ex *Maria* Bauara coniuge liberorum patrem, cunctis in ditionibus Auſtriacae domui obnoxiis ſucceſſorem conſtituendi: quapropter vt eum Germaniae principibus magis cognitum redderet, viamque ſenſim ad Romanorum regis dignitatem praepararet, ſemel ac iterum eumdem ad imperii comitia ſuo loco praeſidem ablegauerat. Eadem mente fuit *Philippus* III. rex Hiſpaniae, ac id ipſum, vt fieret, non tam ſuadebat *Rudolpho*, quam imperabat. Illius enim aetatis Habsburgica e domo reges Hiſpani, quod ſenioris fratris *Caroli* V. ad quem iure primogeniturae omnes Auſtriacae prouinciae pertinuerant, eſſent poſteri, multum ſibi iuris in *Ferdinandi* I. heredes, et ſucceſſores arrogabant. Illorum conſilio, et conſenſu iunioris lineae primogeniti in Germanicis terris ſuccedebant, *deinceps* autem ge-

nitorum archiducum ſtipendia, et fortuna ab illorum arbitrio, ac prouidentia pendebant: citra aulae Madritenſis ſcitum, nec foedera licebat Auſtriacis cum quoquam inire, nec bella indicere. Et vero, ne quid diſſimulemus, perpetuus ille Hiſpanorum in Auſtriacam aulam dominatus, et ſubmiſſa ab eis imperia, quia et a Germanorum, et ab Hungarorum moribus, ac inſtitutis plerumque abhorrebant, peſſimos nonnumquam habuere exitus, multumque ad alienandos ſubditorum a principe ſuo animos contulere: hoc tamen, quamquam graue, iugum Hiſpanicum patienter ferendum erat Auſtriacis, ne ſumme ſibi neceſſariis pecuniarum, et militum ſubſidiis, quae liberaliter ex Hiſpania accipiebant, ſpoliarentur. Horum ex tranſitu meminiſſe oportuit, vt multarum rerum, quae et tum, et deinceps ab Auſtriacis acta erant, cauſas eo clarius intelligeremus. Poſtquam igitur huic *Rudolphi* caeſaris, ac Madritenſis miniſterii de *Ferdinando* ſucceſſore creando deſtinationi, ceteri fratres omnes prona voluntate aſſenſerant, vnicus obſtitit *Mathias* archidux, negans ſe admiſſurum, vt ſe caeſaris germano, ac legitimo herede ſuperſtite, tam opulenta ſucceſſio ad patrui filium deuolueretur: ob quam interceſſionem cum et *Rudolphum*, et Hiſpanos ſibi infenſos eſſe non ignoraret, fortunam quantocyus experiri, ac ſiue conſilio, ſiue armis certam ſibi reddere conſtituit Auſtriacis in terris ſucceſſionem. *Stephanus* Illésházi miſſus ſub id tempus ad pacem componendam a *Botskaianis* Viennam

legatus, poſtquam et ex aulicis, et ex *Mathia* ipſo domeſticae diſcordiae cauſam cognouit, anxium, fluctuantemque huius animum, Hungaria certo certius potiendi ſpe compleuit, modo *Mathias* viciſſim id in proximis regni comitiis operam daret, vt ipſe regni palatinus eligeretur. His promiſſis clam vtrinque factis, *Mathias* vocatis ad ſe, *Paulo* Trautſon, *Carolo* Liechtenſtein, et *Sigefrido* Preiner potentiſſimis, ac ſibi fidiſſimis, Auſtriae dynaſtis, mentem ſuam de aſſirmanda ſibi, viuente adhuc caeſare, in Auſtriacis ditionibus ſucceſſione aperuit: qui non modo ſuam illi fidem quam libentiſſime obligarunt, verum etiam eo ſubinde rem adduxere, vt vniuerſi fere Auſtriae ordines in idem propoſitum conſpirauerint, ſolennique chyrographo cauerint, ſe *Mathiae* archiduci conſtanter fideles fore, auxiliaque contra quosuis eius aduerſarios, ne caeſare quidem, ſi obniti porro pergeret, excepto, quam cumulatiſſime praeſtituros. Inopinata haec Auſtriacorum pro *Mathia* archiduce coniuratio, ignaro prorſus caeſare, A. 1607. ad exitum 1607
deducta fuit. *Illésházius* autem fidem datam liberaturus, poſt terminatam Viennenſem pacem, in Hungariam reuerſus, primum omnium *Georgium* Thurzo de Bethlehem-falua, qui in *Rudolphi* caeſaris fide conſtans ad id tempus perſeuerauerat, ad ſua conſilia traduxit, eidemque negotium dedit, vt interea cis, et transdanubianae Hungariae magnates, atque nobiles, ad *Mathiae* archiducis partes ſequendas, ferendaque, ſi res ita ferret, pro

illo in regem Hungariae eligendo ſuffragia permoueret: quod is non impigre poſtea praeſtitit. Ipſe autem *Illésházius*, qui tum forte ad ſuperiorem aeque, ac Tibiſcanam Hungariam, a *Botskaianorum* manibus in *Rudolphi* obſequium recipiendam, vt commiſſarius caeſareus miſſus erat, per eamdem opportunitatem, cunctos earum partium dynaſtas, ac nobiles, ipſosque adeo Tranſſiluanos *Mathiae* partibus conciliauit, vt adeo, ſigno dato, omnes ad arma pro eodem corripienda ſe conuolaturos fidem dederint.

§. XIX.

Rudolphus Auſtriam, et Hungariam Mathiae fratri cedit.

Interea *Mathias* de propenſis in ſe Hungarorum ſtudiis edoctus ſub principium anni
1608 1608. Poſonium ſe contulit: quo ſub idem tempus ingens primorum regni per *Illésházium*, et *Thurzonem* alio ſub praetextu excitorum frequentia confluxerat. His igitur vna conuocatis, *Mathias* chyrographum, quod ab Auſtriae ordinibus acceperat, exhiberi iuſſit, orauitque, vt ipſi quoque conſimilem ſibi ex parte gentis Hungaricae cautionem darent. Cunctis, qui aderant, citra difficultatem aſſentientibus, vnus obſtitit *Franciscus* Forgáts ante epiſcopus Nitrienſis, tum vero *Rudolphi* beneficio ad Strigonienſem metropolim promotus, ac inſuper ex eiusdem commendatio-

ne, in S. R. E. cardinalium collegium cooptatus: qui cum in ſolenni illo chyrographo legeret, ita archiducis partes aduerſus quemuis aduerſarium ſequendas eſſe, vt ne caeſar quidem excideretur, negauit ſe vllo minarum, aut etiam mortis metu intentato adactum iri, vt tantam perfidiam, et ingratitudinem in caeſarem admitteret: quapropter cum a ſummi pontificis cubiculario in D. *Martini* templo Poſonii ſolitis cerimoniis pileum accepit, *Mathias*, qui caeſaris abſentis vices obire debuerat, vt ſuam indignationem declararet, ſponte ei ſolennitati ſe ſe ſubduxerat. Ceterum vnius antiſtitis, et inermis repugnantiam parui pendendam ratus *Mathias*, adulto vere anni 1608. cum delecto Hungaro, Auſtriacoque milite Morauiam ſubiit: cuius primores vbi ei fidelitatis ſacramentum nuncupaſſent, Bohemiam nemine reſiſtente ingreſſus, prope Tsaslauiam conſtitit, miſſisque Pragam legatis, Auſtriam primum, tum vero Hungariam ſibi a *Rudolpho* concedi flagitauit. Caeſar paucis ante diebus per comitem *Althan* de Auſtriacorum pro *Mathia* coniuratione edoctus, vt philoſophum oportebat, non magnopere commotus fuit, cumque huius in ſibi ſuccedendo iurium aequitatem non inuitus agnoſceret, poſt dierum aliquot cum ſuis conſultationes, fratris votis quam cumulatiſſime ſubſcripſit: totam imprimis Auſtriam vltro *Mathiae* ceſſit, tum vero certior redditus, Hungaros fidem ſuam iam illi obligaſſe, hos quoque a iurata ſibi olim, vt Hungariae regi, obedientia abſolutos 1608

Mathiae iuribus tranſcripſit: vt autem inauguratio quantocyus poſſet peragi, ſacrum regni Hungarici diadema, quod *Ferdinandus* I. ante ſex ſupra quinquaginta annos Pragam tranſtulerat, quodque nonniſi pro coronationis ſolenniis Poſonium deferri, ac iis peractis rurſum Pragam reuehi conſueuerat, ipſo D. *Ladislai* regis feſto, die XXVII. Iunii per cardinalem *Dietrichſteinium*, Olomucenſem epiſcopum, delectorum Hungariae procerum manibus conſignari curauit. Eadem occaſione, ne quae domeſticis in familia Auſtriaca diſſenſionibus deinceps occaſio praeberetur, ita ſibi Bohemiam, eodemque ſpectantes Morauiae, Sileſiae, Luſatiaeque prouincias retinuit, vt *Mathiam* iam tunc ſuum in illis ſucceſſorem conſtituerit; vnde hic poſtea ceteros inter titulos, *deſignatum in regem Bohemiae* ſe appellabat, id quod et diplomata, et nummi aurei hodiedum exſtantes loquuntur: *Ferdinando* autem archiduci praeter certam ſucceſſionis, ſi *Mathias* absque herede obiret, ſpem, Styriae, Carinthiae, et Carnioliae poſſeſſio ſtabilita fuit: ſic tum domeſticae illae diſcordiae citra omnem caedem ſunt ſopitae (*a*).

§. XX.

(*a*) Haec omnia copioſius videri poſſunt apud Iſtuánfi Hiſtor. lib. XXXIV. et continuationis eiusdem lib. XXXV. et VI.

§. XX.

Rudolphi caesaris obitus.

Cessioni huic triennio adhuc superstes *Rudolphus* caesar, anno demum 1612. die X. Ianuarii vitam clausit, *Mathiae*que fratri ex pactis, quorum supra meminimus, prouincias omnes moderandas reliquit, Pragae sepultus. Erat *Rudolphus* vt religione, ita ingenio quoque, et multarum disciplinarum cognitione conspicuus: verum literario otio ita ex animo deditus, vt, quod priuato homini summae laudi fuisset, id illi, vt tot populorum rectori, non immerito vitio sit datum: astronomicis praesertim obseruationibus, et calculis vltra modum immersus, ita subinde reipublicae curas, et negotia fastidire coepit, vt vel intimis aulae administris difficiles ad eum paterent aditus; postquam etiam de grauissimis monarchiae negotiis, quae moram non ferebant, edoctus fuit, adeo astronomiae studio sibi interdum ereptus fuit, vt mentem ad ea longiore etiam tempore non intenderet, responsaque per plures nonnumquam menses differret, ac talia tum redderet mandata, quae mutatis interea rerum rationibus, executioni amplius dari nequibant: qua sua siue negligentia, siue tergiuersatione res imprimis Transsiluanicas corrupit: in Hungaria autem iis motibus occasionem dedit, quibus monarchia Austriaca vehementer concussa haud procul distabat ab interitu. Vnde documentum capiant ii omnes, quos Diuina prouiden-

tia generi humano quacumque demum ratione moderando praefecit, vt honeſtis etiam, ac innocuis animi ſtudiis, et oblectationibus ita moderate ſemet mancipent, ne illorum cauſa communem curae ſuae creditorum ſalutem negligant. Cetera inter laude digna *Rudolphi* caeſaris inſtituta illud cenſeri poteſt, quod primus omnium ſcholas Catholi-
1586 cas A. 1586. Tyrnauiae ſtabiliuerit, collata ſcientiarum e ſocietate Ieſu profeſſoribus, et diſcipulis alendis vacante tum Praemonſtratenſium olim praepoſitura Thurocienſi: quam ille fundationem contra nonnullos aduerſari-
1588 os in comitiis A. 1588. ſumma conſtantia eſt tuitus: (*a*) *Gregoriani* quoque *calendarii* v-
1599 ſum A. 1599. in Hungariam lege publica introduxit, et mille florenorum mulcta roborauit (*b*).

§. XXI.

Nihilne iuris in Ruſſiam rubram amiſſum pace Bithonienſi.

Scriptores exteri, praeſertim autem Poloni, S. coronae Hungaricae in Ruſſiam rubram, atque Podoliam iura, per *Rudolphum* caeſa-
1589 rem ritu ſolenni A. 1589. amiſſa eſſe con-

(*a*) Decret. IV. in concluſione §. I. Vide Ioannis Szegedi rubricas ad citati decreti art. XLIV.
(*b*) Decreti X. art. XLV.

tendunt: ad quos refellendos satis erit rem, vti gesta erat, paucis explicare. *Stephano* Báthori Poloniae rege A. 1586. sine herede 1586
e viuis sublato, duo potissimum eius regni diadema ambiuere: *Maximilianus* archidux caesaris frater, et *Sigismundus* rex Sueciae: hic a *Ioannis* Zamoiskii cancellarii, ille a *Zborouii* factione electi, eodem prope tempore delecta cum militum manu inaugurationis causa Cracouiam contendere: verum commissa ad Silesiae limites pugna, *Maximilianus* victus in aduersae factionis Polonorum venit potestatem, apud quos biennium fere captiuus exegit, non sine *Rudolphi* caesaris, et cognatorum Austriacae domui principum indignatione; post multas demum praecipuarum Europae aularum, et cumprimis *Sixti* V. Papae interpellationes per pacem, quam *Bithonienſem*, et *Bendzinenſem* vocant A. 1589. die IX. Martii conclusam, e captiuita- 1589
te liberatus: tractatu hoc eo *Rudolphum* adegere Poloni, vt cunctis primum domus Austriacae, tum vero etiam regum Hungariae in quascumque demum regni Polonici ditiones iuribus, ac praetensionibus renunciaret: fidem quoque dare tum debuit caesar, se curaturum pro viribus, vt renunciationem hanc cuncti Austriacae domus principes, tum vero Hungariae ordines ratam haberent: illi caesari haud grauate assensi sunt, non item Hungari, quos *Rudolphus* cum saepe alias, tum vero quam maxime in comitiis A. 1593. 1593
ad renunciationi huic subscribendum incassum

ſollicitauit (*a*). Ipſe quoque *Nicolaus* Iſtuánſi palatini officii locumtenens, qui cum *Petro* Hereſintzi Iaurinenſi epiſcopo aulae cancellario, nomine regis Hungariae tractatui Bithonienſi intererat, coram caeſaris oratoribus, nomine gentis ſuae interceſſit, ne ea *Rudolphi* renunciatione veteribus S. coronae Hungaricae in Poloniam iuribus quidquam officeretur (*b*). Redux inde in Hungariam *Iſtuánfius* eiusdem argumenti interceſſionem capitulo Scepuſienſi conſignauit, atque hac ratione tum etiam antiqua S. coronae in Ruſſiam rubram, et Podoliam iura ſatis prouide ſuſtentata ſunt.



(*a*) Ex propoſitionibus regiis die XI. Februarii A. 1593. per Mathiam archiducem ad ordines regni transmiſſis, eorumdemue reſponſis. Item ex Rudolphi II. literis haud ita pridem in lucem editis.
(*b*) Iſtuánſi Hiſtor. lib. XXVI. pag. 352.

MATHIAS II.

IMPERATOR,

REX XLII.

A. C. 1608.

§. I.

Mathiae regis inauguratio, ac noua quaepiam tum conſtituta.

Mathias cunctis, quae optare poterat, a *Rudolpho* fratre impetratis laetus, vt primum Viennam rediit, ſolo *regni Hungariae* gubernatoris titulo, ac poteſtate vſus, generalia comitia ad diem XXIX. Septembris e. a. Poſonium indixit, in quibus coronatio ſua perageretur, confirmataque Viennenſi pacificatione, idmodi conſtitutiones ederentur, quae ſtabilem deinceps regem inter, et populum concordiam, communemque totius gentis tranquillitatem, et ſalutem tuerentur. Itaque conſulto dilata noui regis optione, et inauguratione, ea prius, quae plerisque tum magis cordi erant, perferri placuit. Initium factum a religionis negotio: cuius diuerſitas ne mutuis inter ciues diſſidiis anſam deinceps praeberet, quemadmodum iam pace Viennen-

ſi ſancitum erat, praeter Catholicam religionem, Auguſtanae etiam, et Helueticae confeſſioni liberum vbique exercitium conceſſum, dataque vtrique huic facultas ſuperintendentes conſtituendi, qui ſuis quique ſacris praeeſſent (*a*). Sancita cum Turcis pace, quieteque patriae reddita, cum exterae copiae minime iam neceſſariae viderentur, miles exterus omnis e regno educatur: neque regi deinceps liberum ſit, citra ordinum conſenſum, bellum cuiquam indicere, vel militiam extraneam rurſus in regnum reuocare (*b*). Capitaneatus et bellicae praefecturae omnes, exautoratis exteris, ſolis deinceps Hungaris conferantur: vnus laurinenſis praeſidii capitaneus ſua in ſtatione ad tempus confirmatus, ea tamen lege, vt collegam acciperet Hungarum, ac vna comitis palatini iurisdictioni ſubiaceret: in tota autem Dalmatia, Croatia, et Sclauonia omnis res militaris a bani vnius imperio, et autoritate dependeret (*c*). Rex deinceps in regno habitaret: quodſi eum grauibus de cauſis diutius inde abeſſe oporteret, palatinus cum conſilio regio Hungarico plena regnum gubernandi poteſtate eſſet inſtructus (*d*). Quo conſilium Hungaricum, et cancellaria Hungarica eo opportuniora, ac reipublicae vti-

(*a*) Mathiae decreti I. artic. I. ante coronat.
(*b*) Ibidem art. II. et XII.
(*c*) Ibidem art. XI.
(*d*) Ibidem art. XVIII.

liora consilia regi possit suggerere, delecti ex omnibus monarchiae Hungaricae partibus, negotiorumque vsu insigniter exculti viri ad vtrumque dicasterium, citra religionis discrimen, accersérentur, interdictumque deinceps esset Hungaris, negotia sua Germanicis dicasteriis tractanda committere (*a*): vnde etiam donationes, et quaeuis literae regiae alia, quam per cancellariam Hungaricam, via, vel certe diuersa, quam quae vsu recepta sit, forma expeditae nullum robur haberent (*b*). Sacrosanctum regni diadema domum reuectum, Posonienſi in arce deinceps asseruaretur duorum e magnatibus, iisdemque secularibus custodiae creditum: (*c*) camera regia thesaurarii Hungari, pariter secularis, curae crederetur, nec vllatenus a Viennensis camerae aulicae iurisdictione dependeat (*d*). Etsi *Botskaiani* feruente adhuc bello ciuili, id sibi efficiendum proposuerant, vt ecclesiastici a secularibus regni muneribus, supremorum comitum honore, ipsoque adeo consilio regio penitus excluderentur, quia tamen id *Mathias* iam in pacificatione Viennensi, vt ab aequitate, et humanitate alienum, reiecerat, ea solum restrictio demum admissa fuit, vt illi tantummodo episcopi inter consiliarios referri, regioque consilio possint assistere,

(*a*) Ibidem art. X.
(*b*) Ibidem art. IX.
(*c*) Ibidem art. IV.
(*d*) Ibidem art. V.

qui ſuas reſidentias, cathedrales eccleſias, capitula, vel iura ſaltem poſſeſſionaria in regnis Hungaricis haberent, quo decreto titulares epiſcopi, qui ad ſolos Dalmatinarum eccleſiarum, olim ad S. coronae Hungaricae ius ſpectantium, titulos per reges Hungariae eligi conſueuerunt, a conſilio regio ſunt excluſi (*a*). Nec quidquam porro de ſupremi comitis officio epiſcopis adimendo, his in comitiis conſtitutum fuit, quamuis autem anno inſequente eadem quaeſtio recruduerit, nil tamen aliud tum etiam ſancitum erat, quam vt ii, qui ex deceſſorum regum gratia, honorem hunc eccleſiae ſuae perpetuo vnitum fuiſſe affirmabant, priuilegia ſua in ſequentibus comitiis producerent: quod num ab illis reipſa praeſtitum ſit, vel ceteri regni ordines, ſua etiam cauſa, ab vrgenda illa quaeſtione conſulto ſibi abſtinendum putauerint, nil prorſus dicendum habemus. Denique ante *Mathiae* inaugurationem ea lex perlata fuit, vt deinceps pro palatinatu candidati gemini e Catholicis, totidemque ex acatholicis proponerentur a rege, relicta regnicolis libera, quem ex eis vellent, eligendi poteſtate: cumque prima haec apud Hungaros dignitas ſex ſupra quadraginta annos vacarit, ſancitum, vt, decedente e viuis palatino, comitia pro nouo eligendo deinceps intra anni ſpatium celebrarentur (*b*). Hac occaſione cum

(*a*) Ibidem art. VI.
(*b*) Ibidem art. III.

Mathias Thomam Erdödi, et *Sigismundum* Forgáts e Catholicis: ex Augustanis autem *Stephanum* Illésházi, et *Georgium* Thurzo pro palatini dignitate proposuisset, potioribus suffragiis lectus fuit *Illésházius*, nec mora, nouus palatinus de rege quantocyus constituendo ad ordines regni retulit: qui cum vnanimi acclamatione *Mathiae* regi vitam, et felicitatem precati fuissent, inaugurationis solennia in diem XIX. Nouembris e. a. indicta, ac per *Franciscum* Forgáts cardinalem Strigoniensem sunt peracta: quibus incredibili totius gentis laetitia, et gratulatione terminatis, sacra corona suis cum elenodiis, in multorum ad id deputatorum testium praesentia, *Petri* C. de Réua, et *Stephani* C. Pálfi recens creatorum custodum manibus resignata, ac in arcam suam reposita fuit: hanc porro arcam palatinus primum, tum tres ex praelatis, ac totidem regni barones sigillis suis roborarunt, priusquam arcis Posonienſis turri includeretur (*a*). Complures adhuc post regis inaugurationem editae fuere constitutiones, ex quibus praecipuas solum hic commemorare iuuat: ad multa incommoda, et altercationes non raro enatas in perpetuum resecandas, id quod dudum iam ab ipsis monarchiae Hungaricae incunabulis institutum, continuaque plurium seculorum consuetudine confirmatum fuerat, nouo decreto stabiliri placuit, vt vniuersum regni Hungarici corpus politicum e quatuor solummodo statibus constaret: e *praelatis* vi-

(*a*) Mathiae decreti I. post coronationem art. XVI.

delicet, *baronibus*, ſeu magnatibus, *nobilibus*, ac *liberis* denique *ciuitatibus*, vltra quos quatuor ordines, nulla deinceps hominum in Hungaria ſocietas diſtinctum aliquem ſtatum auſit efficere: quibus etiam ſingulis ſuus in comitiis conſidendi, votaque promendi ordo aſſignatus fuit (*a*). Praeterea cum animaduerſum fuiſſet, plurimas veterum Hungariae regum ſanctiones, mutatis iam rerum, ac temporum rationibus, minime obſeruari poſſe, aliis autem per nouas leges poſterius conditas derogatum eſſe, vt ordinarii regni iudices certam deinceps, ac vniformem iudicia ferendi normam haberent, delecti ſunt clariſſimi, iurisque peritiſſimi ex omni ordine viri, quibus negotium datum, vt vetus ius patrium corrigerent, ac recentiorum comitiorum conſtitutionibus conformarent. Fuere hi: *Franciſcus* Forgáts cardinalis Strigonienſis, *Stephanus* Illésházi comes palatinus, *Demetrius* Náprági electus Colocenſis archiepiſcopus, *Georgius* Thurzó dapiferorum, *Sigismundus* Forgáts pincernarum, *Petrus* de Réua S. coronae cuſtos, *Andreas* Oſtroſich, *Thomas* Vízkeleti, *Emericus* Megyeri, *Moyſes* Tziráki, *Andreas* Kereſztúri, *Ioannes* Boſsáni, *Ioannes* Lippai, *Martinus* Benitzki, *Ladislaus* Horuát, *Franciscus* Szántóházi, *Ioannes* Ioó, *Nicolaus* Mednyánſzki, et *Michael* Szerdahelyi, qui anno inſequente die

(*a*) Ibidem art. I.

VIII. Martii dominica I. quadrageſimae, vtiliſſimo huic labori Poſonii initium dedere (*a*). Denique his in comitiis conditiones, quibus *Gabriel* Báthori princeps Tranſſiluaniae, prouinciaeque ordines fidem ſuam iureiurando interpoſito *Mathiae*, vt regi Hungariae, obligauerant, propalam per oratores Tranſſiluanos exhibitae omnium calculo probatae fuere, decretumque, vt eorumdem comitiorum conſtitutionibus inſerantur (*b*). Verúm, incertum cuius culpa, inde ſunt exmiſſae. Qui ea, quae hoc capite ſtrictim retulimus, diligentius expenderit, facile perſpiciet *Mathiae* regis autoritatem illis cumprimis articulis, qui ante coronationem perlati erant, non mediocriter fuiſſe reſtrictam, quibus tamen eo rerum ſuarum poſitu aſſentiri debuerat. Omnium autem acerbiſſimum illi acciderat, quod militem Germanum ſine mora ex Hungaria educere, tum vero tam camerae officia, quam ſortalitiorum omnium capitaneatus, et praefecturas militares exteris adimere, Hungarisque credere cogebatur: erant hos inter non pauci, variis e nationibus oriundi, qui inde a prima iuuentute ſua aduerſum Turcas in Hungaria meruere, multoque ſanguine fuſo, et praeclaris bello editis facinoribus id conſecuti erant, vt, poſtquam in armis conſenuiſſent, in meritorum ſuorum praemium, idmodi praefecturis militaribus admouerentur:

(*a*) Ibidem art. XII.
(*b*) Ibidem art. XIX.

hos igitur tam insigniter de patria meritos e stationibus suis deiicere, *Mathiae* regi et durum, et ab humanitate alienum videbatur, atque idcirco eos loco mouere, in dies differebat: quin etiam cum anno insequente ordines regni ad calendas Nouembres Posonium conuenissent, animi sui eapropter aegritudinem minime dissimulandam arbitratus, scripto grauioribus verbis concepto exprobrauit, legem illam, qua exteri non a ciuilibus modo, praesertim camerae muneribus, verum etiam militaribus in regno praefecturis arcebantur, non tam communis patriae studio, quam cum aliarum, tum vero Germanicae gentis odio dictatam, perlatamque fuisse: ingrati animi notam vix euitaturos Hungaros, quod multiplicium, quae exteri eis summa promptitudine, et constantia impenderunt, seruitiorum, sanguinis item, quem illi pro tuenda contra immanissimos hostes Hungaria, magna animi alacritate profuderunt, immemores, confecta iam cum Turcis vicennali pace, nullo illos amplius regni sui loco consistere patiantur: quodsi bellum iterum recrudescat, quid exspectandum aliud, ac vt exteri, dura hac secum agendi ratione offensi, Hungaris suppetias ferre, et patriae adeo sibi inimicae causa vitam, et sanguinem discrimini obiicere detrectent. Verum neque amara hac reprehensione quidquam profecit *Mathias*. Hungari enim respondere: optime se meminisse, quanta virtutis constantia exterae gentes Hungariam tamquam Christianitatis antemurale contra Turcas defenderint; merito id

tamen ab eis factum, quod ab Hungariae ſalute et Germaniae, et ceterorum vicinorum populorum ſecuritas, et incolumitas dependeat: ſed neque ea lege exteros penitus ex Hungaria exterminari: qui enim militiam ſequi velint, liberum eis fore, ſub Hungarorum capitaneorum ductu ſtipendia mereri: ceteris autem ampliſſimam concedi facultatem, vt quemadmodum ante, ita porro etiam in liberis, regiisque ciuitatibus, perpetuum figere poſſint domicilium, id quod eo pluris faciendum ſit, quod regiae ciuitates quartum regni Hungarici ſtatum conſtituant: dum autem Hungari exteros cum a publicis muneribus ciuilibus, tum vero a capitaneatibus, et praeſidiorum praefecturis arcent, id exterarum nationum exemplo, et imitatione fieri, apud quas nec ciuiles magiſtratus, nec militares praefecturae exteris, ſed domeſticis conferri ſoleant: fixum itaque eſſe ordinibus porro etiam ea, quae circa externae nationis homines ſiue pace Viennenſi, ſiue ſuperioris anni conſtitutione ſancita ſunt, tueri (*a*). Haec diffuſius hic loci explicanda erant, vt quae eorum temporum ratio fuerit, quid in monarchiae Hungaricae gubernationem noui ſit introductum, quam denique varia diuerſis aetatibus fuerint gentis Hungaricae placita, et ſtudia, eo clarius perſpiceretur. Sed et *Mathiae* regis eximia prudentia, et animi fortitudo ex illorum

(*a*) Mathiae decreti II. anni 1609. art. XI.

temporum actis quam luculentiſſime poteſt intelligi, qui etſi multis per pacem Viennenſem ſtatutis aſſentiri debuerat, multa nihilominus paulo duriora, et in his comitiis, et deinceps mitiora reddi, ac ad aequitatem reduci procurauit: ſic cum ad domeſtica odia reſtinguenda, et conciliandam inter ſuos animorum in commune bonum concordiam *Auguſtanae*, et *Helueticae* confeſſionis alumnis non liberum ſolummodo religionis exercitium conſtabiliuit, verum etiam ad quosuis tam ciuiles, quam militares magiſtratus, et dignitates aditum conceſſit, ita Catholicae religionis incolumitati vna proſpectum iuit, vt priſtina illius iura, et praerogatiuae ſaluae porro manerent, ſalua eſſet ſtatus eccleſiaſtici in regno dignitas, et in conſilio regio adſidendi, votaque ſua ferendi autoritas, ſalua in cauſis eccleſiaſticis ſacra iurisdictio, ſalua denique propria illi iura poſſeſſionaria: illa etiam, quae aduerſus regis maieſtatem, ac regni ipſius ſecuritatem primo feruore decreta erant, Hungaris ipſis non inuitis, ſubinde correxit: probe gnarus illa, quibus interdum ratio mederi non poterat, diuturniore mora conſanari.

§. II.

Mathiae conatus ad Tranſſiluanos in S. coronae obſequio retinendos.

Turcae interea opinione ſua celerius ſublata *Botskaiana* ſeceſſione, priſtinaque principem inter, ac ſubditos concordia, et fiducia reſtituta, cum ſe ab Hungaris deſertos, nil porro in Hungaria lucrifacere poſſe viderent, vna autem vererentur, ne, quod pace Viennenſi cautum erat, Tranſſiluani vno iterum ſub capite cum Hungaris copulati, arma, viresque cum his contra ſe coniungerent, in id toto ſtudio incubuere: vt prouinciam ab Hungaria abſtractam, quibuscumque demum pactis, in fide, clientelaque ſua conſeruarent. Itaque ſollicite cum illis, quorum erga ſe ſtudia explorata habebant, egere, vt *Báthorium* ad amplectendam portae Ottomannicae protectionem, confirmationemque inde petendam adducerent, et reapſe qua ſplendidis pollicitationibus, qua minis, id demum, quod optarant, conſecuti ſunt. *Báthorius* enim cum aliorum, tum vero *Gabrielis* Bethlenii, iam tum ad principatum aſpirantis, conſiliis inductus, eo ipſo tempore, quo ſui, prouincialiumque legati: *Ioannes* Imreſi, et *Sigismundus* Kornis coram regio commiſſario *Stephano* Illésházi, fidelitatis ſacramentum regi Hungariae Caſſouiae aeſtate A. 1608. nuncupabant, pactisque paci Viennenſi conformibus, ſacrae coronae obſequium amplectebantur, miſſis clam Bizantium ora- 1608

toribus *Achmeti* Turcorum imperatori se subiecit, atque per eumdem die XV. Augusti e. a. in principatu confirmatus fuit; non ita diu fraus haec celari poterat, vt caesarei ad portam ministri sagacitatem effugeret, qui cum *Mathiam* de rei gestae serie diligenter postea edocuisset, hic *Báthorii* perfidia vsque adeo commotus fuit, vt foedifragum hominem principatu deiicere, prouinciamque in ditionem suam redigere constituerit, quod vt eo facilius effectui daret, missis principio
1609 A. 1609. in Valachiam mandatis, *Radulonem* Wayuodam sibi fidei sacramento obstrictum in Transsiluaniam iussit irrumpere, insequente autem anno, *Sigismundum* Forgáts iudicem curiae valido cum Hungarorum exercitu eodem dimisit, qui coniunctis cum *Rádulone* viribus, *Báthorio* profligato, Transsiluaniam sub iugum mitteret: fauit principio fortuna Hungaris, Claudiopolis, pluresque aliae ciuitates in *Mathiae* regis fidem concessere, at cum Turcae *Raduloni* e Wayuodatu eiecto, alterum interea cognominem, suarumque partium studiosum sussecissent, magnoque numero in *Báthorii* auxilium conuolassent, *Sigismundus* Forgáts hostium numero victus, tota prouincia excedere coactus fuit, *Báthorius* autem eo successu elatus, aperte iam *Mathiae* regis obedientiam detrectauit. Iactura haec Hungaris ferenda erat, quod ipsi, citra Hungariae periculum, minime eo numero patrium militem e regno educere poterant, qui debellando Transsiluano sufficeret, *Mathiae* autem publicis comitiorum consti-

conſtitutionibus vetitum erat, exterarum nationum copias in regnum inducere. Interea *Báthorius* in principatu confirmatus, ob intolerandam alienos thoros inuadendi licentiam, crudelitatem, et auaritiam, adeo breui ſuis inuiſus euaſerat, vt, eodem in ordinem redacto, alium ſibi legere principem conſtituerint. Libellum itaque accuſationibus plenum non ad *Mathiam* Hungariae regem dominum ſuum, ſed ad portam Ottomannicam transmiſere, pro nouo principe eligendo facultatem ſibi dari flagitantes. Poſtquam iis fidem Bizantii haberi, ac reapſe de ſe exautorando agi intellexiſſet *Báthorius*, deſperatis iam domi rebus, A. 1612. nuncios ad *Georgium* Thurzo regni palatinum miſit, qui cautionem darent, ſe a clientela Turcica penitus receſſurum, regisque Hungariae perpetuum, et fidelem vaſallum futurum, ſi aduerſus Turcas, et infeſtos ſibi prouinciales eius armis defenderetur. *Mathias* palatini precibus aegre demum placatus, perfidum clientem iterum in gratiam recepit, opportunaque auxilia ſe primo quoque tempore miſſurum pollicitus fuit. 1612

§. III.

Gabriel de Bethlen ope Turcarum principatu apud Tranſſiluanos potitur.

Verum ſera iam fuere, quae *Mathias* ad *Báthorio* opitulandum parabat, auxilia: *Gabriel* enim Bethlenius, poſtquam plurimorum e

prouincialibus ſtudia, voluntatesque ſibi conciliaſſet, portae quoque Ottomannicae beneuolentiam expugnauit, data fide, ſe vbi primum principatu potiretur, geminas arces: *Lippam* ad Maruſium in Temeſienſi banatu, et *Boros Ienö* in Zarandienſi comitatu ſitas Turcarum dominatui reſignaturum: quapro-
1613 pter A. 1613. Moldauiae non minus, quam Valachiae Wayuodae, acceptis Bizantio mandatis, validis cum copiis in Tranſſiluaniam irruere iuſſi ſunt, quo tempore *Gabriel* Bethlenius copioſo Turcarum milite inſtructus alia ex parte prouinciam ſubiit: *Báthorius* ab hoſtibus vndique circumuentum, et a ſuis deſertum ſe videns, praecipiti fuga Varadinum euaſit, promiſſa ſibi a *Mathia* auxilia e propinquo praeſtolaturus: verum non multo poſt a *Georgio* Ladányi, et *Ioanne* Szilágyi ibidem die XXVII. Octobris e. a. obtruncatus occubuit, a nemine deploratus. Poſtquam enim principatus eo certius conſequendi cauſa, Catholicam religionem, in qua a teneris educatus fuit, eiuraſſet, ita ſubinde religionem omnem abiecit, vt ſcelerum omnium monſtrum euaſerit; in ſummo enim faſtigio cuncta iam ſibi licere arbitratus, turpi auaritia, iniquitate, intoleranda libidine, ac crudelitate denique non modo ſubditorum animos a ſe alienauit, verum etiam maiorum ſuorum Báthoriorum laudes obſcurauit. Interea *Achmetis* ſultani internuncius, coactis Claudiopoli comitiis, pro poteſtate imperauit Tranſſiluanis, vt, ſi Ottomannicae portae gratiam promereri cuperent, *Gabrielem*

Bethlen de Ictár principem ſibi legerent: quod cum ſine mora factum fuiſſet, vt prouincialium animi eo arctius et nouo principi, et Turcicae clientelae adſtringerentur, internuncius, *ſultani* ſui nomine, conſueta ante tributa ita diminuit, vt, quoad *Bethlenius* viueret, non plus, quam X. aureorum millia hoc nomine quotannis Bizantium mitterentur. Pro tanto beneficio gratiam Turcis redditurus, fidemque datam liberaturus *Bethlenius*, ipſe cum *Scendere* baſſa Lippam obſedit, vique ſubactam illius manibus reſignauit; ne autem alteram arcem *Boros-Ienönem* Turcis ex pacto proderet, inſignis *Stephani* Petneházii, loci gubernatoris, in *Mathiam* fides, et in loco tuendo fortitudo prohibuit: qui poſtquam de foeda hac Chriſtianorum finium nundinatione *Georgium* Thurzo palatinum, et *Sigismundum* Forgáts iudicem curiae tempeſtiue admonuiſſet, opportuno commeatu, apparatu bellico, et milite adiutus et *Bethlenii*, et Turcarum conatus inutiles reddidit, vtiliſſimumque illud ad frenandas hoſtium incurſiones praeſidium *Mathiae* ſeruauit. Ceterum *Bethlenius* cum difficilem Boros-Ienönis oppugnationem animaduertiſſet, nec prodigendas vires ſuas, nec *Mathiam* regem, et Hungaros ſibi irritandos putauit, quin potius, ne quid eorum, quae ad ſtabiliendum principatum facere viderentur, negligeret, inſciis Turcis, clam Viennam legatos miſit, qui nomine ſuo fidelitatem *Mathiae* regi profiterentur, id quod ea fidei, et ſubiectionis ſignificatione praeſtitit, vt *Mathias* non

minus, quam aulae adminiſtri *Bethlenium* fideliſſimum S. coronae Hungaricae clientem fore non ſperarent modo, verum etiam confiderent, ſed ſpe ſua egregie poſtea ſe deluſos ſenſere.

§. IV.

Mathias Ferdinandum archiducem ſucceſſorem conſtituit.

Haec inter gliſcebat in Bohemia ſub cinere flamma, grande ſubinde incendium toti Germaniae datura: *Mathias*, qui ad procurandam Hungariae tranquillitatem paucis abhinc annis neceſſarium eſſe putauerat, vt acatholicis ibidem liberum religionum ſuarum exercitium concederetur, poſtquam *Rudolpho* fratri ſuo in imperio Romano, et Bohemia A. 1612 1612. ſucceſſerat, nulla ratione permoueri potuit, vt Huſſitas, qui tum caput efferre coeperant, et Auguſtanae confeſſionis ſectatores in ditionibus coronae Bohemicae obnoxiis ciuitate donaret. Porrectos ſibi eapropter multiplices libellos ſupplices aut ſilentio diſſimulabat, aut certe idmodi reſponſa dabat acatholicis, ex quibus neque certam liberi religionis exercitii impetrandi ſpem conciperent, neque animo deiecti in deſperationem adigerentur. Hac principis ſui ſiue repulſa, ſiue tergiuerſatione etſi non leuiter irritati eſſent Bohemorum animi, nullam tamen aperta vi aliquid tentandi rationem

reperiebant: arma viresque tum adhuc eis deerant, quibus *Mathiam* numerosis copiis per opportuna in Bohemia, Moraviaque loca distributis instructum cum spe successus possent aggredi: carebant foederatis, qui eorum causam tueri aut possent, aut vellent: certe Hungari acatholici illis, quae pacificatione Viennensi concluſa, ac in subsequentibus comitiis explicata, stabilitaque erant, contenti, nullatenus induci poterant, vt aduersus principem adeo in se beneficum arma Bohemis coniungerent: qua in re prohibenda eluxit cumprimis eximia *Georgii* Thurzo regni palatini in *Mathiam* fidei constantia, qui clandestinas Bohemorum sollicitationes pro potestate reiecit, cui ea laus ab illorum temporum aequalibus tribuitur, quod etsi Augustanis sacris initiatus esset, summa tamen aequanimitate aduersum Catholicos vteretur, neque in iis, quae ex summo inter Hungaros palatini munere agebat, de religionis partium studio a quoquam accusaretur. Hoc igitur cum loco tum essent res Bohemorum, seditio tum agitata vltra querelas, minas, et conatus inutiles non erupit. Verum *Mathias* occulta Bohemorum edoctus consilia, tempestatemque in se, et augustam domum suam aliquando erupturam animo praesagiens, postquam sobolis ex *Anna* Austriaca coniuge suscipiendae spem omnem posuisset, mature de successore legendo prospiciendum existimans, eum ipsum designauit, cuius excludendi causa olim arma in *Rudolphum* fratrem corripuerat, *Ferdinandum*

archiducem. Primum igitur omnium effecit
1617 apud Bohemos, vt A. 1617. calendis Iulii, coronaretur, ſolenneque fidelitatis ſacramentum ab eis acciperet: Hungari quoque eodem plane die anno inſequente per *Petrum* Pazmanum cardinalem Strigonienſem illius capiti diadema impoſuere, non tamen ante, quam poſtquam ille ad XVII. conditiones, per regni ordines ſibi tum propoſitas, ad amuſſim obſeruandas, fidem ſuam iureiurando, ac ſolenni inſuper diplomate e. a. die XV. menſis Maii ſignato obligaſſet: quas, ad eorum temporum rationem clarius perſpiciendam, noſtrum putauimus hic loci compendio referre: I. Vniuerſae, et ſingulae gentis libertates, immunitates, priuilegia, ſtatuta, iura, et conſuetudines, capita item Viennenſis pacificationis, ac denique comi-
1608 tiorum A. 1608. et ſequenti celebratorum decreta omnia firmiter, ſancte, ac inuiolabiliter obſeruentur. II. Poſtquam *Ferdinandus Mathiae* pleno iure in ſolio ſucceſſerit, intra VI. menſium ſpatium comitia celebrentur, in quibus, ſi quae fuerint, gentis querimoniis ex aſſe ſatisfiat, deinceps vero, ſingulis vt minimum triennijs, generales regni conuentus habeantur. III. Cum de rebus, et negotiis ad Hungariam, eidemue adnexas prouincias ſpectantibus agendum erit, conſilia cum Hungaris ineantur, et cuncta per eosdem tractentur. IV. Confiniorum praefecturae, capitaneatus, ac omnia denique regni officia, et munera, aliis, quam Hungaris conferre, nefas ſit. V. Ad debi-

tam iuſtitiae adminiſtrationem iudicia octaua-lia ſtatis temporibus plena cum autoritate celebrentur. VI. Quo regnum in tranquillo ſtatu conſeruetur, cunctis omnino regni ordinibus, oppidis item, villis, ac militibus liberum ſit religionis ſuae exercitium. VII. Comes palatinus, et Illyrici banus plena ſua, quam leges eis concedunt, autoritate, et iurisdictione fungantur. VIII. Confinibus regni praeſidiis de apparatu bellico, et idoneo milite ſolerter proſpiciatur. IX. Ciuitates non ſolum liberae, ac regiae, verum etiam montanae ſuis in priuilegiis, iuribusque conſeruentur. X. Sacroſanctum regni Hungarici diadema nullo vnquam praetextu, aut colore e regno efferatur, domique duorum coronae cuſtodum, communibus ſuffragiis citra religionis diſcrimen lectorum, fidei creditum aſſeruetur. XI. Limites cum vicinis prouinciis: Polonia, Morauia, Sileſia, Auſtria, Styria, Carinthia, et Carniolia ex aequo definiantur. XII. Confoederatio Hungarorum cum Tranſſiluanis, Bohemis, ac Morauis, pacificationis Viennenſis tempore inita, ſalua perſiſtat. XIII. Nec pacem cum quoquam ſancire, nec bellum mouere, nec exterum militem in Hungariam inducere fas ſit, citra ordinum regni conſenſum. XIV. Arces, et dominia: *Pernſtein*, *Kobelsdorf*, *Gins*, *Forchtenſtein*, *Eiſenſtadt*, et *Hornſtein* (*a*) longa iam annorum ſerie Au-

(*a*) Hungaris: Boroſtyànkö, Kabold, Köſzeg, Fraknó, Kismárton, Szarvkö.

ſtriaco aerario, et iurisdictioni obnoxiae, aut absque litro omni, aut perſoluta inſcriptionis ſumma, Hungarico iuri poſtliminio reſtituantur. XV. Caſtrum Lublyo cum XIII. oppidis Scepuſienſibus, depoſito pignoris pretio, e Polonorum manibus vindicentur. XVI. Milites Haidones, Haidonicalium oppidorum incolae, per *Botskaium* inſtituti, ac per *Mathiam* certis immunitatibus donati, porro etiam eisdem fruantur. XVII. Denique *Ferdinandus*, *Mathia* rege in viuis agente, ſolo regis titulo contentus, ab omni regni adminiſtratione abſtineat, nec quidquam citra expreſſam illius voluntatem conſtituat (*a*). Hae fuere conditiones, queis *Ferdinandus* tum aſſentiri coactus fuit: equidem vt alias praeteream, profecto tertiodecimo loco poſita et regis, et regni ſecuritati noxia fuit; cum enim regi nullum exterum ſtatarium militem in regno tenere liceret, quid mirum eſt, a *Gabriele Bethlenio*, eidemque adhaerentibus Hungaris vniuerſam propemodum Hungariam paucarum hebdomadarum ſpatio occupatam, ac a *Ferdinandi* regis dominatu fuiſſe abſtractam.

(*a*) Diploma hoc inſertum eſt Ferdinandi II. decreti A. 1622. art. II. in codice iuris patrii.

§. V.

Mathiae turbas domesticas morte praeuertit.

Sic tum *Ferdinandus* II. coronam Hungariae, multas sibi olim curas, et labores daturam, consecutus fuit, ac prouide sane euenerat, vt is viuo adhuc *Mathia* in omnium Austriacarum prouinciarum successione stabiliretur, breui enim post tempore, atrox tempestas non illi solummodo, verum toti vna augustae domui Austriacae interitum minitans apud Bohemos cogi coepit. Nam cum eius gentis acatholicis, de libero religionum a Catholicis sacris alienarum exercitio, nullam coronationis suae tempore cautionem dedisset *Ferdinandus*, atque ea in re concedenda decessore suo *Mathia* multo fore difficiliorem multis collegissent indiciis, eo ipso tempore, quo in Hungaria summa totius gentis consensione inaugurabatur, ad eumdem a solio Bohemico prohibendum, seditionem conciuere, quae nec *Mathiae* regis mandatis amplius coerceri, nec armis opprimi poterat: quin imo exulceratis paulo vehementius animis, eo subinde processere Bohemi, vt *Friderico* palatino comiti, acatholico principi coronam, regnumque Bohemiae clam obtulerint, qui postquam coniuratis assensum praebuit, pressa diu seditio in apertum erupit incendium, verum hoc minime amplius spectare licuit *Mathiae*, vt qui die XX. Martii A. 1619. Viennae diem 1619
suum obiit, primusque ex Austriacis sibi, apud PP. Capuccinos ibidem sepulturae locum

elegit. Praefuit Hungariae annos X. menſes IV. quam qua ſupremus belli adminiſtrandi imperator, multis annis inuicta fortitudine, et conſtantia aduerſus nominis Chriſtiani hoſtes defendit, conſiliis autem ſuis *Rudolphi* fratris vice, vt gubernator ſat longo tempore prouide, ſapienterque moderatus fuit. Atque hac opportunitate, penitius perſpecta gentis Hungaricae indole, ac moribus, difficillimam populos regendi artem vſu ipſo condidicit. Inſigni prudentiae, ac arduis in rebus quam promptiſſime expediendis dexteritati coniunctum erat in *Mathia* ſincerum quoddam in commoda publica, et reipublicae Hungaricae, vltra modum diſcordiis laborantis, tranquillitatem procurandam ſtudium, vnde factum, vt communis boni cauſa, ab aulae Hiſpanicae placitis, et deceſſorum ſuorum in gubernando moribus ſibi nonnumquam recedendum putauerit. Illius prouidentiae debemus tempeſtiue exſtinctam ſeceſſionem *Botskaianam*: qua occaſione etſi nonnulla ſummae maieſtatis iura reſtringi, diminuiue ſiuerit, id tamen obtinuit, vt auguſta domus in Hungariae, qua pene iam exuta erat, poſſeſſione iterum conſtabiliretur. Neque praeclaris *Mathiae* laudibus id officere debet, quod *Rudolphum* caeſarem, germanum ſuum, ad cedendam ſibi in ditionibus Auſtriacis ſucceſſionem, armorum potius oſtentatione, quam vi adegerit: quis enim id illi iure vitio vertat, cum hereditarium ius, quod ipſa naſcendi conditione cenſecutus erat, aduerſus miniſterii Madritenſis, in aulam Viennenſem pro

libidine dominantis, consilia, et machinationes, tueri, vindicareque voluit. Illud hic ex transitu notandum, Hungaros *Mathia* imperante irreparabilem iacturam passos fuisse, in clarissimo, doctissimoque viro *Nicolao* Istuánfi palatini locumtenente, qui, cum A. 1608. apoplectico ictu Posonii perictus 1608
fuisset, ab omni reipublicae administratione eapropter absolutus, priuatam deinceps egit vitam ad annum vsque 1615. Viri, sago non 1615
minus, quam toga incliti memoriam apud exteros aeque, ac domesticos hodiedum tuetur, ac porro etiam tuebitur historia Hungariae, quam *Petri* Pazmani postea cardinalis, et archiepiscopi Strigonienfis hortatu diligente calamo conscripserat, eidemque postea legauerat (*a*).

§. VI.

Rerum sacrarum sub Mathia vicissitudo.

Mathiae II. regis nomen celebre imprimis reddidit pacificatio Viennensis, cui tamquam basi deinceps omnis rei Hungaricae gubernatio inniti coepit, tum vero illud quam maxime, quod primus omnium *Christianam* alienorum a Catholica religione sacrorum *to-*

(*a*) Vide Cl. Pray praefationem ad Annalium reg. Hung. partem V.

1608 *lerantiam* publica comitiorum A. 1608. conſtitutione in Hungariam introduxerit. Ea res, vt noua, ac ab vſitatis ad eum diem apud Hungaros moribus aliena, grauiſſimas cum Catholicis omnibus, tum verò ſpeciatim praelatis Hungariae curas faceſſiuit, quod verebantur, ne per eam indulgentiam religioni Catholicae ſatis ſuperque tum afflictae, vulnus paulo grauius inferretur, quam vt vlla deinceps aetate, ac induſtria poſſit conſanari. Quapropter etſi ſpectatis eorum temporum, ac rerum rationibus, liberum religionum exercitium minime iam acatholicis negari poſſe plerique agnoſcerent, illud tamen *Franciſcus* cardinalis Forgáts Strigonienſis archiepiſcopus, ceterique antiſtites porrecto *Mathiae* regi libello ſupplice efficere nitebantur, ne ea conceſſio generalium regni comitiorum decreto inſereretur (*a*). At enim id loci iam tum res erant, vt *Mathias* ſalua regni recens ad quietem reuocati tranquillitate, huic praelatorum interceſſioni morem gerere etſi vellet, amplius non poſſet. Quamquam *tolerantia* haec haud tantum, quantum a quibusdam tunc timebatur, Catholicae poſtea obfuit religioni, quae potius, coeleſti ſponſo eccleſiae ſuae opem ferente, caput ex eo tempore altius attollere, maximisque deinceps medios inter turbines,

(*a*) Libellus hic praelatorum Hung. legi poteſt apud Cl. Péterfi conciliorum Hungariae Tom. II. pag. 192.

ac tempeſtates creſcere, propagarique coepit incrementis. Multum imprimis humana inter media huc contulit illud, quod *Mathias* rex pro ſincero ſuo in Catholica ſacra ſtudio, ſingulari in praelatorum electione vſus circumſpectione non alios, quam viros doctrina, morum probitate, zelo, ac prudentia conſpicuos vacantibus per Hungariam eccleſiis praefecerit antiſtites, qua in re egregie illum poſtea ſui in regno ſucceſſores Auſtriaci principes imitati ſunt, vt eius aetatis praelatorum geſta poſterorum memoriae conſignata ſatis ſuperque teſtantur. Praeterea grauis illa procella, quae in Catholicae religionis diminutionem per Botskaianos concitata erat, paulo vehementiorem in eccleſiaſtico ordine ardorem ſuccendit, vt omni iam mora abrupta curas, viresque ſuas intenderit ad omnia illa adminicula, quae ad eum diem apud Catholicos deſiderabantur, quantocyus procuranda. Cum enim priſcae religionis in Hungaria ruinam gemino fere ex capite acceleratam fuiſſe in comperto eſſet: primum quidem e ſacerdotum, parochorumque penuria, tum vero ex eorum etiam, qui ſuppetebant, deplorando virtutis, ac ſcientiae defectu: (*a*) ante omnia ad deprauatos cleri mores efficacibus remediis corrigendos, augendumque idoneorum ſacerdotum numerum ſumma ſollicitudine ſibi incumbendum putauerunt. Saluberrimae huic

(*a*) Ibidem pag. 204.

1611 intentioni mox A. 1611. in ſynodo prouinciali Tyrnauiae celebrata initium fieri coepit. Hic etenim maximo, quo tum licuit, numero congregati ex omni Hungaria antiſtites, proſcriptis per ſeueriſſimas ſanctiones, quae ſacrum ordinem tunc foedabant, vitiis, reuocata ad legum diuinarum, humanarumque rigorem diſciplina eccleſiaſtica, decreuere primo, nullis vt ſumtibus, nullis laboribus parcant epiſcopi in erudienda iuuentute, quae ad ſacros ordines deſtinetur, deinde vero, vt in ſacrorum ordinum collatione ſumma diligentia obſeruetur decretum concilii Tridentini, nequis videlicet ad eosdem promoueatur, niſi genus, inſtitutio, doctrina, mores, ac fides ipſius diligenter prius examinetur, et exploretur. Porro cum nulla ad eum diem ſtabilia eſſent in Hungaria ſeminaria, in quibus iunior clerus eo, qui laboranti tum eccleſiae Hungaricae neceſſarius erat, numero inſtitueretur, ſed neque ob dominantes in potiori regni parte Turcas, bellaque inteſtina, direptis, diminutisue redditibus eccleſiaſticis, tantae praelatis Hungariae vires adeſſent, quantas paulo amplioris ſeminarii generalis erectio, atque dotatio expoſcebat, primum omnium *Paulum* V. pontificem maximum interpellauere orantes, vt is pro paterno ſuo in eccleſiam Hungaricam zelo, Pragae, Olomucii, Graecii, ac Viennae ſuos inter pro Germania alumnos, pro Hungaria quoque duodecim clericos ſumtibus apoſtolicis educandos ſuſciperet, id quod et a *Paulo* V. P. et ab illius in ſede

Romana ſucceſſoribus longa annorum ſerie, quamdiu neceſſitas Hungariae expoſcebat, quam cumulatiſſime praeſtitum eſſe compertum habemus: illud praeterea ab eodem pontifice tum flagitatum fuit, vt in collegio Romano, quod S. *Ignatius* Loyola ſocietatis Ieſu conditor pro Germanis dudum iam erexerat, tot clericis Hungaris locus daretur, quot alendis S. *Stephani* I. regis fundatio eodem translata ſufficeret (*a*). His ſubſidiis a ſummo Catholicorum ſacrorum antiſtite impetratis, epiſcopi Hungariae ſaluberrimo concilii Tridentini decreto morem geſturi ad generale totius regni clericorum ſeminarium, ſecuro quodam, ac a belli ſtrepitu remoto in loco fundandum applicuere animum. Sed votis his moram iniecit atrox illud, quod poſt *Mathiae* caeſaris obitum, ſub *Ferdinandi* II. regis initia, eruperat incendium, poſtquam autem cum *Gabriele* Bethlen de Ictar Tranſſiluaniae principe pax concluſa optatam patriae quietem reſtituit, *Petro* Pazmano S. R. E. cardinale archiepiſcopo Strigonienſi autore, curae eaedem A. 1628. 1628
in ſynodo Tyrnauiae celebrata ſunt reſumtae, atque deinceps in ſubſequentibus ſynodis magno ſtudio continuatae (*b*). Inprimis itaque vt hoc inſtitutum eo celerius perfice-

(*a*) Ibidem pag. 217.
(*b*) Quid circa cleri iunioris ſeminaria iis temporibus ſancitum fuerit, diſce ex ſynodis Pazmanianis apud Cl. Péterfi concil. Hung. Tom. II. pag. 228.

retur, antiſtites, praepoſiti, et abbates ad penſum quoddam vita comite de ſuo quotannis numerandum, a morte autem ad dimidiam mobilium bonorum ſuorum partem ſeminario relinquendam beneuole ſemet obſtrinxere: canonici quoque, et ceteri beneficiati in vtiliſſimi huius operis partem venire glorioſum putauere, dum non modo in viuis aliquid de fructibus ſuis ſeminario cedere, verum etiam quidpiam ſubſtantiae ſuae eumdem in finem legari voluere, ea tamen lege, ne onus id ad ſucceſſores tranſiret, aut perpetuum euaderet, non diutius, quam neceſſitas poſtularet, duraturum. Cum itaque gratuita haec ſubſidia variis in dioeceſibus per vniuerſum regnum colligenda eſſent, diuerſis e capitulis delecti viri conſtituti ſunt, qui eorumdem percipiendorum, ac ſubinde ſeminario generali reſignandorum curam gererent. Atque haec fuere tam ſcholarum, quam iunioris cleri ſeminariorum prima apud nos initia, quae ſubinde principum fauore, praelatorum autem, ac vniuerſi corporis eccleſiaſtici caritate, ac munificentia ita propagata ſunt, nulla vt iam eſſet dioeceſis, quae proprio iunioris cleri contubernio, ſcholisue careret. Porro cum ſacrae huius iuuentutis tam in virtute, quam in ſcientiis inſtitutio eccleſiaſticis legibus accommodata eſſet, reſtaurata poſtliminio diſciplina eccleſiaſtica, profligata a ſacro ordine ruditate, aucto ſacerdotum, et curionum numero, id effectum denique, vt multis animarum millibus, indefeſſa horum opera ad priſtinum

ouile

ouile reductis, religio Catholica inter Hungaros refloruerit. Atque laetissimi huius successus pars non modica cardinali Pazmano in acceptis referenda est, vt qui maiora multo, quam decessores sui, pro ecclesia Dei molitus fuit, et exemplo successoribus commonstrauit, quae potissimum ad sacrosanctam religionem propagandam media eos arripere, stabilireque oporteret (*a*). Ex qua Catholicae apud Hungaros ecclesiae, per pacificationem Viennensem aliquantum pressae, restitutione quiuis facile perspiciet, veram Christi seruatoris nostri fidem ad se se siue conseruandam, siue propagandam nec vi, nec armis vnquam egere, sed virorum apostolicorum praedicatione, et exemplis: cumque fides Dei donum sit, interna insuper opus esse diuini Spiritus vnctione, quae efficaci suauitate sua nouit duriores etiam animos ad viam veritatis reuocare. Praeter eam, cuius paulo superius meminimus, sacrorum apud Hungaros sub *Mathia* vicissitudinem, quaepiam ad ecclesiae disciplinam spectantia commemoranda veniunt, quorum alia ad pristinum rigorem reuocata, alia autem eiusdem ecclesiae iudicio, et indulgentia mitigata sunt. Sic post communem illam per schisma occi-

(*a*) Rerum a cardinale Pazmano pro cleri iunioris, et nobilis iuuentutis commodo, literarum incremento, patriae, ac religionis denique emolumento gestarum seriem vide praeter alios in citatis conciliis parte II. a pag. 219.

dentale inuectam ſacrorum omnium conuul-
ſionem, ſacrilegus in Hungaria mos inualu-
erat, vt ſacris iam ordinibus initiati viri,
animarumque curatores feminas ſibi vxorum
nomine adſciſcere ſolerent. Quamuis autem
non Latina modo, verum Graeca etiam ec-
cleſia idmodi connubia tamquam ſacrilega
conſtanter deteſtata ſit, ea tamen erat illius
aetatis ſiue ruditas, ſiue peruerſitas, vt ſce-
lerati illi homines, quo legitime id ab ſe
fieri Catholico populo, ſpirituali curae ſuae
credito, perſuaderent, non modo propalam
pro concione promulgarint factam eſſe ab ec-
cleſia cuiuis presbytero connubio ſemet illi-
gandi poteſtatem, verum etiam per eiusdem
ſecum farinae ſacerdotum miniſterium ſe ſe
in facie eccleſiae copulari curarint. Praua
haec, et eccleſiae ſpiritui aduerſans conſue-
1611 tudo in ſynodo Tyrnauienſi A. 1611. ſeueriſ-
ſimis ſanctionibus interdicta fuerat (*a*), verum
diu deinceps et cardinali *Pazmano*, et ceteris
antiſtitibus laborandum fuit, dum demum
penitus exterminaretur. In eadem ſynodo
Tyrnauienſi grauibus de cauſis permoti fue-
re patres, vt eccleſiaſticam de ouorum, et
lacticiniorum diebus ieiunii abſtinentia legem
a *Paulo* V. pontifice pro ditionibus Hunga-
ricis relaxari peterent (*b*), quod cum paulo
ſerius etiam impetratum fuiſſet, ouorum, et la-
cticiniorum vſus pedetentim introductus, omni-
bus poſtea communis euaſit. Atque haec de re-
bus ſub *Mathia* II. apud Hungaros geſtis dicta
ſufficiant.

(*a*) Ibidem pag. 209. et 230.
(*b*) Ibidem pag. 206. et 217.

AD NOTITIAE RER. HVNG. PARTEM III.

Carolus A. A. Dux Styriae † 1590
Vxor Maria Alberti Bauariae Ducis filia † 1608

Maria Chriſtierna A. A. † 1621
Maritus Sigismundus Báthori de Somlyó S. R. I. et Tranſſiluaniae princeps † 1613

Ferdinandus II. Rom. Imp. Hung. et Boh. Rex † 1637
Vxor I. Maria Anna Wilhelmi Bauar. Ducis filia † 1616

et caeterae Proles

Ferdinandus III. Rom. Imp. Hung. et Boh. Rex † 1657
Vxor I. Maria Anna Philippi III. Hiſp. Reg. filia † 1646
II. Maria Leopoldina A. A. Com. Tyrol. † 1649
III. Eleonora Mantuana Domin. Ord. Crucis Stellatae fundatrix Anno 1668 † 1686

Maria Anna A. A. † 1665
Maritus Maximilianus Elector Bauariae

Caecilia Renata A. A. † 1644
Maritus Vladislaus IV. Rex Poloniae.

Ex I Ferdinandus IV. Hung. et Boh. Rex caelebs † 1654

Ex I. Leopoldus M. Rom. Imp. Hung. et Boh. Rex † 1705
Vxor I. Margareta Philippi IV. Hiſp. Regis filia † 1673
II. Claudia Felicitas A. A. Com. Tyrol. † 1676
III. Eleonora Magdalena Philippi Wilhelmi Neoburg. Elect. Palat. Rheni filia † 1720

Ex II. Carolus Ep. Paſſau. † 1664

Ex III. Eleonora Maria A. A. † 1697
[*Maritus* I. Michael Wiſſinouſzky Rex Poloniae † 1673
II. Carolus Lotharingiae, et Bari Dux Turcarum Domitor.

Ex III. Ioſephus I. Rom. Imp. Hung. et Boh. Rex † 1711
Vxor Wilhelmina Amalia Ioannis Friderici Ducis Hanouerani filia † 1742

Carolus VI. Rom. Imp. Hiſp. Sicil. Hung. Boh. Rex † 1740
Vxor Eliſabetha Chriſtina Ludouici Rudolphi ducis Brunſuico-Quelpherbytani filia † 1750

Maria Ioſepha A. A. † 1757
Maritus Fridericus Aug. Rex Poloniae Elect. Saxon.

Maria Amalia A. A. † 1756
Maritus Carolus VII. Rom. Imp. Elector Bauariae

Maria Thereſia Archidux Auſtriae Hung. Boh. Reg. heres. vide Tabellam

Maria Anna A. A. Belgii Gub. † 1744
Maritus Carolus Lothar. et Bari Dux Belgii Gubernator.

FERDINANDVS II.

IMPERATOR, REX XLIII.

A. C. 1619.

§. I.

Perturbata admodum regni initia.

Numquam auguſta domus Auſtriaca diſcrimen aut atrocius, aut ſuperatu difficilius adiit, ac cum *Ferdinandus* II. ad auita regna gubernanda acceſſit. Vixdum ſolium conſcendit, iam ipſa imperii Auſtriaci ſedes Vienna ferali incendio correpta flagrauit, ſubditis in principis ſui perniciem accenſis, et armatis; nec militia in promptu erat, quae rebellibus poſſet opponi, nec ab amicis, aut foederatis tam cito, vt periculi magnitudo expoſcebat, auxilii aliquid ſperari poterat. Bohemis, qui viuente adhuc *Mathia* ſeceſſerant, iunxere ſe Auſtriae ordines acatholici: horum dux *Matthaeus* de Thurn valida ſeditioſorum manu ſtipatus, Viennam exiguo prorſus in-

ſtructam praeſidio obſedit. Ciues Viennenſes non ſecus, atque ſi ſeditionis vexillum in maxima vrbis turri defixum cernerent, coitiones facere, ac de reſerandis *Thurnio* portis conſilia agitare coeperunt: prius tamen, quam id admitterent, *Ferdinandi* animum periclitandum putauere. Itaque ductore *Andrea* Thonradl magno numero, inconditos inter clamores, in aulam ſe penetrant: eodemque oratore, enormia quaeque poſtulata proponunt: non ſolum iam liberum Auguſtanae confeſſionis exercitium, ſed vna Catholicorum ſacrorum excidium petebatur. Idmodi leges ad ſubſcribendum offerebantur ſummo imperanti, quibus maieſtas eius arctiſſimis circumſcriberetur limitibus, ſubditi vero in ſupremae poteſtatis communionem admitterentur. Talibus poſtulatis aſſentiri tergiuerſantem, ſpatiumque deliberandi petentem *Ferdinandum* propius adorti ſeditioſi, amaris ſalibus explodere, conuitiis laceſſere, admota inurbane iam ori, iam pectori manu huc illic impellere, ac vellicare, non ſibi religioni duxere, vſquedum expleta inſultandi libidine, extrema quaeuis, niſi poſtulatis quantocyus ſubſcriberet, comminati ex aula ſe ſe eiecere. In hac rerum, ac temporum peruerſitate *Ferdinandus* congenitam ſibi animi conſtantiam non dimiſit, ac vbi primum ſeditioſorum manus euaſit, quoniam in humanis nihil eo rerum articulo apparebat praeſidii, coram familiari ſibi crucifixi Seruatoris effigie in genua prouolutus, ſe reſque ſuas ardenti prece, euangelica prorſus fidu-

cia, Deo optimo maximo commendauit: quo tempore, vt memoriae proditum eſt, vocem inde emiſſam audiſſe fertur: *Ferdinande non te deſeram.* Seu vox haec reapſe ad aures principis allapſa, ſiue interius ſolummodo animo illius inſpirata ſit, id certum, oraculo huic euentum reſpondiſſe. Non multa enim poſt interiecta mora, *Dampierius* caeſarearum copiarum ductor, praeter exſpectationem omnem, cum quingentis cataphractis equitibus Viennam appulſus, deluſis obſidentium vigiliis, vrbem ſubiit: quibus poſtquam ſe vniuerſitatis Viennenſis alumni coniunxiſſent, ſolennique iureiurando ſe ad vitam pro tuendo principe ſuo ponendam obſtrinxiſſent, ſeditioſorum ciuium audacia non mediocriter compreſſa fuit; *Thurnius* autem panico terrore correptus, vrbem obſidione, bonos omnes metu liberauit. Ad cumulum *Ferdinandi* votorum illud non multo poſt acceſſit, quod eum S. R. imperii ſeptemuiri, Germaniae regem proclamatum, die XVIII. Auguſti eiusdem anni 1619. Francofurti ſo- 1619
lito ritu caeſarem inaugurauerint; dum interea Bohemi *Fridericum* comitem palatinum ad capeſſendum Bohemiae regnum euocarunt, cuius etiam capiti die IV. Nouembris e. a. conſuetum diadema impoſuere, certi extrema quaeuis prius perpeti, quam ad legitimi principis *Ferdinandi* II. biennio abhinc Pragae inaugurati, obedientiam reuerti; quaſi vero in ſubditorum fuiſſet arbitrio, Bohemiae regnum, hereditario iure auguſtae do-

mui Auſtriaco-Habsburgicae proprium, in alterius familiae principem transferre.

§. II.

Hungari Bohemis contra caeſarem aſſiſtere detrectant.

Mali, quod in Bohemia natum fuit, vis paulo diutius perduravit, latiusque in dies ſerpens Hungariam ipſam ad eum diem tranquillam ferali poſtea inuoluit incendio. Poſtquam apud Bohemos fixum, ſtatutumque fuit, *Ferdinandum* ex auito ſolio deiectum in ordinem redigere, quo id eo certius perficerent, miſſa in Hungariam legatione, primores regni, Poſonii tum forte negotiorum cauſa agentes, ad ineundam ſecum belli ſocietatem ſollicitare non erubuerunt: vrgebant autem iure ad id obſtringi Hungaros ob ini-
1606 tam ſecum A. 1606. confoederationem (*a*), quam et *Mathias* caeſar, et *Ferdinandus* ipſe inaugurationis ſuae tempore ratam habuiſſet. Specioſus hic praetextus non paucos ex Hungaris ſeduxit, eos nimirum, qui in turbido piſcari, priuataque in ruinis patriae lucri compendia facere cupientes, bellum ciuile exoptabant. Vt porro cauſam ſibi ad ſecedendum oblatam eſſe oſtenderent, multis con-

(*a*) In codice iuris patrii.

querebantur: pacificationis Viennenſis capita multa minime iam obſeruari, gentis praerogatiuas, leges, et conſuetudines impune per aulae adminiſtros infringi, Auguſtanae, et Helueticae confeſſionum libertatem comitiorum anni 1608. decreto ſtabilitam non mediocriter in dies reſtringi. At enim ſanior, praeſertim primorum regni, etiam acatholicorum, pars negabat Hungaros ad arma in principem ſuum ſtringenda foedere illo Bohemico obligari, praeſertim poſtquam pacis Viennenſis capite XXVII. fidem dederant, numquam ſe *defectionem, rebellionem, inſurrectionem, publicae pacis turbationem, internam, vel externam conſpirationem,* contra legitimum regem ſuum *ſub nota perpetuae infidelitatis* molituros. Addebant inſuper eas querimonias, quae a nonnullis tum iactarentur, exigui eſſe ponderis: nam tametſi *Mathias* rex pro rerum, temporumue ratione, quaepiam pacis Viennenſis capita haud ſatis religioſe obſeruarit, certe a *Ferdinando* vixdum regnum auſpicato, nec pacem Viennenſem, nec editum inaugurationis ſuae tempore diploma tam cito, tamque grauiter violari potuiſſe, vt communem apud vniuerſos inuidiam, odiumue incurreret. Hac cum Hungari tum eſſent mente, fideique in regem ſuum conſtantia, communi primorum regni conſpiratione Bohemorum poſtulata ſunt reiecta; verum paucis menſibus interiectis fatalis procella, quae iam tum Bohemorum cauſa apud Tranſſiluanos in caeſarem cudebatur, vniuerſam propemodum gentem 1608

Hungaram vel inuitam corripuit, vt ſuo loco, et ordine narraturi ſumus. Ceterum ſingulari Numinis prouidentia factum fuit, vt *Mathias* rex clariſſimos aliquot in vtraque republica viros, quorum conſilio, operaque ipſe vti conſueuerat, moriens *Ferdinando* reliquerit, qui ſubinde aduerſariorum molimina ingenio, prudentiaque ſua retundere, ac collapſas etiam principis ſui partes fidei conſtantia, exemplo, autoritateque ſua reſtaurare nouerant. Ex his praecipui fuere: *Petrus* Pazmanus regni primas, Strigonienſis archiepiſcopus, ab aliis etiam in religionem, patriamque meritis numquam moriturum apud Hungaros nomen conſecutus: tum vero *Nicolaus* Eſzterházi de Galantha, qui humanioribus diſciplinis Tyrnauiae, ſeueerioribus autem Graecii imbutus, adoleſcentiam omnem apud celeberrimum aeui illius virum *Stephanum* Illésházi auunculum ſuum exegit, eodemque moderatore, rerum politicarum vſu, et tractatione ita feliciter ſemet perpoliuerat, vt *Mathias* rex virum capaciſſimum in intimam conſiliorum ſuorum conſcientiam ſubinde adſciuerit, eodemque non in Hungariae ſolius, verum etiam in Germanicarum prouinciarum gubernatione adminiſtro vti non dubitauerit. Hi igitur, ac nonnulli praeterea alii illuſtres viri conſtanti fuere deinceps in *Ferdinandum* fide, neque vel praemiorum ſpe corrumpi, vel etiam calamitatibus frangi poterant, vt eumdem deſererent. Vt adeo his potiſſimum in acceptis referri debeat, quod auguſta domus coortam tum in caput ſuum tempeſtatem glorioſe ſuperauerit.

§. III.

Bethlenius inito cum Bohemis contra Ferdinandum foedere Hungariam inuadit.

Postquam in pertrahendis ad partes suas Hungariae primoribus operam se perdere sensissent Bohemorum oratores, cum nonnullis, equestris praesertim ordinis viris, clancularia instituere coeperunt consilia, eoque successu rem suam egerunt, vt plurimos ex eis a caesare alienauerint: qui cum se a magnatibus regni destitutos, idoneis ad secessionem faciendam viribus carere viderent, communi consilio legationem in Transsiluaniam ad *Gabrielem* de Bethlen mittendam decreuere, qua is ad libertatum, et praerogatiuarum gentis Hungaricae, quas a *Ferdinando* laesas falso criminabantur, tutelam, vindicandum item acatholicis societatibus, quod minime tum adhuc restrictum fuit, liberum religionis exercitium armatus inuitaretur. Obiit legationem hanc *Hieroslaus* Zmeskal successu seditiosis quam optatissimo; *Bethlenius* enim vbi primum de turbis Bohemicis edoctus fuerat, illico magno studio bellum apparare, militesque summa diligentia, et celeritate conscribere coeperat, eo liberius, validiusue postea in turbido piscaturus; ne autem apparatus ille Viennensis aulae ministris aliquid suspicionis adferret, quamprimum *Ferdinandus* pleno iure Hungariae gubernacula capessiuit, solennes foederis tabulas suo, ordinumque Transsiluaniae nomine

confectas Viennam transmiſerat, queis ſe ſub fide Chriſtiana obſtringebat, ad mutuam cum caeſare concordiam fouendam, ſuppetiasque illi aduerſum quosuis hoſtes, vno Turca excepto, totis viribus ferendas: cum autem nonnulli ex Hungariae primoribus, flagrante iam ſeditioſis conſiliis Bohemia, anxie in apparatus Tranſſiluanici cauſas inquirerent, datis ad eos literis non erubuit *Bethlenius* ſcribere, optime ſe pactorum recens cum caeſare innouatorum meminiſſe, nunc-que iam tempus appropinquare, quo ſuam *Ferdinando* fidem, et amicitiam facto ipſo teſtaretur: quo quidem reſponſo et Hungari primores, et miniſtri Viennenſes adeo deluſi ſunt, vt nil prorſus ſiniſtri e Tranſſiluania pertimeſcerent. Hac igitur cum mente eſſet *Bethlenius*, cupidiſſime eam legationem admiſit, vt qui nihil ad eum diem praeſtolabatur auidius, quam vt ſpecioſum aliquod aequitatis velum nanciſceretur, quo belli, quod animo iam conceperat, iniquitatem obtegeret. Porro vt Hungaros non acatholicos ſolum, verum etiam Catholicos ad ſigna ſua ſequenda paulo vehementius incenderet, ſparſis ad *Stephani* Botskai imitationem per regnum libellis declarauit, ſe non alio fine, quam ad vindicandam acatholicis eam, quae
1608 *pace Viennenſi*, et in comitiis anni 1608. illis conceſſa fuit, libertatem, vniuerſae item gentis Hungaricae leges, conſuetudines, ac immunitates in integrum reſtituendas vel inuitum ad arma deſcendere coactum fuiſſe; ſic ille poſtquam priuati lucri e ruinis Hunga-

riae corradendi cauſa bellum iam decreuerat, tum primum cauſas, vt id iure obmouiſſe videretur, conquirebat. His Bethlenii criminationibus ſuas continuo oppoſuit literas *Ferdinandus*, quibus belli contra ſe nulla data cauſa ſuſcitati iniuſtitiam viuis depinxit coloribus (*a*). At ſerum iam tum fuit calamis, ſcriptisque depugnare, quod *Bethlenius* eodem adhuc autumno anni 1619. quadragies mille armatis ſuperiorem Hungariam inundauerit. *Georgius* Rákótzi cum copiarum parte praeire iuſſus, ciuitatibus, arcibus, comitatibusque omnibus ſub iugum, miſſis Caſſouiam denique ſpontanea vrbici magiſtratus deditione occupauit, ibidemque tribus ſacerdotibus Catholicis odio religionis necatis (*b*), inſigne edidit crudelis, ac Catholicorum ſacrorum intolerantis, perſequentisque animi ſui argumentum. Poſt tragoediam hanc non ſine Catholici coetus conſternatione terminatam, adfuit demum cum exercitus robore *Bethlenius* ipſe, vrbemque triumphanti ſimilis ingreſſus, complures dies habendis de belli proſequendi ratione conſultationibus impendit; cunctis e ſententia rite conſtitutis, Hungarorumque animis vtcumque exploratis, relicto ad Caſſouienſium partium 1619

(*a*) Exſtant hae apud Kazi Hiſtor. Hung. lib. II. pag. 240.

(*b*) Erant hi Marcus Criſinus Strigonienſis Canonicus, tum Stephanus Pongrátz, et Melchior Grodetz e ſocietate Ieſu ſacerdotes. Vide de his Kazi Hiſtor. Hung. lib. III. pag. 167.

tutelam *Rakotzio*, *Bethlenius* promotis per ſuperioris Hungariae comitatus itineribus, multorum vbiuis magnatum, et nobilium turmatim ad eius ſigna confluentium acceſſione in immenſum auctus, nemine reſiſtente, Tyrnauiam vſque peruenit: hic ille foedus contra caeſarem cum Bohemorum legatis pepigit, ab eisdemque in belli ſumtus XL. mille aureos accepit, viciſſim autem VIII. equitum millia duce *Francisco* Rédei Pragam dimiſit, *Friderico* palatino recens intruſo Bohemorum regi ſuppetias latura.

§. IV.

Bethlenius S. corona, et potiori regni parte potitur.

Luſtrato Tyrnauiae exercitu, cum *Bethlenius* copias ſuas multorum millium Hungarorum acceſſione auctas videret, ad maiora iam audenda incitatus, Poſonium caſtra promouit. Ac hic quidem a regni primoribus, qui magno illuc numero confluxerant, cum ſua, tum vero S. coronae ibidem cuſtodiri ſolitae cauſa magnopere trepidatum fuit, propterea quod, ſi vſitatas pacis tempore excubias demas, nullus praeterea praeſidiarius miles adeſſet, qui vrbis, arcisue moenia tueretur. Quae copias vel e vicinis comitatibus tempeſtiue colligendi, vel certe ſacrum diadema ad tutiorem locum deportandi incu-

ria haud ſcio an a grauiore culpa poſſit excuſari. Hoc cum loco eſſent res Poſonii, magnates relicta hoſti ciuitate in arcem ſe ſe recepere; tolerarunt illi cum modica ſuorum manu oppugnationem et diu, et fortiter, verum quia nullam ſpem auxilii a caeſare ſubmittendi affulgere videbant obſeſſi, *Bethlenius* autem tam illuſtris praedae quantocyus potiundae cupidus, ſplendidas deditionis conditiones offerebat, nutare coeperunt magnatum animi. Pars in caeſaris fide conſtantior, quos inter *Stephanus* comes Pálfi coronae duumuir fuit, ſerendam porro etiam obſidionem, ac, ſi ſors ita iubeat, occumbendum potius fortiter, quam ſacroſanctum gentis Hungaricae pignus vltro hoſti prodendum ſuadebant: at cum potiores, tot illuſtrium virorum vitam vtiliorem aliquando patriae fore, quam mortem exiſtimarent, ſperarentque tempeſtatem hanc, vt tot alias ante id tempus ſeditiones, optata pace poſſe ſedari, iis, quas *Bethlenius* obtulerat, pactis arcis, et ſacrae coronae deditio facta fuit. Nil victoria hac optatius hoſti euenire poterat, vt qui et pretioſiſſimo illo pignore, magno ſibi deinceps ad quiduis a caeſare obtinendum vſui futuro, et numeroſa magnatum regni corona ſe potitum mirifice laetatus fuit. Hos inter praecipui fuere: *Sigismundus* Forgáts regni palatinus, *Petrus* de Rewa comes Turocienſis, et *Stephanus* Pálfi ab Erdöd ſacrae coronae conſeruatores. Hos ille omnes iuramento fidelitatis prius ſibi obſtrictos, ea lege libertati reſtituit, vt bel-

lo durante deinceps apud ſe remanerent. Tam inſigni victoria tumidus *Bethlenius*, traducto in Auſtriam exercitu, Viennam arctiſſima cinxit obſidione, vrbemque hanc, et idoneo deſtitutam praeſidio, et domeſticis factionibus laborantem facile in ſuam redegiſſet poteſtatem, niſi res ſuas inſigni prorſus imprudentia, et belli in hoſtico gerendi inſcitia corrupiſſet: tantum enim abeſt, vt annonae promptuaria exercitui ſuo per hyemem quoque ſuffecturae, circum Viennam erexerit, vt etiam futurorum improuidus dimiſſis in omnem partem praedatoriis agminibus, oppida, pagos, collectasque iam fruges incendio deleuerit, qua depopulatione admoniti vicini incolae, quidquid pecorum, pecudum, annonaeque fuit, hoſti tempeſtiue ſubducta, ad tutiora, remotioraque loca abſtraxerunt. Atque hinc factum, vt deficiente ſenſim in caſtris annona, vniuerſae copiae ſubinde dira fame vexari coeperint, cui cum ex Auſtriacis ditionibus nil amplius opis adferri poſſe videret *Bethlenius*, ſoluta Viennenſi obſidione, exercitum in Hungariam reductum circum vtramque Danubii ripam per hyberna diſtribuit. Equidem incredibile videri poſſet *Bethlenium* paucorum menſium ſpatio, vniuerſa, quae a Turcico dominatu adhuc libera fuit, Hungaria adeo facile potiri potuiſſe, niſi cauſam quoque ſucceſſus huius cognitam, perſpectamque
1608 haberemus. Vetitum nempe per anni 1608. comitia fuerat *Mathiae* II. regi ſtipendiarias legiones Germanicas citra ordinum regni con-

ſenſum in Hungaria tenere, quod ipſum *Ferdinandus* etiam inaugurationis ſuae tempore ſe obſeruaturum iuratus promiſerat, vt adeo praeter praeſidiarios Hungaros, qui limitanea Turcis munimenta cuſtodiebant, nullae eſſent in ſtatiuis copiae domeſticae, quae ad primum belli ſtrepitum in vnum contrahi, irrumpentique *Bethlenio* potuiſſent opponi. Tota nempe regni ſecuritas ad eam militiam redacta tum erat, quae per gentis inſurrectionem conflanda erat, haec autem tam cito, ac praeſentis diſcriminis magnitudo expoſcebat, imperari omnino non poterat. Nil igitur obſtabat *Bethlenio*, quominus Hungariam ſtatario milite vacuam ſubiugaret. Ex quo iam clare intelligas, *Botskaianarum* partium ſectatores, cum ſtipendiarias legiones exteras e regno exterminatas voluere, non aliud intendiſſe, ac vt Tranſſiluaniae principibus, quos ad *Botskaiani* teſtamenti mentem libertatum ſuarum vindices conſtituerant, quoties euocarentur, liberrimus pateret in ditiones Hungaricas ingreſſus. Id cum et *Ferdinandus* II. et qui eum in ſolio Hungarico conſecuti ſunt, *Ferdinandus* III. ac *Leopoldus* M. ſapienter perſpicerent, ne regnum idoneis defenſoribus deſtitutum, hoſtium pateret libidini, induci numquam poterant, vt Germanicas copias penitus inde educerent: quod eorum ad communem et ſuam, et ſubditorum ſecuritatem procurandam ſtudium, non leuibus ſubinde motibus, praeſertim *Leopoldo* imperante, occaſionem praebuit. Quamquam in communi illa Hungariae a *Ferdinan-*

do defectione fuere non pauci, qui cum ſalutis, facultatumque ſuarum iactura ſumma fortitudine, et conſtantia legitimi principis ſui partes ſunt tutati. Hoc in numero fuit: *Nicolaus* comes de Frangepam Illyrici banus, cuius potiſſimum fidei, et vigilantiae conſeruatam debuit Croatiam *Ferdinandus* II. Is enim ſub ipſa *Bethleniani* tumultus initia, habitis generalibus regni comitiis, grauiſſima oratione eo fortiſſimam illam gentem permouit, vt nemo eſſet, qui non vitae, fortunarumque iacturam perpeti mallet, quam a legitimi principis obedientia ſecedere: in id praeterea peculiari ſtudio euigilauit, ne vllae ſeditioſorum literae in Croatiam perferrentur, cumque *Ioannes* Kniſſel de clancularia cum *Bethlenianis* commercio in ſuſpicionem vocatus eſſet, *Frangepanius*, vt erat priſcae vir ſeueritatis, veritus, ne mali vis vlterius ſerperet, hominem, feſtinato tamen praeter patriarum legum praeſcriptum iudicio, propalam Zagrabiae obtruncari curauit; neue quid ad ſecuritatem deeſſet, collocatis per opportuna loca ſtationibus militaribus, ita omnes in Croatiam aditus obſepſit, vt tametſi *Franciscus* de Battyan valida *Bethlenianorum* manu ſtipatus plus ſimplici vice irruptionem facere tentauerit, ſemper tamen inde cum clade ſit reiectus. In Hungaria autem prae ceteris commemorari merentur: *Georgius* Zrini, *Thomas* de Nádasd, et *Nicolaus* Eſzterházi, quos cum *Bethlenius* incaſſum ad perfidiam ſollicitaſſet, bona, poſſeſſionesque eorumdem ferro, et igne euaſtari

ſtari iuſſit. Idem fatum ſubiere *Georgii* Drugeth potentiſſimi in ſuperiore Hungaria viri dynaſtiae, qui iactura hac minime fractus, numeroſas copias aere ſuo in vicina Polonia collegit, ac *Rakotzium* ad pugnam pertractum memorabili clade profligauit: neque tacenda hic *Stephani* comitis Pálfi, et *Pauli* Apponyi fides, atque animi fortitudo, qui tametſi bello capti, in *Bethlenii* poteſtate erant, nullis tamen ſeu minis, ſeu pollicitationibus induci ſe ſiuerunt, vt eiurata caeſari fide *Bethlenio* adhaererent, quam captiuorum conſtantiam adeo is acerbe tulit, vt, pace poſtea confecta, non prius, quam numerato ſibi quinquaginta mille aureorum litro, eosdem liberos dimiſerit. Vt plurimos alios ſilentio praeteream: memorabilis demum fuit heroica *Andreae* Dótzi de Nagyluche Caſſouienſium partium gubernatoris, per *Bethlenianos* intercepti, virtus, quae nullis blanditiis, praemiisue capi, nullis calamitatibus labefactari potuit, vt fidem *Ferdinando* datam frangeret, quae clariſſimi viri conſtantia eo furoris egit praecipitem *Bethlenium*, vt eumdem in Tranſſiluaniam abſtractum, Fogaraſini in vincula coniecerit, vbi carceris ſqualore, et aerumnis confecto corpore, inuictae in *Ferdinandum* regem ſuum fidei victima occubuit. Huiuscemodi virtutum exempla edidere tunc maiores noſtri, quae idcirco libenter commemoramus, vt nos quoque ad eorumdem imitationem accendamur, ac cum eosdem ampliſſimis honoribus, opibus, dynaſtiis, ac poſſeſſionibus per princi-

pes ſuos excultos, donatosque vel in eorumdem poſteris intuemur, meritorum quoque, quibus tam illuſtria praemia obtinuere, magnitudinem conſideremus; aequum nempe nullo non tempore eſſe cenſuere ſummi imperantes, vt non ſola ſemper virtus ſibi ipſi ſit praemium.

§. V.

Bethlenius reiecta pace rex Hungariae per factioſos eligitur.

Haec inter *Bethlenius* totius propemodum Hungariae dominum ſe ſe circumſpiciens, ea cum ſupremae maieſtatis ſpecie verſabatur Poſonii, vt ſola iam illi deeſſet regis appellatio, quam dignitatem vt communi ordinum regni ſuffragio obtineret, eo *Sigismundum* Forgáts regni palatinum ſuarum tum partium hominem pertraxit, vt is ad diem
1619 XI. Nouembris anni eiusdem 1619. generalia comitia Poſonium indixerit, in quibus reſtituta veteri Hungaros gubernandi forma, gentis praerogatiuae, et immunitates communibus et *Bethlenii*, et ordinum regni ſuffragiis ſtabilirentur, Auguſtanae autem, et Helueticae confeſſioni addictis liberrimum vbique religionis exercitium aſſereretur. Conuenere ad praeſtitutum diem magno numero magnates, nobiles, ciuitatumque regiarum nuncii: nemo tamen ex eccleſiaſticis com

paruit, ac magnates etiam multi *Ferdinando* fideles consulto ab eo conuentu abstinuere: hos inter omnium maxime desiderabatur *Nicolaus* Eszterházi de Galantha comes Beregiensis, et curiae regiae magister, quem non palatinus solum, verum ipse quoque *Bethlenius* humanissimis literis eo euocabant: verum is, vt erat infracto, constantique animo vir, negauit se idmodi comitiis, quae inscio, inuitoque legitimo rege coacta fuissent, citra perfidiae notam posse interesse. Atque haec et multorum magnatum, et totius status ecclesiastici absentia in causa fuit, vt conuentus Posonienſis nulla re concluſa solueretur. Verum caesar non immerito pertimescens, ne *Bethlenii* factio paulo altiores in dies ageret radices, ipse vero alienatis iam ab augusta domo sua plurimis, sensim totius Hungariae dominatu exueretur, aliquid de summo iure cedendum, malumque lenitate potius, et indulgentia sopiendum, quam seueritate exasperandum putauit. Itaque misso ad *Bethlenium* oratore, nouem mensium inducias postulauit, earumque opportunitate potestatem fecit *Forgátsio* palatino, generalia regni comitia celebrandi; liberaliter insuper concessit, vt ibidem regiminis Hungarici ratio, ſicubi a priſco vſu receſſiſſet, ad patriarum legum, ac iurium praescriptum reformaretur; libertates, et praerogatiuae gentis seu per se, seu per decessores suos violatae pristino vigori suo restituerentur; acatholicorum querimoniis, et postulatis ad mentem pacis Viennensis ex ae-

quo ſatisfieret; communibus denique omnium votis ea decreta, legesque conderentur, quibus ſtabilis demum Hungariae pax reddi, conſeruarique poſſit: ne autem factioſi minus ſincera voluntate, et ſcenice ſolum ſecum agi putarent, fide regia pollicitus fuit caeſar, ſe ea, quae in comitiis rite concluſa fuerint, non modo rata habiturum, verum etiam ſancte deinceps obſeruaturum. Inopinata ea caeſaris indulgentia non mediocriter diſplicuit illis, qui exautorato *Ferdinando Bethlenium* ad ſolium Hungaricum euehere firmiter iam apud ſe conſtituerant, atque ideo omnem pacis, et concordiae tractationem, per quam *Ferdinando* regnum reſtitueretur, ſubterfugiendam voluere. *Bethlenius* tamen et inducias certis legibus admiſit, et in comitiorum, vt caeſar optabat, celebrationem haud grauate conſenſit. Atque hoc tempore *Ferdinandus*, vt ſecundis vbique ſucceſſibus tumidum hoſtem aliquantum deliniret, *Bethlenium* volentem, petentemque principis Hungariae titulis auxit. Haec ab armis ceſſatio nemini magis neceſſaria, ac vtilis fuit, quam caeſari, qui reſpirandi ſpatium nactus, tempus illud corrogandis vnde vnde pecuniariis ſubſidiis, nouis que militum ſupplementis ſumma diligentia conſcribendis impendit, quam in rem eo intenſiore cura, et ſolicitudine incubuit, quo certius praeuidebat fore, vt ea comitia ob contraria partium ſtudia re infecta abrumpantur: ſed neque callido *Bethlenii* animo quidquam fidendum erat, vt qui durantibus

induciis, missо Pragam oratore *Emerico* Thurzo pristinum cum Bohemis, et *Friderico* palatino foedus nouis pactionibus innouauit. Interea generalis conuentus praeside *Forgátsio* palatino exeunte vere A. 1620. haberi coepit Neosolii, quo suos quoque legatos misit caesar ex Germanis *Georgium* L. B. Teüffel, *Wilhelmum* Laminger, comitem *Colaltum*; ex Hungaris autem: *Paulum* Dauid episcopum Tinninienſem, *Moyſen* Tziráki, et *Laurentium* Ferentzſi. Verum neque hic optimae bonorum omnium exspectationi euentus respondit: eousque iam anarchiae cupiditas factiosorum animos in transuersum egerat, vt grauissimae instar iniuriae acceperint, quod caesar in suis ad comitia literis, Hungaros subditorum, *vasallorum*que nomine compellauerit: exinde clamoribus, contentionibus, et iürgiis tempus extrahi coepit, tamque enormia fuere *Bethlenianorum* postulata, vt eis *Ferdinandus*, salua sua regis Hungariae maiestate, regnique securitate, nullatenus posset assentiri, quapropter oratores caesarei, desperata concordia, e comitiis discessere. Atque tum primum procella diu iam coacta in apertum erupit. Procusa ibidem decreta horret calamus referre. Stabilitum quidem ex aequo fuit Catholicis non minus, quam Augustanae, et Helueticae confessioni addictis suarum religionum exercitium, datique sunt singulis religionibus sui protectores, qui illarum iuribus, indemnitatiue prospicerent, verum vna sancitum a factiosis, vt praeter Strigonienſem archiepi- 1620

ſcòpum, tres ſolummodo pro Hungaria Catholici conſtituerentur epiſcopi: videlicet *Agrienſis*, *Iaurinenſis*, et *Nitrienſis*, hi autem non plus, quam bis mille auri florenos annui redditus loco acciperent: *Petro* Pazmano Strigonienſi archiepiſcopo, regnique primati perpetuum exilium dictatum propterea, quòd, vt *Bethleniani* iactabant, *malus eſſet patriae ciuis*, id eſt, quod induci non potuerit, vt, deſerto legitimo rege ſuo, coniuratis ſe ſociaret; conſimili de cauſa pari poena multati ſunt *Thomas* Balásfi Boſſnenſis epiſcopus, *Nicolaus* Eſzterházi de Galantha, et *Georgius* Drugeth de Homonna Patres ſocietatis pariter, qui ſoli tum Catholicas ſcholas moderabantur, ac in Hungaris ad priſtina ſacra reuocandis, qua concionibus, qua ſcriptis, egregiam nauabant operam, ſolum vertere iuſſi ſunt: ex aduerſo acatholicorum ſacrorum miniſtri ad ea loca omnia, vnde aliquando per caeſareos militiae praefectos quacumque ex cauſa eliminati erant, reuerterentur. Gens Hungara in plenam veterum libertatum, praerogatiuarum, et conſuetudinum poſſeſſionem ex aſſe reſtitueretur, neque aliis, quam antiquis ſuis legibus, et moribus gubernaretur: demùm pro comitiorum coronide, *Gabriel* de Bethlen hactenus Tranſſiluaniae et Hungariae princeps, vnanimi factioſorum voce, *ob praeclara ſua in Hungariam*, quam ferro, et igne euaſtauerat, *merita*, rex Hungariae acclamatus eſt, atque ex eo die in ſigillis, titulis, ac numiſmatibus, *electi regis* appellatione vti coe-

pit. Quamuis autem ſacrum regni diadema in poteſtate habuit, minime tamen ſe coronari paſſus fuit, atque amicis vehementer id vrgentibus illud reſponſi loco dare ſolebat: veteri lege, et longo plurium ſeculorum vſu apud Hungaros receptum, ſtabilitumque eſſe, ne regis Hungariae inaugurationem ab alio, quam Strigonienſi archiepiſcopo, peragi liceret: quo officio, vt *Petrus* Pazmanus id temporis Strigonienſis metropolita defungeretur, *Bethlenius* nullo pacto ſperare poterat. Sic iſte tum veterum morum, et conſuetudinum obſeruantem ſe eſſe Hungaris demonſtrare ſatagebat.

§. VI.

Laetior fortuna Ferdinandi Bethlenium ad pacem ineundam flectit.

Haec, aliaque ſane quam funeſta, patienter aliquamdiu toleranda erant *Ferdinando* II. caeſari, donec opportuna pecuniae ſubſidia e Belgio, et Hiſpania aduenirent, ſoederatique principes validis cum copiis ad opem illi ferendam confluerent. Domi quoque interea et belli neruus, et milites vbique magna cura, et celeritate colligebantur: Hungari demum magnates, et nobiles, qui legitimi principis ſui partes ſectabantur, praeterquam quod viritim ipſi ad arma conuola-

uerint, vires, facultatesque inſuper omnes ad conſcribendos armisque inſtruendos tirones profuderunt. Quapropter exſpirante induciarum termino, eo iam loco res erant *Ferdinandi*, vt non ſuſtinendo iam ſolum, verum etiam inferendo bello parem ſe eſſe cerneret, quamuis et pluribus locis, et diuerſis cum hoſtibus bellum gerendum fuerit. Hiſpani duce marchione *Spinola* in palatinatu Rheni ſtrenue rem agebant. *Ioannes Georgius* elector Saxoniae rebellem Luſatiam ad caeſaris obedientiam redire compulit. *Maximilianus* Bauariae dux, cui in belli ſumtus Auſtriae ſuperioris vectigalia, tributaque omnia inſcripta erant, Auſtriacis prius ſub iugum miſſis, recta Pragam cum exercitu tetendit, vt ibidem cum *Friderico* palatino decretorio certamine congrederetur. Certatum
1620 hic eſt die VIII. Nouembris anni 1620. magna vtrinque pertinacia, dum demum Bauarus illuſtri ſane victoria potiretur appoſite ad eius diei euangelium: *Reddite ergo, quae ſunt caeſaris, caeſari, et quae ſunt Dei, Deo.* Profligato hunc in modum *Friderico* palatino, proſtratis factioſorum et viribus, et animis, potior Bohemiae, Sileſiae, et Morauiae pars ſub caeſaris iugum miſſa fuit. Inexſpectata haec Bohemorum clades, et ſecundus vbiuis armorum caeſareorum per Germaniam ſucceſſus paulo vehementius perculit *Bethlenium*, vt iam vereri inciperet, ne *Ferdinandus* ceteris hoſtibus edomitis, et ad pacem adactis, copias omnes in Hungariam traductas contra ſe vnum conuerteret: quapro-

pter anxie vias omnes circumſpicere coepit, vt ſe ſe tempeſtiue ictui ſubduceret. Miſſis igitur Conſtantinopolim nunciis, Turcas ad vicennales inducias, quas adhuc cum *Mathia* rege pepigerant, abrumpendas ſollicitauit, ac vna etiam a Tartarorum chamo XL. millia praedatorum in auxilium ſibi ocyus ſubmitti flagitauit, ſtipendii, praemiiue loco, Hungariam, Auſtriam, Styriam, ceterasque auguſtae domus prouincias depopulandas offerens, interea vero dum a Turcis, et Tartaris reſponſum acciperet, menſium aliquot inducias a caeſare petiit, vt iis durantibus de firma pace poſſet transigi. Annuit poſtulato *Ferdinandus*, qui iis temporum in imperio Germanico rationibus nil aeque, ac quietem Hungariae, in votis habuit, verum tametſi hiems tota ineuntis anni 1621. habendis de concordia conſultationibus abſumta ſit, nil tamen vnquam tranſigi potuit, quod *Bethlenius* multiplicibus, enormibusque poſtulatis ſuis moram de induſtria necteret, vt interea, quo loco Bohemorum, aliorumque contra caeſarem foederatorum res eſſent, quid item ſpei ex oriente affulgeret, certius poſſet intelligere. Calliditatem hanc *Bethlenii* poſtquam Hungari turbarum, calamitatumue ſatis iam pertaeſi comperere, non leuiter ab hominis ſua vnius, non communia Hungariae commoda curantis partibus alienati ſunt; vbi vero certis nunciis propalatum fuit, Turcas ab eodem, Tartarosque in patriae excidium euocari, vſque adeo iam eum auerſari coepe- 1621

rant, vt plurimi ſenſim, praeſertim e regni primoribus, ab eodem diſceſſerint: primus ad priſtinum obſequium rediit, gratiamque a mitiſſimo caeſare obtinuit *Sigismundus* Forgáts regni palatinus non multo poſt ſeu morbo, ſeu potius ob contractam inconſtantiae notam, animi moerore conſumptus: huius exemplum mox conſecutus fuit *Georgius* Szétſi de Rima Széts, qui, vt erat inſigni virtute, ſcientiaque militari praeditus, multis poſtea, continuato contra *Bethlenium* bello, editis fidei, et fortitudinis exemplis priorem perfidiam luculente eluit, horum imitatione alii poſt alios ad legitimi principis partes transiere. Ceterum *Ferdinandus* ipſe inutili pacis tractatione turpiter demum ſe a *Bethlenio* deluſum aegre ferens, geminos in Hungariam traduxit exercitus: quorum alteri comitem *Buquoium*, alteri *Nicolaum* comitem Eſzterházi bellidnces praefecit, qui rem deinceps aduerſus *Bethlenianos* geminis ex partibus agerent. *Eſzterházio* paulo difficilius negotium fuit in transdanubiana Hungaria, ob inſignem vigilantiam bellicamque fortitudinem *Francisci* de Battyan, praecipui Bethlenianarum partium ſectatoris; ſpem quidem non modicam edomandi hoſtis conceperat *Eſzterházius* ob Croaticarum copiarum, quas in ſubſidium euocauerat, aduentum, verum has *Battyanius* ex inſidiis magna vi aggreſſus, prope internecione deleuerat, qua in clade *Georgius* Patachichius, *Stephanus* Orgouani, *Franciſcus Caſparus*, et *Sigismundus* Orechozii cum plurimis aliis e nobilitate viris capti,

ac, quia nullo pacto induci poterant, vt eiurata caesari fide *Bethlenium* sequerentur, aduersus humanitatis leges in vincula sunt coniecti, quae Croatarum clades causa fuit, vt caesareani e tota propemodum transdanubiana Hungaria eiicerentur. Cis Danubium aliquanto felicius pugnabatur, subacta enim *Buquoii* ducis virtute arce, ciuitateque Posonienſi, Bethleniani e pluribus pedetentim locis profligati, Szakoltzam vsque finitimam Morauis Hungariae ciuitatem regredi sunt coacti. Hoc rerum suarum positu *Bethlenius* multas tempestiue de pace cogitandi causas habuit: *Iagerndorfius* rebellium Silesitarum dux toto eo ducatu exterminatus, *Ernestus* Mansfeldius seditiosorum in Bohemia primipilus, *Christianus* Brunsuico-Halberstadiensis dux, et marchio Durlacensis non deuicti solum, verum etiam edicto caesareo proscripti, complures denique ex optimatibus Bohemiae intercepti, ac in perduellionis poenam publico in loco Pragae supplicio affecti, terrorem ceteris rebellibus inspirauerant. Ex oriente autem nulla prorsus suppetiarum spes apparebat, quod *Osmanes* Turcarum imperator eodem anno 1621, memorabili clade 1621
ad Chozimum per Polonos affectus, etsi vellet, *Bethlenio* opitulari non posset, his malis illud quoque accessit, quod Hungaria, et Morauia per continuas populationes exhausta, dira fames in *Bethlenii* castris grassari inciperet, vt adeo non soli iam Hungari, verum ipsi quoque Transsiluani diuturni belli, et inediae, laborumque taedio affecti,

turmatim e caſtris, ſignisque diſcederent. His itaque permotus *Bethlenius* ſerio demum ad pacem cum caeſare ineundam flexit animum.

§. VII.

Pacis cum Bethlenio conditiones, primique belli exitus.

Datis vtrinque induciis Nicolsburgum Morauiae oppidum delectum, vbi partis vtriusque arbitri de pace acturi conuenirent. Aderant illic pro caeſare Germani: cardinalis *Dietrichſteinius* Olomucenſis epiſcopus, et comes *Colaltus*. Hungari autem: *Petrus* Pazmanus Strigonienſis archiepiſcopus, et *Nicolaus* Eſzterházi curiae regiae magiſter. Pro *Bethlenio* vero: *Emericus* Thurzo, *Ioannes* Sándor, et *Stephanus* Kaſſai, qui exeunte
1621 autumno eiusdem anni 1621. conſultationibus initium fecere. Poſt multas diſceptationes in has demum conditiones ab vtraque parte conuentum fuit: *Bethlenius* reſtituto caeſari diademate, ceterisque D. *Stephani* inſignibus, *electi regis Hungariae* iuri, appellationique in perpetuum renunciaret: arces, et ciuitates in Hungaria occupatas bona fide redderet: militem Tranſſiluanum ſine mora e regno educeret, ac nihil deinceps hoſtile in caeſarem,

eiusue ditiones moliretur. Caesar ex aduerso *Bethlenium* S. R. I. principis titulo ornatum, insuper ad sarciendos belli sumtus, sed *solum vita comite*, Oppolienſi, et Ratiborienſi in Sileſia ducatu, tum vero ſeptem in Hungaria comitatibus: Abauiuarienſi cum Caſſouia, Zemplinienſi, Borſodienſi, Beregienſi, Vgotſienſi, Szaboltsenſi, et Szatmarienſi augeret. De his porro comitatibus ea cautio diſerte adiecta fuit, vt *Bethlenius* quamdiu viueret, ſaluis priuatorum dominorum iuribus, publica ex eisdem tributa et vectigalia acciperet, tota nihilominus politica eorumdem adminiſtratio ad regis Hungariae, ſacra vero ad epiſcoporum iurisdictionem ſpectaret: praeterea magiſtratus eorumdem comitatuum, arcium item, et fortalitiorum praefecti, *Ferdinando* regi Hungariae tamquam legitimo principi ſuo fidem ſuam, et obedientiam iureiurando interpoſito obligarent. Quoad Tranſſiluaniam, pro deceſſorum principum more ita conſtitutum fuit, vt eamdem *Bethlenius* eiusdemue ſexus virilis poſteri hereditario iure poſſiderent vna cum ditione illa, quam partes Hungariae inde a *Ioannis Sigismundi* principis aetate appellabant, quae quatuor comitatibus Tranſſiluaniae conterminis, videlicet: Biharienſi, Kraſznenſi, Szolnok mediocri, et Marmaroſienſi deſiniebatur, quodſi *Bethlenium* citra maſculum heredem decedere contingeret, illico vniuerſa Tranſſiluania, partesque memoratae ad S. coronae, et regis Hungariae obedientiam, ac dominatum reuerterentur.

Haec ad priuata *Bethlenii* commoda pertinuere: Hungaris autem, qui cum facultatum ſuarum iactura toto eo bello eiusdem ſigna ſequebantur, id ſolum lucri acceſſit, quod eis caeſar generalem ſeceſſionis veniam impertierit; quae enim in totius gentis fauorem praeterea pace illa ſancita erant, tanti non fuere, vt ad eadem ab aequiſſimo, promiſſorumque ſuorum memore caeſare extorquenda, *Bethlenium* non ſine irreparabili patriae foedum in modum eo bello deuaſtatae damno excire neceſſe fuerit, haec enim *Ferdinandus* coronationis ſuae tempore iuratus promiſerat; talia erant: vt pax Viennenſis, communes item, publicisque regni conſtitutionibus firmatae gentis Hungaricae praerogatiuae, libertates, et conſuetudines fideliter cuſtodirentur: Auguſtanae denique, et Helueticae confeſſioni addictis liberum religionis exercitium porro etiam permitteretur. Pactis his vtrinque probatis, ac ſub anni
1622 1622. principium promulgatis, *Bethlenius* tam ſibi vtilem pacem conſecutus, ſpoliisque per Hungariam collectis diues, triumphanti ſimilis in Tranſſiluaniam rediit, ex Hungaris autem potentiores multi a *Bethlenio* ad ſua reuerſi deuaſtatos mutuis populationibus agros, villas, et oppida ſua magna ex parte incendio deleta, imminutum ſubditorum ruricolarumue numerum, damna denique multorum annorum induſtria haud reparanda ſuismet intuentes oculis, pernicioſa ſua conſilia ſero nimium damnauere, nihilque ſe e toto eo bello commodi accepiſſe iure, me-

ritoque doluere. Porro cum capita pacis Nicolsburgenſis in generali regni conuentu regis vna, atque ordinum regni conſenſu roborari oportuerit, hunc caeſar ad diem III. Aprilis eiusdem anni 1622. Sopronium conuocauit. Stabilita hic publico comitiorum decreto memorata pace, Viennenſi item pacificatione, et decretis A. 1608. noua confirmatione innouatis, altera caeſaris coniux *Eleonora, Vincentii* Gonzagae Mantuae ducis filia, ſolitis ritibus conſueto diademate redimita fuit. Demortuo palatino *Sigismundo* Forgáts potioribus ſuffragiis ſuffectus eſt *Stanislaus* Thurzo Auguſtanae confeſſioni addictus, huic autem in iudicis curiae dignitate vnanimi voto ſucceſſit *Nicolaus* comes Eſzterházi de Galantha (*a*). 1622 1608

§. VIII.

Pax Nicolsburgenſis per Bethlenium violata iterum reſtituitur.

Promulgatis comitiorum Sopronienſium decretis, dum omnia ſenſim ad eorumdem praeſcriptum executioni dantur, cunctique pacis dulcedine frui incipiunt, *Bethlenius* violata pace Nicolsburgenſi, iterum infeſtis ſignis

(*a*) Plura his in comitiis ſancita videri poſſunt in Ferdinandi II. decreto I. in codice iuris patrii.

1623 Septembri A. 1623. Hungariam inuaſit. *Mansfeldius* nempe, et *Iagerndorfius* veriti, ne caeſar pacata Hungaria totis iam viribus ad rebelles Bohemos, et Sileſitas ſub iugum cogendos incumberet, quo caeſaris copias diuiderent, *Bethlenii* opem implorarunt: vt autem hominem augendae potentiae ſuae cupidum eo facilius ad rumpendam pacem pertraherent, longam Germaniae principum ſeriem, qui partes ſuas contra caeſarem tuituri, auxiliaque daturi eſſent, ſubmiſere. *Bethlenius* itaque caeſare tot foederatorum armis deuicto, multum ſe iterum lucri facturum autumans, nil penſi habuit, promiſſa ſua infringere: vt tamen iure ſe arma ſumſiſſe ostenderet, has fere belli cauſas in publicum edidit: Oppolienſem, et Ratiborienſem ducatus cum omnibus eo ſpectantibus ditionibus nondum ſibi per caeſareos homines integre reſignatos fuiſſe, neque hos tanti eſſe cenſus, quanti initio ferebantur; ſpeciatim autem de Hungaria querebatur: illa, quae Sopronienſibus comitiis ſiue in gentis totius, ſiue in acatholicorum fauorem ſancita erant, nondum eſſe ex parte caeſaris praeſtita, premi adhuc dum variis in locis acatholicos, Ieſuitas ex aduerſo ad eadem loca, vnde ipſe eos relegauerat, iterum reuerſos(*a*); quaſi vero libero proteſtantium religionum exercitio

(*a*) Vide inter alios Hiſtor. diplom. religionis euangelicae in Hungaria pag. 39.

exercitio atrociſſima illata fuiſſet iniuria, quod caeſar, et Hungariae epiſcopi Ieſuitis et ſcholarum profeſſoribus, et verbi Diuini miniſtris vterentur. His cum cauſae aequitatem vtcumque vindicatam cenſuiſſet *Bethlenius*, praeter Tranſſiluanicas copias ſuas, non contemnendum quoque Tartarorum numerum ſecum in Hungariam deduxit: diuiſo deinde exercitu, Hungaros, qui rurſum ſub eius ſigna confluxerant, et Tartaros duce *Francisco* de Battyan ad euaſtandam Styriam, terroremque per Auſtriacas ditiones ſpargendum dimiſit: alteram copiarum partem *Turio* aſſignauit, vt caeſareorum conatibus ſemet opponeret: ipſe demum in inſula, quam Tsalóköz dicimus, conſedit, atque praedatoria ſuorum, et Turcarum, Tartarorumue agmina ad Auſtriam, Sileſiam, Morauiam, et Bohemiam euaſtandam, praedasque colligendas ablegabat, vnde multa mortalium millia in triſtiſſimam Mahometanorum ſeruitutem ſunt abſtracta. Non poſſumus hic ſilentio praeterire ſingularem *Nicolai* C. Eſzterházi in miſeros caritatem, qui Turcas, Tartarosque a populatione domum reduces ad Nitriam aggreſſus, non modo cecidit feliciter, verum etiam quater mille captiuos Chriſtianos eorumdem manibus ereptos in libertatem aſſeruit, (*a*) qui omnes ſublatis in

(*a*) Ex diplomate Ferdinandi II. anni 1626 et Leopoldi M. anni 1681. quae vide in Trophaeo domus Eſtoraſianae.

coelum oculis, ac manibus liberatori ſuo vitam, et felicitatem a Deo deprecati ſunt; hoc ſpectaculo, haud ſcio, an *Nicolaus* Eſzterházius aliud aliquod in vita ſiue iucundius, ſiue glorioſius habere potuerit. Ceterum bellum hoc haud diuturnum fuit, cum enim *Bethlenius* baſſam Budenſem, qui cunctis per Hungariam Turcis ſummo cum imperio praeerat, nequaquam inducere poſſet, vt is durantibus adhuc vicennalibus cum *Ferdinando* induciis copias auxilio mitteret, ſed neque Germaniae principes ſtipulata prius et pecuniarum, et militum ſubſidia praeſtarent, ne tota belli moles in ſe vnum deriuaretur, caeſari demum pacem obtulit: con-
1624 fecta haec eſt A. 1624. Viennae, iisdem, quibus ante Nicolsburgi, conditionibus, niſi quod *Bethlenius* reſignato Oppolienſi, et Ratiborienſi ducatu, eius loco Bathoriani olim iuris arcem, dynaſtiamque Etsediam in Hungaria (*a*) hereditario ad poſteros iure obtinuerit, vna autem fidem dederit, numquam ſe rebellibus contra caeſarem ſuppetias daturum.

(*a*) De hac arce vide Mathiae II. decreti IV. art. XXV.

§. IX.

Poſtremum cum Bethlenio bellum pace terminatur.

Sic tum bello finis impoſitus fuit, non item *Bethlenii* ſiue inconſtantiae, ſiue potentiam; opesque ſuas e ruinis Hungariae augendi cupiditati. Prima coniuge *Suſanna* Károlyi de Nagy Károly ſine ſobole ſublata, ſecundis ſibi nuptiis iunxerat *Catharinam*, *Ioannis Sigismundi* Brandeburgici electoris ſororem: nuptiasque regia plane pompa Caſſouiae 1626. celebrauerat; ad ſponſam e tam illuſtri 1626 imperii domo conſequendam caeſaris potiſſimum opera, et interpoſitione vſus fuit *Bethlenius*, ad quod ſibi praeſtandum vt eo efficacius caeſarem permoueret, viciſſim fidem dederat, ſe apud Hungaros omni ſtudio in id incubiturum, vt primogenitus caeſaris filius *Ferdinandus* III. in proximis anni 1625. 1625 comitiis, in regem Hungariae inauguraretur: neque ea in re fidem fefellit *Bethlenius*, vt qui miſſis Sopronium ſuo, prouincialiumque ſuorum nomine legatis, vota caeſaris quam cumulatiſſime expleuit, verum per id rurſum non leuem nomini ſuo labem aſperſit, cum nuptiarum ipſarum opportunitate eo ſe flecti paſſus fuit, vt coniuratorum in domum Auſtriacam imperii principum foederi accedere non dubitarit: perfidiam autem hanc foedo plane, ac Chriſtiano principe prorſus indigno facinore cumulauit; nam vt eo maioribus viribus, certioreque ſucceſſus ſpe

rem contra caesarem agere posset, *Sophium* bassam Budensem modis omnibus eo pertrahere satagebat, vt is copias Ottomannicas imperio suo per Hungariam obnoxias in vnum contraheret, vnitisque secum viribus caesarem aggrederetur; at cum *Sophius* inducias adhuc dum durantes negaret sine grauissimo crimine ab se infringi posse: hominis Ottomanni vel Christianis ipsis in obseruanda pactorum fide constantia eo *Bethlenium* adegit, vt conficta accusatione Bizantium transmissa innocentem laqueo praefocari, eidemque *Murtezanem* Bossniae praefectum consiliis suis fauentem surrogari impetrauerit, qui vt benefactori, cuius commendatione omnium maxime lucrosam Hungariae praefecturam consecutus erat, gratum se exhiberet, contempta induciarum religione, valido cum exercitu *Bethlenium* postea adiuuit, causae bello eaedem, quae prius, praetendebantur, gentis libertates, et praerogatiuas minime ad amussim obseruari: neque acatholicis sacris plenum liberrimumque, vbi eis collibuisset, concedi religionis exercitium, verum vtroque hoc hamo paucos iam admodum ex Hungaris ad se attraxit *Bethlenius*, plerique enim non Catholici modo, verum ipsi etiam acatholici hominem non tam gentis Hungaricae salutem, quam suas vnius vtilitates aucupantem detestati, in caesaris fide constantes perseuerarunt. Praeterea copiarum caesarearum duces *Wallensteinius*, et *Nicolaus* Eszterházius secunda vbique vsi fortuna, profligato cum Bohemis *Mansfeldio*, et

Bethlenium et *Murtezanem* Budenſem praefectum ad eas redegere anguſtias, vt honeſtum vterque receptum bello praeoptauerit. Itaque tertio iam pax Poſonii A. 1627. coaluit: 1627
qua quidem *Bethlenius* impetrata ſibi, heredibusque ſuis arce, et dynaſtia Munkatsienſi ditior euaſit, verum vna omnibus contra domum Auſtriacam foederibus nuncium mittere debuit. Atque hoc demum tempore Hungariae a bello reſpirare licuit, non item Germaniae, vbi bellum paulo atrocius diuturniusque exarſit, neque enim ſola iam religionis Proteſtantium cauſa agebatur; nam cum ſuſpicio eſſet Habsburgo-Auſtriacam in Hiſpania, et Germania dominantem domum eo conſilia ſua dirigere, vt imperium Romano-Germanicum armis ſubiugatum, in monarchici regiminis formam redigeret, Galliae, Sueciae, Daniaeque reges ad deprimendam Auſtriacorum potentiam, arctiſſimam cum imperii principibus armorum ſocietatem iniere. Verum hoc etiam bello, quamuis difficillimo, mira Numinis prouidentia, non vna vice triumphauit *Ferdinandus* II. neque tamen tricennalis huius incendii finem ſpectare potuit, quod eius ſucceſſor *Ferdinandus* III. celebri pace Weſtphalica anno 1648. reſtinxit (*a*). 1648

(*a*) Plura de hoc bello lege apud Kazi Hiſtor. Hung. lib. III. et ſequ. Keuenhüller Annal. Ferdinandi II. Tomo XII. Bougeant in hiſtoria Gallice ſcripta, ac in tribus voluminibus edita Pariſiis A. 1727.

§. X.

Bethlenii mors, et memoria.

Poſt concluſam Poſonii pacem, biennio tantummodo ſuperſtes *Bethlenius* improlis die
1629 XVI. Nouembris anno 1629. ex hac vita deceſſit. Vir inſigni prorſus ingenio praeditus, ac ob politicam non minus, quam militarem prudentiam, inter primos, qui aliquando Tranſſiluaniae praeerant, principes collocandus. Certe ſubditos regendi artes illi optime perſpectas fuiſſe, vel inde coniicias, quod prouinciam perpetuis ante turbis, et ſeditionibus domeſticis agitari ſolitam, per XVI. annos tranquille gubernauerit; libenter etiam hic loci commemoramus eximium illius ad populares ſuos in omni literaturae genere excolendos ſtudium, quod Martia ſuorum ingenia ab otioſa vitae ratione, quae priuatarum factionum, coitionum, diſſidiorum, ac turbarum in republica mater eſſe ſolet, ad amanda literarum ſtudia traducere, ſicque non ſolum iam armis gerendis idoneos formare, verum tales vna ſibi, ſucceſſoribusque parare cuperet, qui ea, quae ad ſalutem gentis procurandam quoquo modo faciunt, intelligant, ac cum ad ſanctiorem reipublicae ſenatum peruenerint, conſilia rebus, et temporibus accommodata, maturaque deliberatione caſtigata promant. Certe *Bethlenius* viros literatos nullo non tempore impenſe fouit, multosque ex eis e Germania in Tranſſiluaniam euocauit, vt eorumdem o-

pera, ad florentes iam alibi per Europam disciplinas, in Albensi Reformatorum collegio tradendas vteretur, cui etiam stabiliendo XLVII. mille florenos testamento legauit; sed has, aliasque plurimas eius dotes non mediocriter obscurabat foeda illa in foederibus violandis facilitas, quod, cum de sua, regnique sui vtilitate agebatur, media omnia iusta, sibique licita esse putaret; huic addo vehemens, quo sat longo tempore in Catholicos ferri videbatur, odium: vt enim Catholicam religionem dudum iam apud Transsiluanos oppressam penitus exstingueret, ministros illius, literarumue professores immitem in modum exagitatos e ditionibus suis omnibus edicto publico exegerat. Quamdiu in Hungaria erat, cum ecclesiastico ordini vniuersim, tum vero imprimis Patribus societatis Iesu infestum, implacabilemque se praebuit, ea potissimum de causa, quod hi et concionibus, et priuatis sermonibus, non modo auitum Dei cultum, verum vna fidem in legitimum principem *Ferdinandum* II. populo inspirare satagerent, sicque quamplurimos in eiusdem obsequio retinerent, quasi vero crimini verti debuisset ministris Catholicis, cum illius mandata promulgarunt, qui et verbo, et exemplo nos docuit, fidem, et obedientiam terreno principi non ex metu solum, verum etiam ex animo seruandam, ac sicut *ea, quae Dei sunt, Deo, ita ea, quae caesaris sunt, caesari esse reddenda.* Quamquam *Bethlenius* postremis vitae annis odium hoc religionis non me-

diocriter in se correxit, ac tam Catholicis omnibus, quam Iesuitis ipsis indulgentiorem se se exhibuit: his enim Monostorini ad Claudiopolim, tum Albae Iuliae, ac denique Karansebesini et functiones suas sacras obeundi, et iuuentutem Catholicam literis erudiendi potestatem fecit, quin etiam cum morti appropinquaret, de regni Transsiluanici per se se egregie constabiliti tranquillitate, felicitateque perpetua sollicitus, id magnopere primoribus commendauit, vt Catholicos aequalibus tam sacris, quam ciuilibus iuribus in Transsiluania frui, gaudereue sinerent, nullumque in hominibus ad munia publica promouendis religionis causa discrimen facerent, quo sic ciues inter, religione differentes, pax, animorum concordia, et sincerum communis boni studium obineretur. Quae quidem *Bethlenii* commutatio non immerito fortasse *Catharinae* Brandeburgicae coniugi tribuenda est, quae vt iam tum in Catholica sacra propendebat, virum ingenio prudentiaque praeditum sensim ad aequiora, regnoque suo vtiliora traduxerit consilia.

§. XI.

Transsiluaniae viciſſitudines.

Mors *Bethlenii* principis diuturnis deinceps turbis occasionem praebuit, quod ea, quae is moriens prouide, sapienterque constituerat, minime a prouincialibus obseruata sint: quem-

admodum triennio ante in comitiis Claudiopolitanis cautum, ac subinde *Ferdinandi* caesaris calculo probatum fuerat, mox a morte mariti *Catharina* vidua principatum conscendit, sed arctis admodum limitibus circumscriptum: datus enim ei erat gubernator *Stephanus* Bethlen de Iktár, Gabrielis germanus: additus insuper senatus e tribus nationibus, Hungaris, Siculis, et Saxonibus conflatus: quo inconsulto aliquid domi decernere, legatos accipere, aut mittere, cum exteris denique principibus pacis, belliue negotia tractare nefas esset. Caesar quoque vltro principatum Catharinae confirmauit, cum quod nuptiarum occasione in id iam consenserat, tum vero quod *Bethlenius* coniugem suam vltimis tabulis eidem tuendam maiorem in modum commendauerit: verum septem Hungariae comitatus, qui per pacem Nicolsburgensem vita solum comite possidendi *Bethlenio* dati erant, sine mora repetiit, missoque eum in finem *Melchiore* Alaghi iudice curiae, Decembri mense eiusdem anni 1629. occupari 1629
procurauit. Tranquilla haec initia breui post corrupit *Stephani* Bethlen gubernatoris ambitio, et animi mobilitas, qui, remota ab omni reipublicae administratione vidua, solus res omnes pro arbitrio moderari cupiebat, nec obscure relictis ei a marito opibus, et thesauris inhiabat; neque tunc difficile fuit popularium animos in *Catharinam* commouere, quod alioquin communi fama ferebatur, illam clam cum *Ferdinando* colludere, idque clam negotiari, vt honestis quibusdam, sibique

vtilibus conditionibus Tranſſiluaniam eidem reſignaret; neque vana erat ſuſpicio. *Ferdinandus* enim tot iam exemplis edoctus, ſeditiones Hungariae omnes a Tranſſiluaniae principibus fuiſſe concitatas, vt gentis Hungaricae tranquillitati, ſuaeque ſecuritati efficaciter proſpiceret, id reapſe egit, vt *Catharina* conſentiente Tranſſiluani, ad priſtinum ſacrae coronae obſequium reuocati, in vnum cum Hungaris corpus coaleſcerent; neque *Catharina* cauſae aequitate commota, difficilisque ſibi admodum gubernationis faſtidio affecta caeſaris voluntati repugnabat. Verum ſalutare vtrique genti conſilium in ortu ipſo praefocatum fuit. Nam cum gubernator ad-
1630 ulta aeſtate anni 1630. Claudiopolim comitia conuocaſſet, tanti ibidem clamores in viduam ſunt exorti, vt illa, quo ſe gubernatoris odiis, fortunaeque ludibriis ſubduceret, principatui ne annum quidem geſto vltro renunciarit, ſubindeque in Hungariam demigrauerit, in obligatis ſibi per maritum bonis priuatim beatius, quam in principatu victura: eadem haec princeps non multo poſt ad Catholica ſacra tranſiit, ac *Francisco Carolo* Saxolauenburgico duci nupta vitam ad annum
1649 vſque 1649. produxit. *Catharina* principatu decedente, de nouo principe conſtituendo agi coepit: variabant admodum vota: quod alii commendatum a *Catharina Tsákium*, alii *Stephanum* Bethlen gubernatorem, alii denique *Georgium* Rákótzi opibus, et autoritate potentem in Hungaria dynaſtam praeoptarent: quapropter gubernator de ſua electione de-

ſperans, veritusque, ne *Tsákius* ſibi in principatu praeferretur, peſſimo rebus ſuis conſilio, cognominem filium *Stephanum*, et *Dauidem* Zólyomi generum ſuum clam in Hungariam legatos miſit, qui *Georgium* Rákotzium nomine ſuo in Tranſſiluaniam inuitarent: quorum in ſe humanitatem turpi poſtea ingratitudine remuneratus fuit, dum *Zolyomium* perpetuo carceri incluſit, alter autem deſtinata ſibi vincula naturali morte praeuertit.

§. XII.

Georgius I. Rákótzi et a caeſare, et a porta Ottomannica in principatu confirmatur.

Vix legati in Hungariam diſceſſerant, cum Tranſſiluaniae ordines, redeunte *Gabrielis* Bethlenii in Tranſſiluaniam meritorum memoria, vltro principatum germano illius *Stephano* gubernatori detulere. Ille praeter ſpem voti damnatus, alios ſine mora nuncios ad *Rákotzium* miſit, qui eum de ſua electione edoctum a ſpe principatus conſequendi, ac ſuſcipiendo eapropter in Tranſſiluaniam itinere dehortarentur. Verum *Rákotzius* regnandi dulcedine captus, viribusque ſuis, et amicis, quos copioſos numerabat, confiſus, minime ſibi amplius ab incepto diſiſtendum putauit. Quapropter Varadinum progreſſus, poſtquam et loci arcem, et vicinam prouin-

ciam in fidem recepit, oratores in Tranſſiluaniam praemiſit, qui principatum ſuo nomine peterent, quos ſubinde ipſe conſecutus, delecta cum militum manu Claudiopolim peruenit, breuique omnium ſtudia, voluntatesque ad ſe attraxit. Sic cum mutatos repente cerneret prouincialium animos *Stephanus* Bethlenius ſeu aemuli praeſentis, armatique timore correptus, ſeu animi mobilitate actus, vltro ipſe principatum in *Rákotzium* tranſtulit, ea vnice conditione, vt ſibi titulus gubernatoris porro relinqueretur; quod cum nullo negotio impetraſſet, vna cum prouinciae ordinibus fidelitatis ſacramentum nouo principi nuncupauit. Haec cum in Hungariam, Viennamque nunciata fuiſſent, *Ferdinandus* coronae ſuae in Tranſſiluaniam iura
1630 tuiturus, mox autumno A. 1630. *Nicolaum* Eſzterházi, creatum quinquennio abhinc regni palatinum, ad reuocandam ad obſequium Tranſſiluaniam cum copiis dimiſit. At cum Tranſſiluani ſolennibus cum rege Hungariae pactis, ſub quouis principe, et quauis pacis tractatione renouatis, nullatenus ſtare vellent, caeſarisque poſtulata parui penderent, palatinus idoneis ad ſubiugandam prouinciam viribus ſe deſtitutum videns, a bello inferendo tum quidem abſtinuit, ſed neque anno inſequente, quamuis maiore militum numero inſtructus, quidquam profecit, quod *Rákotzius* Turcarum adiutus auxiliis eumdem ab aditu prouinciae prohibuerit. Exinde caeſar difficili alioquin, ſumtuoſoque bello in Germania preſſus, quid ſibi cum Tranſſiluanis agendum

eſſet, primores Hungariae conſuluit. *Eſzterházii* palatini, et plerorumque mens fuit, vt iis rerum, temporumque rationibus a bello abſtineret, *Rákotzio* potius principatum confirmaret iis conditionibus, quibus ſua regis Hungariae, ac ſacrae coronae in Tranſſiluaniam iura ſalua manerent, opportuniore aliquando tempore vindicanda. Paruit neceſſario potius, quam vtili conſilio caeſar, pacemque petenti *Rakotzio* obtulit, pro cuius tractatione vtriusque partis oratores Eperieſini A. 1633. conuenere. Caeſareani: *Ste-* 1633
phanus Sennyei laurinenſis epiſcopus aulae cancellarius, *Nicolaus* Forgáts ſuperioris Hungariae armorum praefectus, *Stephanus* Oſtroſich, et *Thomas* Mikulich; *Rakotziani* vero *Stephanus* Kouátsótzi, *Andreas* Kapi, *Georgius* Horuáth, et *Ladislaus* Balásházi. Octo ipſos menſes conſultatio tenuit, dum pars vtraque in has demum conditiones conſentiret: *Rakotzius*, ac eiusdem maſculini ſexus heredes Tranſſiluaniae principatu fruerentur, ita tamen, vt regi Hungariae clientelae fidem iureiurando interpoſito profiterentur; aduerſus quosuis hoſtes, ſolo Turca excepto, Hungaros pro viribus adiuuarent. Pax haec *Rakotzio* vtiliſſima fuit; altero enim poſt anno *Stephanus* de Bethlen, eius in filium ſuum *Petrum* ſeueritate offenſus, ad Budenſem praefectum abiit, atque *Rakotzium* de crudelitate, auaritia, ſecretisque ad excutiendum Ottomannicum iugum cum caeſare conſiliis adeo appoſite ad faciendam fidem accuſauit, vt is capita accuſationis o-

mnia illico Bizantium perferri curauerit. Re in *Diuano*, siue arcano senatu diligenter expensa, mox reddita sunt Budensi praefecto mandata, vt collectis in vnum copiis Ottomannicis in Transsiluaniam festinaret, *Rakotzio*que in ordinem redacto *Stephanum Bethlenium* in principatu sufficeret. Fecit ille imperata non segniter, et virum ad dignitatem suam tuendam egregie comparatum in *Rakotzio* reperit; nam praeterquam quod
1635 A. 1635. ad Szalontam Turcae profligati sint, adeo insuper a *Stephano* Bethlenio abhorrebant prouinciales, vt nemo fere esset, qui eius causa Rakotzianas partes vellet destituere. *Ferdinandus* quoque clienti suo ex pacto opem laturus, bellum Turcis comminatus fuit, nisi a lacessenda Transsiluania abstinerent. Haec vbi Bizantium nunciata sunt, *Amurathes* grauissimo tum bello cum Persis occupatus, non abs re pertimescens, ne, si bello succumberet, Transsiluani penitus se se ab Ottomannica societate separarent, arctissimamque cum Hungaris inirent amicitiam, quem armis edomare nequiuit, humanitate sibi deuinciendum putauit *Rakotzium*: missis enim in Transsiluaniam nunciis, eumdem iniuriis omnibus condonatis, pleno iure in dignitate confirmauit, id vnum ab eo flagitans, vt decessorum suorum exemplo, perpetuum cum porta Ottomannica foedus coleret, de quo vbi fidem dedisset *Rakotzius*, agentibus Turcis, *Stephanus* Bethlenius pariter in pristinam ab eodem gratiam receptus fuit. Ex quo luculente licet colligere,

conſtantem illam aulae Bizantinae de Tranſ. ſiluanis in foedere, ſocietateque ſua retinendis ſollicitudinem: quamuis enim emolumenta, quae inde quotannis honorarii nomine percipere ſolebat, vix X. mille aureos excederent, maximi tamen inſtar lucri habuit, prohibuiſſe, ne Tranſſiluania cum Hungaris ſub eodem principe in vnum regnum coaleſceret. Atque hanc ſeparationem reapſe feliciter tutati ſemper ſunt Turcae ad tempora vſque *Leopoldi* caeſaris, quo imperante profligatis ad Viennam Turcis, Budaque expugnata, *Carolus* Lotharingiae dux illud, tamquam ad ſecuritatem domus Auſtriacae vnice neceſſarium effecit, vt Tranſſiluani, miſſo Bizantinae aulae nuncio, arctiſſimum cum caeſare foedus percuterent.

§. XIII.

Peculiares quaedam in re ciuili conſtitutiones.

Hae fere ſunt tempeſtates, quibus Hungaria *Ferdinando* II. imperante agitata fuit: quae ipſae propenſiſſimum caeſaris in commoda publica animum non mediocriter excitauere, vt ea omnia media ſummo ſtudio arriperet, quibus et ſingulorum res priuata, et communis regni totius ſalus tot turbis conuulſa quocitius reſtitueretur, optataque demum quies patriae procuraretur. Huc tendebant innumerae leges, variis in comitiis perlatae, ex

quibus eas ſolum hic explicabimus, quae aliquid in ſe continere videntur nouitatis. Cum ſacrum diadema e *Bethlenii* poteſtate vindicatum iterum in arcem Poſonienſem inferendum eſſet, ne venerandus ille theſaurus idonea, decenteque cuſtodia, quae antea eidem deerat, porro deſtitueretur, eiusdem duumuiris conſeruatoribus addita fuit centum capitum cohors, e Germanis, totidemque Hungaris militibus conflanda, qui non regi ſolum, verum regno etiam ſolenni iureiurando fidem ſuam obſtringerent: donec autem ſiue duumuiris, ſiue cohorti huic ex aerario publico de ſtipendio prouideri poſſit, ea fuit regni ordinum in ſacroſanctum id pignus obſeruantia, et liberalitas, vt florenum Hungaricum cum dimidio ſinguli domini terreſtres a ſingulis portis e crumena ſua quotannis pendendum obtulerint, quae oblatio pro temporum ratione, et ordinum arbitrio variata, cum ſummam in memorata ſtipendia neceſſariam longe excederet, pars illius ad domum publicis regni conuentibus deſeruituram Poſonienſi in ciuitate aedificandam conuerſa fuit, quae hodiedum *domus regnicolaris* audit (*a*). Vt aerario regio, quod *Ferdinandus* admodum exhauſtum eſſe querebatur, proſpiceretur, illud decernendum cenſuere regni ordines, vt homines alienigenae, quorum

(*a*) Ferdinandi II. decret. I. art. IV. XXXIV. decret. II. art. XXVI. VII. et VIII. decreti IV. art. IV. V. et VIII.

quorum siue fraude, siue negligentia regios prouentus dissipatos fuisse constabat, ab omni publici aerarii, camerarum, et bonorum administratione sine mora remouerentur, eisdemque deinceps cunctis in officiis Hungari, propriis bonis, et facultatibus instructi, sufficerentur: vt, si quid aerario regio damni intulisse conuincerentur, de suo sarcire possent (*a*). Res monetaria, ad pessimam tunc deuoluta conditionem, praesentem omnino exposcebat opem. Sat longo iam tempore id in more habebant Austriaca e domo reges nostri, vt non optimo rebus suis consilio fodinas, et monetarias officinas exteris quibusdam hominibus pro certa, determinataque pecuniae summa locare solerent: qui vt lucra sua eo certius celarent, magnam auri, argentique vim clam subductam in vicinam Silesiam, aliasque subinde prouincias efferebant, cuius quaestu ad immensas subinde peruenere diuitias: ex aduerso autem argenteam monetam vilioris metalli admixtione, aut ponderis diminutione ita corruperant, vt nec ipsi hi nequissimi foeneratores eamdem sibi forte ab aliis oblatam recipere vellent, ac, quod inauditum ante fuerat, VII. florenis argenteis aureum vnum apud eos redimi oportuerit (*b*); quapropter vete-

(*a*) Decret. I. art. XXIV.

(*b*) Ioachimus Leibitzer apud Cl. Wagner in Analectis Scepusii Tomo II. pag. 67.

ribus poenis in auri, et argenti extra regnum eductores, et monetae falsarios latis, noua sanctione renouatis, vnanimi omnium ordinum regni consensione decretum fuit, vt, cum foeneratores hos furtis, et illicitis lucris plurium annorum spatio maxima principi, eiusdemque aerario damna intulisse certum erat, fodinas, officinas monetarias, et quaecumque demum sibi pro certa pecuniae summa per principes aliquando inscripta possidebant, sine mora absque litro, aut sumtuum in pignus factorum refusione regiorum hominum manibus resignarent. Moneta porro argentea ad eam probitatem reducta fuit, vt tribus crucigeris grossus, XXV. grossis florenus Hungaricus, CXX. denariis tallerus, ac demum CC. denariis aureus redimeretur: qua in re ne quid fraudis per monetarios admitti deinceps posset, pro veteri iure, et instituto archiepiscopi Strigonienſis *Pisetarius* inuigilare, munusque suum diu iam intermissum obire iussus fuit (*a*). Praesidiorum, arciumque capitanei eo auaritiae processerant: vt a circumiacentium oppidorum, et pagorum incolis cuiuslibet generis frugum, pecorum, ac pecudum partem quinquagesimam priuata sua autoritate quotannis extorquerent: foedus hic, miseraeque plebi admodum grauis abusus publica lege interdictus fuit: quo tamen et militum, et

(*a*) Decreti I. art XLVI. LXXVII. decret. II. art. XXXIX. et XLI.

militarium praefectorum in ruricolas graſſandi licentia paulo efficacius coerceretur, id inſuper perferri placuit, vt Iaurinenſis, et Comaromienſis praeſidii capitaneis Germanis, Hungarus vicecapitaneus gentis Hungaricae iuribus, et plebis indemnitati inuigilaturus adiungeretur, ceterorum autem per Hungariam fortalitiorum omnium praefecturae Hungarorum curae, fideique crederentur, vniuerſae demum copiae Germanicae, quamdiu in Hungaria in hibernis, aut ſtatiuis degerent, palatini iurisdictioni non ſecus, ac domeſtici milites ſubiicerentur (*a*). Id quod iam *Mathia* imperante introductum erat, noua ſanctione firmari placuit, vt ad cancellariam Hungaricam Viennenſem duo Hungari a conſiliis futuri aſſumerentur, quos fides, doctrina, rerum patriarum cognitio, et geſtis iam in regno muneribus exercita in negotiis tractandis dexteritas commendaſſet, quorum opera eo fidentius, vtiliusue vti poſſet princeps, quod hi res ſuas domeſticas magis, quam exteri perſpectas habere cenſerentur (*b*). Iam inde a *Rudolphi* imperatoris temporibus Hungaria perpetuis fere bellis, ſeditionibusque domeſticis agitata, nec iudicia ſtato tempore celebrari, nec iuſtitia laeſis adminiſtrari poterat, vt adeo multi alie-

(*a*) Decreti I. art. XXXIII. decret. II. art. XVI. decret. III. art. XLIV.

(*b*) Decreti III. art. XXIX. decret. IV. art. XXVIII.

na bona per vim, aut dolum occupauerint, ac, ſi eapropter in ius vocarentur, in cauſae ſuae patrocinium vſitatum apud nos praeſcriptionis tempus iam effluxiſſe allegarent. Ad tantam iniquitatem pro poteſtate refrenandam, ordines regni in comitiis collecti vnanimi voto decreuere, ne tota illa temporis
1596 intercapedo, quae inde ab A. 1596. vſque primi belli Bethleniani finem, pacemque
1622 Nicolsburgi A. 1622. concluſam effluxerat, legitimae praeſcriptionis tempus ingrederetur. Praeterea cum *Ferdinandus* per pacem Nicolsburgenſem omnibus ad priſtinam fidem redeuntibus generalem erratorum veniam conceſſerit, vt multis litibus occaſio tolleretur, cunctas *Gabrielis* de Bethlen donationes in Hungaria factas antiquari placuit: eadem de cauſa pariter *Sigismundi* Forgáts palatini, quem longiore tempore *Bethlenio* adhaeſiſſe meminimus, donationes, et ſtatutoriae quaeuis, nullius ſiue ad aquirendum, ſiue ad tuendum ius roboris eſſe pronunciatae ſunt (*a*), ne autem concordia tam operoſe cum *Bethlenio* conflata turbari aliquando poſſet, ſub nota perpetuae infidelitatis interdictum fuit, ne quis clancularias domi coitiones facere, priuato coniuratorum nomine legationes ad exteros principes obire, eosdem ad inuadendam patriam ſollicitare auſit. Ne autem Turcis inducias abrumpendi anſa praeberetur,

(*a*) Decret. I. art. VII. LVIII. LXXIV. decreti II. art. I.

non abſimilis poena dictata illis, qui eorumdem ditiones populari, aut ſubditos laceſſere attentarent (*a*). His pro eorum temporum calamitate vtcumque Hungariae proſpectum ſuit.

§. XIV.

Nonnulla pro clero conſtituta.

Non minore cura, et ſollicitudine ſacram vna rempublicam animo complexus *Ferdinandus*, eo impenſius eccleſiaſtici ordinis iuribus, et indemnitati ſibi conſulendum putauit, quo grauioribus ille tum obiectus procellis, tutelam ſummi imperantis expoſcebat; iuuat rem aliquanto altius repetere. Quemadmodum ſuo loco innuimus, *Stephanus* Botskai eo ſtudia, conſiliaque ſua direxerat, vt regis Hungariae autoritas quam arctiſſimis circumſcriberetur limitibus, isque ſuorum potius arbitrio, quam ſuo Hungariam moderaretur. Quapropter cum non ignoraret, longam praelatorum ſiue in conſilio, ſiue in comitiis adſidentium ſeriem pro regis ſemper partibus vota promere, ſicque contrariam regiis conſiliis partem plerumque ſuffragiorum numero ſuperari, quo idmodi ſuffraga-

(*b*) Decreti I. art. XIX. et XX. decreti II. art. XII.

torum, deſtinationibus ſuis aduerſantium, numerum diminueret, id ſibi euincendum putauit, vt non aliis antiſtitibus, quam qui in Hungaria proprio capitulo, reſidentiaque inſtructi erant, ad conſilia, aut generales regni conuentus aditus pateret, quod ſi impetraſſet, non ſolum iam omnes illi epiſcopi, quos *titulares* dicimus, verum etiam complures ex dioeceſanis, puta: Colocenſis Batſienſi vnitus, Weſprimienſis, Varadinenſis, Vacienſis, Quinqueeccleſienſis, et Sirmienſis, ſeſſionis, et ſuffragii iure ſpoliati fuiſſent; hi enim dioeceſibus ſuis per Turcas occupatis, reſidentia, capituloque ſuo deſtituti erant, ac alio aliquo beneficio eccleſiaſtico ex regum gratia prouideri ſolebant, vnde viuendi media acciperent. Verum *Mathias* rex, cui arcana *Botskaii* conſilia optime perſpecta erant, ita negotium hoc moderari nouerat, vt nil ea de re publica regni conſtitutione innouari paſſus fuerit. *Botskaii* veſtigia iisdem ex cauſis preſſit *Bethlenius*, idque in conuentu ſuo Neo-
1620 ſolienſi A. 1620. perferri procurauit, vt Colocenſi metropoli, ceterisque dioeceſibus omnibus ſublatis, ſola Strigonienſis ſedes cum Agrienſi, Iaurinenſi, et Nitrienſi in Hungaria remaneret (*a*). At ea rurſum fuit, iniquiſſimo licet rebus ſuis tempore, *Ferdinandi* caeſaris in veteribus ordinis eccle-

(*a*) Haec legi poſſunt apud Cl. Kazi Hiſtor. Hung. lib. III. pag. 186.

ſiaſtici iuribus, praerogatiuisque tuendis conſtantia, vt poſtulatum hoc aperte reiecerit, ac neque tum, cum Nicolsburgi de pace agebatur, illi aſſenſum praebuerit. Lis eadem anno 1635. in comitiis Sopronienſibus 1635
ſuſcitata recruduerat, ab iis potiſſimum ſuſtentata, qui epiſcopatuum Hungariae bona partim Turcarum fauore, partim Tranſſiluaniae principum, cum Hungariam hoſtiliter inuaſerant, gratia, partim propria autoritate per vim diripuerant: verebanturque non immerito, ne meliore fortuna Auſtriacis principibus aſpirante, eiectis aliquando Turcis, ipſi quoque rebus male partis decedere cogerentur; ſed neque tum cauſam ordinis eccleſiaſtici deſtituit caeſar, ſummique per Hungariam eccleſiarum patroni partes egregie expleuit (*a*). Sub haec ipſa tempora, dum de diminuendo praelatorum numero diſceptationes feruebant, *Petrus* cardinalis Pazmanus, vt oſtenderet eccleſiam Hungaricam non numero, ſed inopia paſtorum laborare, elegante ſcripto caeſari autor fuit, vt in ſua Strigonienſi archidioeceſi quatuor epiſcopatus erigeret, *Neogradienſem*, *Scepuſienſem*, *Roſnauienſem*, et *Thurotzienſem*, quo ſic multiplicatis paſtoribus eo facilius ex propinquo ouium ſaluti inuigilari, efficaciusque proſpici poſſit, quibus ne propria antiſtitibus onera ſufferendi, vitamque pro dignitate traducen-

(*a*) Ibidem lib. IV. pag. 396.

di media deeſſent, pro excelſo, liberalique, quo in eccleſiae commoda, animarumque ſalutem ferebatur, ſtudio ipſe de ſui archiepiſcopatus prouentibus partem reſecandam, eumque in finem deputandam obtulit (*a*). Pium hoc, ſanctumque cardinalis Pazmani conſilium, quod ſub *Ferdinando* II. adhaeſerat, noſtra demum aetate executioni dedit AVGVSTA MARIA THERESIA, niſi quod Thurotzio, et Neogradio Neoſolium ſubſtituerit. Illud quoque tamquam ad afflictae illis temporibus eccleſiae Hungaricae ſalutem apprime neceſſarium apud caeſarem vrgebat cardinalis *Pazmanus*, vt is ſua autoritate interpoſita id apud ſedem apoſtolicam efficeret, ne nominati per regem epiſcopi Hungariae, tam longo tempore, vt ad eum diem fieri ſolebat, ſuam Roma confirmationem, conſecrationemque praeſtolari cogerentur. Immutata enim oecumenici concilii Tridentini iudicio vetere circa praelatorum creationem, confirmationemque diſciplina, *ſeſſione* XXIV. cap. I. *de reformatione* ſancitum erat, vt ſaluo eorum, quibus id competit, praelatos eligendi, promouendique iure, de fide, moribus, et doctrina electi examen, aut inquiſitio, certa forma peragereturr, ſolenneque inſtrumentum de eadem confectum, Romam deinceps ad pontificem maximum ſubmitteretur: *vt ipſe ple-*

(*a*) Apud Péterfi concilíorum Hung. parte II. pag. 272.

na totius negotii, ac perſonarum, ad munus epiſcopale *promouendarum notitia habita, pro gregis dominici commodo de illis, ſi idonei per examen, ſeu per inquiſitionem factam reperti fuerint, eccleſiis poſſit vtilius prouidere.* Non minoris cenſus fuit alterum, quo cleri Hungarici teſtandi libertati conſuluit *Ferdinandus* II. cuius haec fuit occaſio. Dudum iam immortalis memoriae *Ferdinandus* I. imperator diploma ediderat, quo eccleſiaſticis omnibus de rebus frugalitate, parſimoniaque ſua comparatis liberam conceſſerat diſponendi facultatem: verum iniquitate temporum, et regiorum quaeſtorum auaritia non raro euenerat, vt demortuorum eccleſiaſticorum facultates, legitimo licet teſtamento prouiſae, in aerarium regium inferrentur: cuius rei exemplum ante omnium ora, oculosque Poſonii A. 1624. renouatum fuit; cum enim *Thomas* 1624
Balásfi Boſſnenſis epiſcopus, et collegiatae eccleſiae Poſonienſis praepoſitus diem ſuum obiiſſet, adeo eius ſubſtantiam omnem auare quaeſtor regius diripi curauit, vt cum nihil humando decenter cadaueri relictum eſſet, illud triduo integro inſepultum iacuerit (*a*). Indigne eam agendi rationem tulere magnates non minus, atque praelati Poſonii tum agentes, grauiterque de ea caeſari ſunt conqueſti. Commodum generalia regni comitia in annum inſequentem 1625. Sopronium in- 1625

(*a*) Kazi Hiſtor. Hung. lib. III. pag. 219.

dicta fuere: quorum opportunitate cum quaeſtoris regii rapacitas propalam grauibus verbis exaggerata fuiſſet, *Ferdinandus* illegitimis idmodi rapinis aerarium ſuum locupletari nolens, durante adhuc generali regni conuentu, ſolenne diploma edidit, quo ſimul priſtinam libere teſtandi facultatem eccleſiaſtico ordini confirmauit, ſimul autem decedentium ab inteſtato eccleſiaſticorum facultates diuidendi modum, et rationem ac curate deſcripſit. Decreuit quippe, vt ante omnia funus decenti pompa perageretur, atque tum aliquid pro piacularibus miſſae ſacrificiis, atque eleemoſynis erogaretur; libri omnes per demortuum epiſcopum relicti capitulo cederent, vt inde bibliotheca, praecipuum promouendae literaturae adiumentum, erigeretur, eiusdem dioeceſeos cleri vſibus deſeruitura. Quodſi quid praeterea ſubſtantiae ſupereſſet, conflata inde pecunia partim in iunioris cleri ſeminarium, partim in egenorum parochorum ſubſidium conuerteretur, ac demum aliquid ad finitima Turcis fortalitia communienda deputaretur. Diploma hoc aeterna ad poſteros memoria dignum die XI.
1625 Decembris A. 1625. editum, ſignatumque (*a*), vix dictu eſt, quantum vniuerſo eccleſiaſtico ordini laetitiae attulerit, certe plurimis deinceps ſtimulo fuit, vt pia frugalitate aliquid per vitam omnem facultatum colligere ſatagerent, quas, etſi forte ab inteſtato dece-

(*a*) Ibidem pag. 249.

derent, non ignorabant, in religionis sacrosanctae, et patriae commodum conuertendas. His non immerito accenseri debet singularis *Ferdinandi* II. qua in pristinis iuribus Strigonienſi eccleſiae reſtituendis vſus fuit, aequitas: ſolebant Strigonienſes metropolitae ex diuorum regum donatione pluribus iam ſeculis ex officina monetaria emolumenti aliquid, quod *Piſetum* dicitur, quotannis accipere: verum poſtquam ab *Antonii Verantii* archiepiſcopi anno 1573. e viuis ſublati obitu, quatuor ſupra viginti annos, non ſine temporalium, vna ac ſacrorum iurium diminutione prima illa eccleſiae Hungaricae ſedes vacaſſet, peculiare hoc metropolitarum lucrum aerario regio addictum, ita ſenſim in obliuionem abierat, vt cardinalis *Pazmanus* indubitatum ius ſuum grauiſſimis rationum momentis illuſtrare, demonſtrareque coactus fuerit. Aequiſſimus caeſar rei veritate comperta, nil antiquius habuit, ac Strigonienſem archiepiſcopum in integrum reſtituere: ex aduerſo cardinalis *Pazmanus*, vt beneficii a caeſare accepti gentem ſuam redderet participem, ex eodem *Piſeto* V. mille florenos annis ſingulis per ſe, ſucceſſoresque ſuos deinceps pendendos, nobilis iuuentutis conuictui Tyrnauiae A. 1626. ab ſe condito, caeſare, et pontifice conſentientibus, in perpetuum addixit: cui poſtea ſummae eumdem in finem annuos bis mille florenos ex aerario regio adiici voluit *Ferdinandus* II. Quo in contubernio innumeri adoleſcentes nobiles, bonis moribus, artibusque eruditi, 1573 1625

ac ad publica regni munia euecti, viua, perpetuaque fuere et *Ferdinandi* caeſaris, et cardinalis *Pazmani* in patriam munificentiae monumenta.

§. XV.

Adminicula ad promouendam rem Catholicam vtiliter adhibita.

Omnium, quae caeſarem publicae pacis, et ſalutis ſtudioſiſſimum circumſtabant, curarum maxima fuit, rei Catholicae cum alibi, tum praeſertim apud Hungaros reſtitutio; dudum iam obſeruauerat, vſuque ipſo didicerat ſagaciſſimus princeps, religionum diſcrimen plurimum ad animorum diſſidia contuliſſe: vt ante *Stephanum* Botskai, ita poſtea *Gabrielem* Bethlenium ſpecioſo acatholicorum ſacrorum tuendorum, vindicandorumque velo ad priuatas cupiditates ſuas abuſos, Hungariam omnem atrociſſimo inuoluiſſe incendio. Quamuis autem pace Viennenſi, ac conſequentium comitiorum conſtitutionibus, libero confeſſionum Auguſtanae, et Helueticae exercitio conſtabilito, acatholicis aeque, atque Catholicis, citra vllum ſacrorum diſcrimen, ad omnes regni magiſtratus, ac dignitates expedita erat via; diuiſis iam nihilominus, et ipſa diſſidiorum diuturnitate exaſperatis multorum animis, opta-

ta inter populares concordia obtineri non poterat: quin eo interdum proceſſum fuit, vt in priuatis aeque, ac publicis de republica conſultationibus graues diſcordiae erumperent, incaleſcentibusque vtrinque religionis cauſa animis, generalia etiam regni comitia contentionibus, et iurgiis perſtreperent, vt ad extremum vix quidquam pro ſalute reipublicae poſſet conſtitui: quo quidem malo longa deinceps annorum ſerie ad tempora vſque *Caroli* VI. caeſaris laboratum fuit. Quapropter, cum *Ferdinandus* II. difficili ea aetate, qua non voce ſolum, et ſcriptis, ſed et armis de religione diſceptabatur, vix ſperari poſſe cerneret, vt inter ciues ſacris differentes ſincera animorum conſenſio, ac in commune bonum conſpiratio obtineretur, in id ſibi deinceps, ſucceſſoribusque ſuis incumbendum putauit, vt ſubditos ſuos omnes pedetentim ad priſtina Catholica ſacra traduceret; verum arduum id erat, humanisque viribus maius opus, propterea, quod ſaluificae fidei lumen ſolius Dei donum eſſet, neque religio vnquam vi, et armis propagari aut poſſet, aut deberet (*a*),

(*a*) Appoſite prorſus in hanc rem *Lactantius* ſcriptor eccleſiaſticus ſeculi IV. *Diuinarum Inſtitutionum* lib. V. edit. Paris. Non eſt opus vi, et iniuria: quia religio cogi non poteſt; verbis potius, quam verberibus res eſt agenda, vt ſit voluntas: - - - - longe diuerſa ſunt carnificina, et pietas, nec poteſt aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniungi: - - - - defendenda religio eſt non oc-

Itaque ea saltem adminicula comparare decreuit, quae ad religionem Catholicam non modo conseruandam, verum etiam feliciter apud Hungaros aliquando propagandam plurimum momenti allatura viderentur. Postquam de pia hac voluntate sua crebra cum *Petro* Pazmano cardinale, regni primate, *Georgio* Lippai Vesprimiensi episcopo, aulae cancellario, *Nicolao* C. Eszterházi regni palatino, et *Paulo* C. Pálfi aerarii regii praeside miscuisset consilia, omnium mens vna fuit, nulla re melius, efficaciusque Catholicis sacris prospectum iri, quam si complura in regno gymnasia, et academiae, necessariorumque magistrorum cathedrae erigerentur, vt eas iuuentus Hungarica citra vllum stipendia professoribus dependendi onus, absque religionis discrimine adire posset, ac non ad literas modo, verum etiam ad fidem Catholicam erudiretur: addenda his adolescentum aliquot contubernia, in quibus pau-

---

cidendo, sed moriendo, non saeuitia, sed patientia: - - illa enim malorum sunt, haec bonorum, et necesse est, bonum in religione versari, non malum: nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, iam non defendetur illa, sed polluetur, atque violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quam religio, in qua si animus sacrificantis auersus est, iam sublata, iam nulla est. Recta igitur ratio est, vt religionem patientia, vel morte defendas, in qua fides conseruata et ipsi Deo grata est, et religioni addit autoritatem.

periorum Catholicorum, praeſertim autem nobilium filii, donec literis condiſcendis vacant, victu, amictuue prouiſi degerent. Sapiens hoc conſilium poſtquam caeſari, qui ipſe olim Ingolſtadii publicas ſcholas adierat, egregieque ſcientias omnes condidicerat, mirifice probatum fuit, illico manus operi admoueri coepit: mox enim Caſſouiam, Neoſolium, ac Sopronium pia caeſaris munificentia introducti patres ſocietatis Ieſu, deſideratos ad eum diem in Hungaria ludos literarios Catholicae aeque, atque acatholicae iuuentuti aperuere. Cum autem multiplicibus bellis *Ferdinandi* II. caeſaris aerarium pluribus adhuc gymnaſiis per celebriores ciuitates conſtituendis, fundandisue non ſufficeret, pios illos conatus omnium maxime adiuuit *Petrus* cardinalis Pazmanus. Nam vt taceamus celeberrimum imprimis iunioris cleri Hungarici collegium Viennae ea potiſſimum intentione conditum, vt ſacra illa iuuentus praeter virtutem, et literas, fidem inſuper, amoremque in principes ſuos condiſceret, quem in patriam ſubinde redux parochianis, popularibusque ſuis inſtillaret, tum vero ſeminarium illud, quod Tyrnauiae a S. rege *Stephano* nomen habuit, nouis acceſſionibus dotatum; ſcholas Catholicas Poſonii ad S. Martini, Leutſchouiae, Scepuſii in capitulo, ac Szatmarini poſuit; gymnaſium autem Tyrnauienſe, additis de ſuo theologicarum, et philoſophicarum diſciplinarum magiſtris, ad academiae dignitatem euexit: cui *Nicolaus* Eſzterházi comes palatinus ma-

gnifici plane operis basilicam coronidis loco adiecit. In hoc eodem loco nobilium conuictum, vt iam alibi meminimus, pauperibus adolescentibus victum, et amictum praebiturum, magno et patriae, et religionis commodo excitauit; maximis haec omnia sumptibus cardinali *Pazmano* stetisse, nemo est, qui in dubium reuocet, quae profecto in ea temporum iniquitate per eum praestari potuisse, etiamnum admiramur, sed enim habent hoc mentes ad magna natae, vt norint magnificentiam cum frugalitate coniungere, nihilque honestius habeant, quam facultates, et opes moderata parsimonia comparatas in patriae vtilitatem, religionis incrementum, ac vnde plurimum vtraque emolumenti capit, in literarum commodum generose profundere. Hoc cum animo essent plerique postea Hungariae antistites, in memoratis et literarum, et religionis adminiculis affatim procurandis egregie cardinalem *Pazmanum* imitati sunt, vt adeo mirum non sit, pristinam religionem apud Hungaros postliminio caput sustulisse, atque multorum quotannis ad auita sacra redeuntium accessione, ad eam, quam hodie cernimus, amplitudinem peruenisse (*a*). Haec hic loci commemorari oportuit, vt quorum laudabili parsimonia, atque munificentia tam religionis propagandae, quam literarum prouehendarum adminicula apud nos

(*a*) Vide Kazi Histor. lib. II. pag. 131.

nos olim ſubminiſtrata, ſtabilitaque fuerint, non ingrati intelligamus, vna autem beneficii a maioribus noſtris nobis praeſtiti magnitudinem agnoſcamus: quod cum in multis adhuc Germaniae, Galliae, Italiaeque gymnaſiis adoleſcentes ipſi, qui ſtudiis vacare volunt, moderatoribus ſuis ſtipendia dependere cogantur, ſicque egentiores multi, praeclaro licet ingenio praediti, niſi mecaenatum ſubſidiis adiuuentur, ab audiendis praelectionibus maximo reipublicae literariae damno arceantur, apud nos in Hungaria cuiuis liber ad ſcholas publicas aditus pateat, omnigenarumque diſciplinarum magiſtri, maiorum noſtrorum liberalitate perpetuo prouiſi ſtipendio, citra vllam mercedem, gratuitam quibusuis diſcipulis praeſtent operam.

§. XVI.

Caeſar filium ſuum primogenitum in Hungaria inaugurari procurat.

Iam inde a pace Nicolsburgi cum *Bethlenio* inita, animo voluebat caeſar, qua ratione id apud Hungaros efficeret, vt primogenitum ſuum *Ferdinandum* huius nominis III. ſe adhuc viuente, in regem eligi, inaugurarique procuraret. Multi iam inde a *Rudolphi* imperatoris temporibus ab auguſta domo Au-

ſtriaca alienati, huic caeſaris voluntati obſtabant, id malentes, vt non prius, quam demortuo patre, de filio rege creando ageretur: ad quod tempus ſi res tota aliquando recideret, tantas procellas, tempeſtatesque tum enaſci poſſe ſagaciter praeuidebat caeſar, vt domus Auſtriaca illis opprimendis impar, regni poſſeſſione decedere cogeretur. Quapropter vt prouidum futurorum principem, patremque decebat, expeditam filio ad ſolium viam praeparaturus, clam ita cum *Bethlenio* transegit, vt is ſuos ad comitia Hungarica oratores mitteret, qui eius nomine Hungaros, ad ſibi ea in re fauendum, permouere ſatagerent. Mors *Stanislai* Thurzo
1625 palatini, calendis Maii A. 1625. demortui, accelerandis ex lege comitiis occaſionem praebuit (*a*), quae etiam ad diem VIII. Septembris e. a. Sopronium conuocata ſunt. Hic prima caeſaris cura fuit, vt *Nicolaum* comitem Eſzterházi, tum iudicem curiae, cuius conſtantem in ſe, auguſtamque domum fidem multiplicibus argumentis exploratam habebat, ad ſupremam palatini dignitatem promoueret; neque ea in re difficiles habuit regni ordines: quamuis enim generis antiquitate, meritisque illuſtres, ac diuerſarum religionum candidati quatuor pro recepto more propoſiti fuerint, ſine mora nihilominus omnium vota mira conſenſione in *Eſzterházium* conſpirarunt, quam ſuam volun-

(*a*) Decret. A. 1608. art. III.

tatem exquisitis plane verborum formulis comitiorum decreto praeter morem inferi voluere: (a) *Primus, et ante omnes alios occurrit comes Nicolaus Eſzterházi de Galantha, cui ob luculenta, et plus quam euidentiſſima erga ſuam maieſtatem, patriam dulciſſimam, et nobiliſſimam nationem Hungaricam merita, partumque per ſe nomini, et familiae ſplendorem, iam pridem debitam palatinalis autoritatis, et eminentiae praerogatiuam communibus votis, atque ſuffragiis detulerunt, nil ambigentes, quin caeſar talem, totque nominibus de hoc inclito regno optime meritum, eo loco ſit habiturus, quem conditio VII. coronationis tempore acceptata (b), declarat.* Creato, quem caeſar optauerat, palatino, expedita iam erant omnia: primus cardinalis *Pazmanus* cum in priuatis ſermonibus, tum vero propalam in comitiis, *Ferdinandi* II. caeſaris in Hungaros, qui ſeditioni nomen dederant, clementiam commemorauit, tum vero ſeditiones, bellaque domeſtica, quae a morte caeſaris interregni tempore merito timeri poterant, neruoſa oratione explicuit, concluſit demum, non aliter malis his obuiari poſſe, quam ſi primogenitum caeſaris filium quantocyus regem conſtituerent, ſine mora patri in ſolio ſucceſſurum: id cum *Bethlenii* quoque oratores nomine principis ſui ma-

(a) Decreti A. 1625. art. II.
(b) Decreti A. 1622. art. II.

iorem in modum Hungaris commendarent, ita plerorumque animi in partem caeſaris inclinati ſunt, vt cum *Eſzterházius* palatinus eodem de argumento differere coepiſſet, vniuerſi, qui aderant, vocem ſuſtulerint *Ferdinando* III. Hungariae regi vitam, felicitatemque precantes; id iam ſolum petebatur, vt is iureiurando interpoſito caueret, ſe XVII. capita ab ordinibus regni ſibi propoſita, conſtanter poſtea in regno, fideliterque obſeruaturum (*a*); quod vbi die XXVII. Nouembris ab eo praeſtitum fuiſſet, paucis poſt diebus allata ex arce Poſonienſi corona per cardinalem *Pazmanum* vnctus, coronatusque fuit. Habuit caeſar poſtea gratiam omnibus, qui in difficili eo negotio ad effectum deducendo ſuam illi prae ceteris nauarunt operam, nominatim autem *Nicolaum* Eſzterházi regni palatinum, in multiplicium meritorum praemium, perpetuum comitem de Frakno creauit, quo tempore arx illa ſua cum ditione, quae iam inde ab *Eliſabethae*, *Ladislai* poſthumi matris, temporibus ab Auſtria pignoris titulo tenebatur, perſoluto Auſtriacis per palatinum litro, non modo domus Eſzterháziae iuribus, verum etiam ſubinde Hungariae finibus poſtliminio

(*a*) Decreti Ferdinandi III. A 1638. art. I. quae quidem conditiones eaedem ſunt cum illis, ad quas ſeruandas ipſe Ferdinandus II. ſemet coronationis ſuae tempore obſtrinxerat, vt videre eſt decreti A. 1622. art. II.

reſtituta fuit, ceterae quoque arces, et dominia pari ratione ad Auſtriam olim annulſa, numerato per Hungaros pignoris pretio, bona *Ferdinandi* III. caeſaris gratia, ad Hungariam rediere, atque ſic coronationis conditioni XIV. ex aequo ſatisfactum fuit (*a*).

§. XVII.

Ferdinandi II. obitus, et laudes.

Ab auſpicata filii ſui in regem Hungariae inauguratione, annos adhuc duodecim ſuperſtes vixit *Ferdinandus* II. ac poſtquam eumdem Pragae regem coronari curaſſet, illud etiam, feruente licet difficili bello Germania, feliciter perfecit, vt is rex Romanorum Francofurti crearetur. Quibus curis defunctus die XV. Februarii A. 1637. ad ſuperos abiit anno imperii Germanici XVII. Hungariae XVIII. Bohemiae XX. Corpus, vt vltimis tabulis caüerat, Graecium deuectum in adſito baſilicae aulicae mauſolaeo, pone *Annae* Bauarae coniugis oſſa repoſitum fuit. Magni huius principis laudes tot, tantaeque ſunt, vt a nobis ne compendio quidem pro 1637

(*a*) Ibidem.

dignitate recenſeri queant (*a*). Eximiis prorſus ſubditos moderandi dotibus praeditus erat, quas quidem non ſolum ab autore naturae liberaliter acceperat, verum longo etiam ſtudio, et exercitatione ſibi comparauerat. Quinquennio integro publicas Ingolſtadienſi in academia literarum praelectiones audiit, partamque tum diſciplinarum, tam priuato homini, quam principi neceſſariarum, cognitionem aſſidua lectione, meditationeque egregie perpoliuit. Felici, perſpicacique ingenio coniuncta erat perpetua quibusuis in caſibus animi praeſentia, atque conſtantia. Rempublicam iniquiſſimis temporibus ſumma diligentia, et ſincera quadam in ſubditorum populorum felicitatem animi comparatione adminiſtrauit. Fidem, quam ſeu foederatis principibus, ſeu ſubditis dederat, religioſe ſemper cuſtodiuit. Non modo in hominibus ad ſecretius conſilium deligendis, verum etiam in ducibus bello adminiſtrando praeficiendis rara prudentia, et felicitate vſus fuit. Neminem, qui aut bello, aut pace praeclara fidei, virtutisque ediderat argumenta, vnquam ſine praemio abire ſiuit, quae gratitudo, atque munificentia id effecit, vt maximi quique viri vitam, facultatesque ſuas pro eiusdem ſalute conſecrare in lucro ponerent. In Hungaros prae ceteris populis

(*a*) Encomia Ferdinandi II. vide in Annalibus Keuenhillerianis. Apud Kazi in Hiſtor. Hung. Lamormaini in vita Ferdinandi II.

propenſior fuit, multaque ſuae in eosdem benignitatis edidit ſpecimina: tale illud fuit, cum omnibus illis, qui primo impetu abrepti *Bethlenii* partes aliquamdiu ſecuti erant, vitae, bonorumque gratiam fecit, quam clementiam ad eos etiam pertinere voluit, qui ob perfidiam in carceres coniecti, commeritum crimini ſuo praeſtolabantur ſupplicium. Haec cum Hungaris agendi ratio eo plus habet admirabilitatis, quod ſeuerius multo in Auſtriacos, Bohemosque ſibi animaduertendum putauerit; in hos enim ſummo iure vſus, octo ſupra viginti genere illuſtres de perduellione conuictos propalam Pragae ſupplicio affici curauit, bonis eorumdem fiſco addictis. Diſcrimen hoc grati agnouere Hungari, publicasque eapropter non vna vice clementiſſimo principi ſuo egere gratias (*a*). Acatholicis quoque Hungaris indulgentiorem ſe ſe praebuit *Ferdinandus*, quam Bohemis, et Auſtriacis: his enim omne religionis exercitium interdixit, propterea, quod hi nulla adhuc prouocati iniuria ſub ipſa regni initia, ſeditioſa arma ſuſtulerint, euocatoque ad ſolium Bohemicum *Friderico* comite palatino, eiusdem auitae coronae, regnique poſſeſſione deturbare ſint conniſi; Hungaris autem liberum Auguſtanae, et Helueticae confeſſionum exercitium coronationis ſuae tempore conditione VI. iuratus promi-

(*a*) Decreti A. 1622. art. I. decreti A. 1625. art. I. §. 1. et II.

ſerat. fidemque tum datam per omnem vitam ſeruandam ſibi eſſe propoſuerat. Atque haec fuere *Ferdinandi* II. vt ſummi imperantis decora, ea autem, quae ad hominis Chriſtiani officia pertinebant, nøn minus in eo ſumma, admirationeque digna fuere: non enim *Ferdinando* II. vulgaris quaedam, et pluribus communis, ſed eximia plane virtus, morumque ſanctimonia inerat, ardens illius in Deum vniuerſi moderatorem, regum vna, ac regnorum arbitrum pietas, voluntatisque propriae in diuinam reſignatio, origo fuit admirandae illius conſtantiae, quam is proſpera inter, ac aduerſa eodem ſemper vultu praeſetülit, vt nemo illum aut ſolito triſtiorem, aut hilariorem vnquam aſpexerit. Eximia illa Auſtriacisque principibus iam inde a *Rudolpho* I. caeſare hereditaria in velatum ſub panis ſpecie Numen veneratio, conſtans in Deiparam virginem, angelum tutelarem, ac alios coeli indigetes deuotio, aſſiduum, quantum per reipublicae curas licuit, orandi, precandique ſtudium, ſeueriſſima, ac vel coenobitas inter rara corporis ſui maceratio, ceteraque pietatis opera non aulam modo, et ſubditos populos, verum etiam exteras gentes in piiſſimi aetate illa principis admirationem rapuere. His ille diuinam benedictionem, ſecundosque exercitibus ſuis ſucceſſus e coelo impetrabat. Ita porro ſuam ſemper in Dei ope, et auxilio collocabat fiduciam, vt nil tamen eorum vnquam negligeret, quae ad rempublicam feliciter adminiſtrandam,

bellumque gerendum neceſſario agenda, comparandaue erant. Nouerat ille moderata parſimonia aerarium ſuum locupletare, pecuniae, militumue ſubſidia cum aliunde, tum vero ab Hiſpanis tempeſtiue procurare, foederatos ab hoſtium partibus abſtractos ſibi ſociare, arcanis denique auguſtae domui Auſtriacae aduerſantium conſiliis opportune obuiare, quod cum egit, facto ipſo oſtendit, Chriſtiani hominis officia cum ſummi imperantis officiis, artibusque politicis mirifice poſſe copulari. Equidem prodigio ſimile videri poteſt, quod poſtquam potior ſubditarum prouinciarum pars arma in principem ſuum corripuit, ac plurimi Germaniae, Europaeque principes Gallus, Danus, et Suecus in eiusdem perniciem conſpirarunt, propitio Numine non modo diſcrimen omne incolumis euaſerit, verum etiam de ſingulis propemodum glorioſe triumphauerit. Quapropter cum rebelles in ordinem cogi, et magnam Germaniae partem victricibus *Ferdinandi* II. armis ſub iugum mitti foederati hoſtes cernerent, magnopere vereri coeperant, ne is pedetentim ſubactis pleriſque Germaniae principibus, vniuerſum ſubinde imperium Germanicum in monarchici regiminis formam commutaret, ſicque vniuerſalem domus Auſtriacae monarchiam, quam *Carolus* V. dudum iam ante animo deſcripſerat, induceret, atque conſtabiliret. Ex quibus omnibus clare licet intelligere, Deum optimum maximum illis principibus, qui ſibi fideles eſſe ſatagunt, tum maxime,

cum omnia humana auxilia abeſſe videntur, efficaciter opitulari et poſſe, et velle. Iuuat huc coronidis loco nonnullorum de *Ferdinandi* II. virtute iudicia adſcribere. *Murtezanes* Budenſis vezirius, cum anno, et amplius *Bethlenio* coniunctus, bellum nullo ſucceſſu ſe gerere ſenſiſſet, ab armis deinceps abſtinuit, id cauſae dans: *Ferdinandum* vere hominem ſanctum eſſe, Deumque et pro illo, et cum illo pugnare. *Bethlenius* quoque non raro familiaribus ſuis dicere ſolebat, difficile eſſe cum *Ferdinando* caeſare negotium, quod illius animum nec aduerſa deprimerent, nec proſpera extollerent. *Guſtauus* denique Suecorum rex confeſſus fuit, non tam copias *Ferdinandi*, quam virtutem, et pietatem ſibi eſſe formidabilem: quod omnes hi exiſtimarent, *Ferdinandum* Diuina potius ope, quam viribus humanis de tot hoſtibus potuiſſe triumphare.

§. XVIII.

Ferdinandi II. coniuges, et liberi.

Prima *Ferdinandi* II. coniux fuit *Maria Anna*, *Wilhelmi* Bauariae ducis filia, ex qua proles IV. reliquit ſuperſtites: I. *Ferdinandum* III. imperatorem. II. *Leopoldum Wilhelmum* Argentinenſis, Paſſauienſis, Olomucenſis, et Halberſtadienſis eccleſiarum epiſcopum, magnum ordinis equitum Teutonico-

rum magiſtrum. III. *Mariam Annam Maximiliano* Bauariae duci, atque electori, ac demum IV. *Caeciliam Renatam Vladislao* Poloniae regi in coniugium datas. Altera caeſaris coniux *Eleonora*, *Vincentii* Mantuae ducis filia, nullam ex ſe ſobolem reliquit.

FERDINANDVS III. IMPERATOR, REX XLIV.

A. C. 1637.

§. I.

Initia regni Hungarici vtcumque tranquilla.

In medio bellorum per Germaniam tumultu, ſatisque laetos inter armorum caeſareorum ſucceſſus, denato patri ſuo in auitorum regnorum moderatione ſucceſſit *Ferdinandus* III. Apud Hungaros res vtcumque tranquillae erant, niſi inueterata iam religionum cauſa diſſidia animos popularium iterum corripuiſſent. Fauente *Ferdinando* II. anti-

ſtitum, virorum apoſtolicorum, ac praeſertim ſocietatis Ieſu hominum zelo, atque conatibus factum interea fuit, vt multi in ciuitatibus, oppidis, pagisque ad eccleſiae Catholicae gremium ſint reducti, magnates quoque, et nobiles complures ad Catholica ſacra tranſierint, qui vt obnoxios dominatui ſuo ſubditos eo facilius ad eadem amplectenda pertraherent, dimiſſis proteſtantium miniſtris, Catholicos ſubſtituere parochos. Exaſperatos eapropter acatholicorum tam Auguſtanae, quam Heluеticae confeſſionis ſectatorum paulo vehementius animos ſenſere cumprimis comitia, quae caeſar ad diem XXI.
1637 Septembris eodem anno 1637. Poſonium eo fine conuocauerat, vt conditiones XVII. ad quas obſeruandas coronationis ſuae occaſione iuramento ſe ſe obſtrinxerat, in ſolenne diploma relatas, publico regni decreto inſereret, ſimul vero nonnullis totius gentis querimoniis opportunarum legum ſanctione proſpiceret. Vt apertus fuit conuentus, illico omiſſis de republica conſultationibus, ad grauiſſimas de religione diſceptationes prolapſi fuere regni ordines, tantoque animorum feruore vtrinque diſputari coepit, vt contentionibus vix aliquando finis imponendus crederetur; res tota in eo verſabatur: Proteſtantes ante aliorum negotiorum pertractationem querimonias ſuas propalam in conuentu examinari, templa, et ſcholas ablatas reſtitui, miniſtros religionum ſuarum iis, vnde exciderant, locis reponi cupiebant: negabant ex aduerſo Catholici, eo quod plu-

rimae ſcholae, et templa maiorum olim liberalitate fundata ante proteſtantium in Hungariam aduentum ad Catholicos pertinuerint, ac idcirco dominis terreſtribus ad auitam religionem reuerſis, haec quoque iure poſtliminii ad illorum proprietatem ſint reuocata: multis item in locis, in quibus potior iam incolarum pars Catholicis ſe adiunxit, miniſtrorum acatholicorum opera ſuperuacanea euaſerit: quare cum haec reſtitutio variis implexa eſſet quaeſtionibus, hanc in generali illo regni conuentu nec rite examinari, nec decidi poſſe contendebant ordines Catholici. Sic cum hebdomadae plurimae inter contentiones, et iurgia exactae fuiſſent, neque *Nicolaus* C. Eſzterházi palatinus diſcordes patrum voluntates ad concordiam poſſet reuocare, tanto affectus fuit taedio, vt magiſtratu ſemet abdicandi, priuatamque deinceps in bonis ſuis vitam agendi veniam a caeſare flagitauerit. At caeſar cognitis, perſpectisque ordinum regni diſſidiis, virum ſibi admodum vtilem conſolatus, porro etiam palatini dignitatem retinere coegit; ſopitis deinde praeſentia, autoritateque ſua diſcordiis, acatholicos bono animo eſſe iuſſit, prolixe pollicitus, ſe ea, quae circa negotium religionis ante coronationem ſuam iuratus promiſerat, fideliter ſeruaturum, eorumdemque querelas, cum primum ſibi poſt terminata comitia vacauerit, et examinari curaturum, et ex aequitate eis ſatisfacturum. Ex eo die ſublatis de religione diſceptationibus, omnium ſtudia voluntа-

tesque ad necessarias de republica consultationes sunt traductae: illud quoque nullo negotio impetratum fuit, vt *Maria Anna* augusta caesaris coniux die XIV. Februarii A. 1638 1638. in reginam Hungariae inauguraretur.

§. II.

Turbis domesticis fomentum praebet Rákótzius.

Sic tum prima *Ferdinandi* III. comitia satis tranquille terminata sunt; verum quia protestantes ibidem Catholicos sibi praeualuisse senserant, contractam inde animorum aegritudinem domum quisque retulere, quae tantum abest, vt labentibus annis consanata sit, vt etiam paulo vehementius increuerit. Propagata, vt iam meminimus, multorum, praesertim autem illustrium familiarum, ad auita sacra transeuntium, accessione apud Hungaros religione Catholica, postquam iuuenes plurimi doctrina, moribusque egregie exculti e Catholicis gymnasiis in publicum prodiere, ea breui rerum conuersio facta fuit, vt potiores iam regni magistratus, et dignitates obtinerent Catholici, atque in consilio, senatuque regio et autoritate, et numero antecellerent: his accessit et illud, quod heri Catholici multos protestantium sacrorum ministros suis e dynastiis exesse iusserint, ac pedetentim scholas, et

templa, praeſertim quae Catholici aliquando iuris fuiſſe compertum erat, ſibi vindicauerint, vt adeo paucorum annorum ſpatio ter centena templa hac ratione occupata ſint. His aliisque ſimilibus vltra modum commoti proteſtantes, communi nomine libellos ſupplices ad Caeſarem transmiſere, at nullo ſucceſſu, quod is diuturni belli Germanici mole preſſus, vix otium reperiret, rebus Hungaricis intendendi, atque idcireo a comitiis etiam pro more, inſtitutoque veteri habendis abſtinere cogeretur. Sic cum querimoniis ſuis medelam a caeſare differri paulo acerbius ferrent, morae impatientes *Georgii* Rákotzii ſenioris, Tranſſiluaniae principis, opem, patrociniumque implorarunt; nihil homini, dudum iam eam turbarum opportunitatem ambienti, hac proteſtantium legatione gratius euenire poterat. Cum enim legibus prouincialibus vetaretur, ne quidquam bonorum in Tranſſiluania quocumque demum nomine ſibi, familiaeque ſuae poſſet addicere, *Gabrielis* Bethlenii exemplo animatus, ex ruinis Hungariae opes, potentiamque domus ſuae augere auebat; tempus ipſum rei gerendae opportuniſſimum erat: Hungaria enim a milite Germanico vacua, non ſatis ad vim ſuſtinendam comparata fuit, neque caeſari licebat, durante in Germania bello, iuſtam copiarum ſuarum partem domum reuocare: vt adeo *Rákotzio* de belli ſucceſſu minime dubitandum fuerit. Quapropter legatos proteſtantium ſecuros eſſe iuſſit, ſe operam ſuam per nuncios, et li-

teras apud caesarem collocaturum, omnique ratione in id conniturum, vt eorum postulatis ad amussim satisfiat, neque secus, ac promiserat, egit postea. Clam imprimis noua militum supplementa conscribere, omnemque belli apparatum diligenter instaurare, praeparareque coepit; simul autem missa Bizantium legatione *Ibraimum* Turcarum sultanum ad ineundam secum belli societatem inuitauit: vbi iusto se exercitu domi instructum sensit, ac vna de affuturis sibi Turcarum auxiliis certior redditus fuit, literis fastu, et arrogantia plenis, nec sine minarum iactatione *Ferdinandum* III. admonuit, vt Hungarorum protestantium, ac aliorum etiam querimoniis primo quoque tempore mederetur: ad quas cum caesar, suae regis Hungariae, directique Transsiluaniae domini dignitatis memor, homini coronae suae fiduciario paulo seuerius respondisset, *Rákotzius* sine mora bellum decreuit, missisque ad Suecos Germaniam tum euastantes oratoribus, arctissimum cum eis foedus contra caesarem iniit; priusquam autem belli facem Hungariae inferret, nequid domi suae turbarum enasci posset, cognominem filium principem eligi, inaugurarique procurauit, eidemque *Gabrielis* principis Báthori, ex *Andrea* fratre neptem *Sophiam*, ampliſſimarum domus Báthorianae in Hungaria dynastiarum heredem vltimam, licet Catholicis sacris addictam, solenni matrimonio coniunxit, quo sic immensarum opum accessione, *Rakotzianam* domum ad summum potentiae apicem eueheret.

§. III.

§. III.

Belli Rákotziani successus.

Hunc in modum cunctis domi, forisque ad bellum cum successu gerendum rite dispositis, A. 1644. septuaginta prope millium exercitum Hungariae finibus infudit, vtque priuatis cupiditatibus suis iusti belli speciem obtenderet, datis ad vniuersos comitatus literis, causas, quae eum ad arma caesari inferenda permouerant, appositis ad tumultum concitandum verborum, sententiarumque formulis diuulgauit, has inter praecipuae fuere: Protestantes libero religionum suarum exercitio, ministris, templisque impune spoliari, per Catholicos opprimi, a ciuilibus regni muniis, ac magistratibus solius religionis causa arceri. Ex aduerso Iesuitas, quorum tamen in religione per iuuentutis institutionem, conciones, expeditionesque sacras propaganda conatus et caesari, et antistitibus, et Catholicis vniuersim magnopere probabantur, in dies numero augeri, eorumdem colonias in ciuitates, et munitiora Hungariae loca deduci, sicque tranquillitatem domesticam perturbari, pacificationem Viennensem, et decreta in fauorem gentis Hungaricae edita passim violari. Haec et alia his consimilia postquam prolixe recensuisset *Rákotzius*, omnes, et singulos, quibus religionum libertas, aut patriarum praerogatiuarum, ac immunitatum conseruatio cordi esset, maiorem in modum exhor- 1644

tatus eſt, vt ſibi, velut gentis Hungaricae vindici, arma dextrasque coniungerent. Et valuit ſane ſpecioſum illud, principibusque Tranſſiluaniae admodum familiare velum; nec enim ſoli nobiles, verum vulgus etiam ab aratro ad arma in patriam ſtringenda ſub *Rákotzii* ſigna conuolauit. Paulo prius, quam tempeſtas in apertum erumperet, caeſar de *Rákotzii* foederibus, hoſtilique in ſe animo certior redditus, et literis, et legatione in Tranſſiluaniam miſſa, hominis animum ad aequiora conſilia, litesque in pace terminandas permouere ſtuduit, at vbi oleum, et operam ſe perdere, *Rákotziumque* ferociorem potius, quam mitiorem fieri ſenſit, ipſe quoque ad ineuitabile iam bellum cuncta apparare coepit: ad quod quidem propulſandum non ſatis domi vires comparatae erant; cum enim iam inde a comitiis A. 1608 1608. ſub *Mathia* II. celebratis, renouata idemtidem conſtitutione, vetitum fuiſſet regibus noſtris, Germanicam militiam in Hungaria tenere, aut eamdem inconſultis regni ordinibus vllo ſub praetextu inducere, ex Hungaris autem praeter praeſidiarium, confiniariumue militem, nullae eſſent ſtipendio conductae legiones, id vnum *Ferdinando* III. caeſari eo temporis articulo reliquum fuit, vt *Nicolao* Eſzterházio palatino negotium daret, imperata ad patriarum legum mentem inſurrectione, nobiles aeque, ac ignobiles ad regni defenſionem ſub ſigna regia cogendi: quem in finem omnes, qui legitimi principis, ſacrae coronae, patriaeque ſaluti pro-

ſpicere vellent, per diuulgatas vbiuis regias literas pro poteſtate euocati ſunt. Neque ſpes ſua deluſit caeſarem: tanto enim numero in ea temporum iniquitate copiae ad palatini caſtra confluxere, vt hoſtium impetum aliquamdiu ſuſtinuerint, atque habitis non vna vice leuioribus praeliis victores euaſerint. Verum cum *Rákotzii* exercitus in dies creſceret, Turcaeque pariter ex foedere rem agere coepiſſent, palatinus conſiderata virium ſuarum inaequalitate, ab ineundo decretorio certamine prudenter abſtinens, ſenſim pedem referebat, vt nouorum tironum acceſſione copias ſuas interea augere, ac, quae venturae propediem ferebantur, legionibus Germanicis opportune ſe poſtea poſſet coniungere: atque hoc tempore *Rákotzius* ea vſus fuit fortuna, vt vniuerſa fere ſuperiore Hungaria Poſonium vſque ſit potitus. Quamuis autem caeſar parte copiarum Germanicarum praeclaris cum ducibus in Hungariam traducta, non ſemper improſpero vteretur ſucceſſu, quia tamen exhauſto iam aerario publico, tam difficili, diuturnoque bello tot cum hoſtibus proſequendo imparem ſe videbat, de modo pacis aliquando tandem conficiendae cogitare coepit, quo et domeſticas, et totius imperii Germanici res admodum turbatas, atque conuulſas ad quietem reduceret. Prima omnium cura fuit, de Turcis a *Rákotzii* foedere abſtrahendis: quapropter cum *Ibraimum* Turcarum ſultanum, ignauum cetera principem, auaritiae, et cupiditati vltra modum deditum elle com-

periſſet, miſſis ad eum, illiusue adminiſtros exquiſiti pretii muneribus, eo rem adduxit,
1645 vt *Ibraimus* ſubſcriptis A. 1645. viginti annorum induciis, ſuos a ferendis deinceps Tranſſiluano contra caeſarem ſuppetiis prohibuerit: quo fulcro praeter ſpem deſtitutus *Rákotzius*, cum inſuper vereretur, ne, ſi caeſar cum foederatis Germaniae principibus concordiam iniret, tota belli moles ſibi vni incumberet, ad pacem, quae ſibi vltro offerebatur, applicuit animum, induciasque, quarum opportunitate de pacis conditionibus tranſigeretur, cum caeſare pepigit (*a*).

§. IV.

Belli Rákotziani exitus.

Primus ad concordiam procurandam conuentus habitus fuit Tyrnauiae, quo ex parte caeſaris: *Georgius* Lippai Strigonienſis archiepiſcopus, *Nicolaus* comes Eſzterházi palatinus, tum vero comites *Tieffenbach*, et *Gueſtenberg* conuenerant: ſed nil tum tranſigi potuit, quod *Rákotzii* oratores adeo enormia poſtulata haberent, vt caeſarei legati illis nulla ratione ſubſcribi poſſe exiſtima-

(*a*) De bello Rákotziano conſule Hiſtor. Hung. Cl. Franciſci Kazi, et Ioannis de Bethlen Rer. Tranſſilu. hiſtoriam.

rent, cum itaque ſoluto conuentu metus eſſet, ne bellum recrudeſceret, caeſar aliam longe pacis conficiendae viam ingreſſus, *Ioannem* Töröſſium camerae regiae conſiliarium, virum et patriarum rerum cognitione, et negotiorum tractandorum vſu egregie perpolitum, ac ſibi denique optime perſpectum delegit, qui arcanis mandatis, plenaque agendi poteſtate inſtructus, remotis arbitris, ſolo cum principe negotium omne abſolueret. Prudenti conſilio optatus reſpondit ſucceſſus. Poſtquam enim *Töröſſius* VII. Hungariae comitatibus: Abauiuarienſi, Zemplinienſi, Beregienſi, Borſodienſi, Szaboltsenſi, Vgotſienſi, et Szatmarienſi vita comite eodem iure, quo olim *Gabrieli* Bethlenio A. 1622. conceſſi erant (*a*), oblatis 1622
Tokaienſem inſuper, ac Regetzienſem dynaſtias, cum pluribus aliis bonis *Rákotzianae* domui hereditario iure conferendas, caeſaris nomine ſpopondiſſet, tanta ditionum acceſſione exhilaratus *Rákotzius*, facile iam de ceteris pacis conditionibus, quae ſeorſim in publicas poſtea tabulas ſunt relatae (*b*), conuenit. Harum pleraeque ad liberum proteſtantium religionum exercitium pertinent; ea enim, quae ad inſtaurandas gentis praerogatiuas, politicamque regni ad-

(*a*) Confer Ferdinandi II. decret. I. art. XXIX. cum Ferdinandi III. decret. II. art. XX. et XXXII.

(*b*) Has vide Ferdinandi III. decret. II. art. V. ad verbum inſertas.

miniſtrationem veterum legum placitis accommodandam faciebant, quaeque a caeſare nec omnia concedi, nec penitus negari poſſe ſagaciter perſpiciebat *Rákotzius*, generalibus regni comitiis examinanda, definiendaque, relinqui placuit. Vt autem lectores noſtri aliquam celeberrimae huius pacis conditionum notitiam vel hic loci habeant, nos ſumma ſolummodo earumdem capita recenſebimus. Concluſum itaque fuit I. Vt in religionis negotio obſeruetur decreti A. 1608. art. I. et conditio VI. iuramenti regii in coronatione editi. II. Ne ruricolae, et ſubditi in religionis ſuae exercitio ſeu a principe, ſeu a miniſtris eius, ſeu denique a terreſtribus dominis turbentur. III. Ne miniſtri acatholici a ſtationibus ſuis per quemcumque remoueantur. IV. Acatholicorum de templis, ſcholis, prouentibusque ſibi ab-
1638 latis querelae iam anno 1638. caeſari propoſitae, in proximis regni comitiis examinentur, atque communibus ordinum regni ſuffragiis complanentur, vt tranquillitas, mutuaque inter diuerſarum religionum ſubditos animorum concordia perpetuam obtineat ſtabilitatem, eumdem etiam in finem religionaria negotia omnia ſiue Catholicos, ſiue acatholicos tangentia, propalam ſemper deinceps in comitiis pertractentur. V. Publicorum in negotio religionis ſtatutorum violatores aut *Vladislai* decreti VI. art. VIII. aut alia denuo decernenda poena mulctentur. VI. Cuncta haec ad rem religionariam ſpectantia proximorum comitiorum decreto-

inferantur. VII. Patrum ſocietatis Ieſu e regno exilium, bullae aureae *Andreae* II. et plurimarum aliarum legum, in Hungaricae gentis fauorem ad id vſque tempus perlatarum confirmatio, ad eadem comitia reiicerentur. VIII. Quae quidem ſopitis turbis domeſticis primo quoque tempore indicerentur, plena ordinibus regni relicta deliberandi, definiendique libertate. IX. Denique omnibus, qui *Rákotzium* ciuili hoc bello ſecuti erant, generalis venia ea forma, quae in Viennenſi A. 1606. pacificatione ob- 1606
ſeruata fuit, concederetur. His igitur pactis confecta, atque die XVI. menſis Septembris A. 1645. ſignata pace, vt caeſar datam fidem 1645
expleret, generalia regni comitia in calendas Maii A. 1646. indixit, quae tamen iuſtis de 1646
cauſis dilata, nonniſi die XXIV. Auguſti eodem anno Poſonii conuenere. Comitia haec integro propemodum anno tenuerunt, ac cum ob alia plurima, tum vero, ob copioſas leges in proteſtantium fauorem perlatas famigerata euaſere. Vt pax operoſe confecta conſtabiliretur, ac ſubinde omnium ſtudia, voluntatesque ad neceſſarias de procuranda patriae ſecuritate deliberationes traducerentur, ante alia omnia proteſtantium poſtulatis ſatisfieri oportuit. Itaque concordiae cum *Rákotzio* initae conditiones omnes ordinum regni calculo ſunt probatae: templa numero nonaginta ſuis cum redditibus, Auguſtanae, et Helueticae confeſſionis alumnis reſtituta, mutua denique templorum, ſcholarum, prouentuumque occupatio ſeueris

poenis interdicta (*a*). His, aliisue idmodi ſanctionibus interceſſere et praelati, et multi e ſecularibus Catholicis, at cum caeſar nullam aliam expeditam quietis, ſalutisque domeſticae viam reperiret, interpoſita autoritate ſua id effecit, vt comitiorum decretis omnes demum aſſentirentur, alioquin, niſi id fieret, incendium, quod opportune ſopitum erat, paulo atrocius euaſiſſet. Hac ſua indulgentia caeſar id conſecutus fuit, vt ſumma omnium conſenſione, *Ferdinandus* IV. eius pri-
1647 mogenitus die XVI. Iunii A. 1647. praeſtito pro more iuramento, in regem Hungariae inauguratus fuerit. Pacata hunc in modum Hungaria, imperio quoque Germanico deſideratam diu quietem anno inſequente reſtituit caeſar per celeberrimam pacem Weſtphalicam, qua trium: Catholicae, Auguſtanae, et Helueticae religionum exercitium ſtabilitum, Pomerania, et Bremenſis epiſcopi ditio Suecis, Alſatia Gallis: plures demum epiſcopatus, capitula, et abbatiae proteſtantium principum dominatui acceſſere (*b*).

(*a*) Haec et plura alia cit. decreti art. VI. vſque ad articulum XIX. continentur.

(*b*) Belli tricennalis, ac pacis Weſtphalicae hiſtoriam ex profeſſo ſcripſit Gallice Cl. vir Guilielmus Bougeant Ieſuita. Pariſiis A. 1727.

§. V.

Archiducis Leopoldi in regem Hungariae inauguratio.

Non Germaniae minus, quam Hungariae neceſſaria quiete procurata, primogenito filio regnorum omnium herede, ac ſucceſſore inſtituto, reſpirare demum a bellicis curis, ſubditorumque populorum ſaluti, felicitatique promouendae liberius iam intendere licebat caeſari. At poſtquam *Ferdinandus* IV. egregiis a natura dotibus inſtructus, atque non ſolum optimis praeceptionibus, verum et vſu ipſo ad regendos populos egregie inſtitutus princeps praeter omnium exſpectationem, die IX. Iulii A. 1654. in ipſo ae- 1654
tatis flore, e viuis exceſſit, nouae patrem optimum et aetate, et laborum mole ſatis iam fractum de ſucceſſore quantocyus conſtituendo curae inceſſere. Habebat is ex prima coniuge *Maria Anna, Philippi* III. Hiſpaniae regis filia, ſecundogenitum *Leopoldum* archiducem, ſua ſponte potius, quam patris voluntate ordini eccleſiaſtico deſtinatum, quem vt primo quoque tempore apud Hungaros inauguratum cerneret, generalia regni comitia ad diem XXIV. Ianuarii A. 1655. Poſo- 1655
nium indixit. Hac occaſione memor quam optime caeſar, quantis, ob Tranſſiluanorum principum potentiam, intimamque cum Hungaris conſiliorum communionem, noui regis apud Hungaros electio labente aetate inuolui poſſit difficultatibus, quam arctis item limitibus eorumdem autoritas circumſcribi

ſoleat per XVII. conditiones, ad quas fideliter obſeruandas iure ſe iurando electionis tempore obſtringere coguntur, eo cogitationes ſuas tranſtulit, vt poſtquam ſacra Hungariae corona iam inde ab *Vladislai* II. cum *Maximiliano* I. caeſare tractatibus, auguſtae familiae Auſtriacae generatim obnoxia erat, ſublata perſonarum electione, hereditaria primogenitorum eiusdem domus principum ſucceſſio apud Hungaros introduceretur: non deerant e praelatis, baronibus ac dicaſteriorum membris, qui domeſticae tranquillitatis amore huic caeſaris menti vltro aſſentiebantur: faere, qui grauiſſimis rationum momentis in ſcriptum relatis hereditariam ſucceſſionem popularibus ſuis perſuadere nitebantur. Illud praeterea, ad felicem negotii exitum in comitiis procurandum, ſuggeſtum fuit caeſari, vt poſt *Pauli* comitis Pálfi viri clariſſimi, caeſarisque partibus addicti, obitum ſuſpenſa ad tempus palatini electione *Georgium* Lippai regni primatem Strigonienſem archiepiſcopum, locumtenentis nomine regno praeficeret, quod eius viri maxima eſſet in rebus agendis prudentia, et apud omnes ordines autoritas. Verum curae hae omnes in irritum abiere: apertis quippe comitiis, vna omnium vox fuit, vt, antequam aliquid de republica ageretur, palatinus, qui conuentui praeſit, eligeretur. Cedendum itaque tempori ratus caeſar, quaternos propoſuit candidatos: *Franciscum* C. Veſſelényi de Hadad, *Stephanum* C. Tsáki de Kereſztſzeg Catholicos: *Stephanum* C. Tököli de Kes-

mark Lutheranum, et *Franciscum* Redei comitem Marmarosiensem reformatum, quorum primo *Vesselenyio* communibus votis electo, sine mora de republica consultationes haberi coepere: in quibus cum caesar ad regni ordinum postulata aequum praebuisset animum, tum demum *Leopoldus* archidux quintum supra decimum agens annum vnanimi suffragatione rex proclamatus fuit die XXVII. Iunii e. a. solenni ritu inauguratus, postquam ad easdem XVII. conditiones, quibus pater, et auus obstricti fuerant, obseruandas ipse quoque iureiurando fidem suam obligauit (*a*). Ipse coronationis dies diui *Ladislai* regis memoriae consecratus, laetissimi ominis instar plerisque fuit: vaticinabantur nempe *Leopoldum* D. *Ladislao* minime absimilem fore: vtqui militarem, politicamque scientiam cum insigni vitae sanctimonia copularat, angustosque id temporis regni Hungarici fines plurimarum prouinciarum accessione auxerat, speciatim autem de infestis Hungariae infidelibus populis praeclare semper triumphauerat. Neque vanum fuit augurium: *Leopoldi* enim

(*a*) Nonnisi XIV. conditio variata fuit: postquam enim Ferdinandus II. et III. arces, ac dominia *Pernstein*, *Kabolsdorf*, *Gintz*, *Forchtenstein*, *Eisenstadt*, et *Hornstein* ab Austriae iurisdictione auulsas et iuribus, et limitibus regni postliminio restituit, id solum adiectum, vt ditiones hae porro sub ditione, iurisdictioneque S. coronae Hungaricae conseruentur. Quemadmodum videre est: Leopoldi decret. I. art. I. condit. XIV.

pietate, et auſpiciis, deiecto e diuturna Hungariae poſſeſſione, profligatoque Ottomanno Hungaria foedam exuit ſeruitutem, ac paucorum annorum internallo id omne recuperauit, quod duorum prope ſeculorum bellis Turcae illi ante detraxerant. Sic tum *Ferdinandus* III. filium inaugurari procurauit, quin tamen hereditariam, quam tantopere optarat, ſucceſſionem impetrauerit, quae felicitas eius poſteris, vltro deinde per Hungaros oblata, acceſſit.

§. VI.

Quaedam Ferdinandi III. conſtitutiones.

Non eſt nobis hic loci propoſitum, vt infinitas leges, variis in comitiis ſub *Ferdinando* III. perlatas, vel ſtrictim recenſeamus: eas ſolum adferre placet, e quibus ſiſtema gubernationis Hungaricae, vſitataque eius aetatis Hungarorum cogitandi, ſentiendique ratio luculentius poteſt intelligi: quo negotia omnia communi principis, ordinumque regni voluntate pertractarentur, ac ſi quid vitii in reipublicae adminiſtrationem irrepſiſſet, eo promptius remedium adferri poſſet, mos ſingulis trienniis generalem regni conuentum celebrandi ſtabilitus fuit (*a*). Quia

(*a*) Ferdinandi III. decreti II. art. 154.

vero animaduerſum fuit, cum in publicis, tum vero maxime in priuatis cauſis, nonnullos muneribus corrumpi, ac ad mutandam ſententiam permoueri, ne prauus hic mos, ac ſuffragiorum libertati admodum noxius porro ſerperet, ſub poena infamiae interdictum, ne quis comitiorum tempore quidquam doni a quoquam admitteret (*a*). Cum militis extranei in Hungaria commoratio et incolis grauis, et plerisque inuiſa eſſet, pro recepta iam inde ab A. 1608. conſuetudine iterum ſancitum, vt exterae copiae omnes intra triennium emigrarent, neque aliter, quam conſentientibus regni ordinibus easdem reuocare liceret (*b*). Ne autem diſcedentibus e regno legionibus Germanicis ſecuritas quoque omnis inde exularet, praeter praeſidiarios, limitaneosue milites Hungaros, dudum iam e gentis aerario ali ſolitos, polliciti ſunt ordines regni, ſe pedites, equitesque certo, ac determinato numero conſcripturos, quibus dimidium ſtipendii ex oſtiario plebis tributo, dimidium autem e propria praelatorum, baronum, ac nobilium crumena ſtatis temporibus accurate dependeretur, onere hoc ad futura vſque comitia duraturo; neque enim moris tum adhuc fuit, vt aut vectigalia, aut militis ſtatuendi onus eſſet perpetuum: hoc enim pro neceſſitatis ratione ad certum, ac determinatum tempus per co-

(*a*) Decreti III. art 44.
(*b*) Decret. IV. art 19.

mitia imperari, augeri, minuiue ea aetate solebat (*a*). Vt porro ad praesidia muniendа, apparatuque omni prouidenda eo plus nerui adesset, placuit decerni, vt non ignobiles solum, verum etiam praelati, barones, ac nobiles, cum fruges, vinaque sua quaestus faciendi gratia e regno educunt, tricesimam dependant in memoratum finem conuertendam (*b*). Cum ad rectam rei bellicae in Hungaria constitutionem vtile videretur, vt consilio bellico eadem optimo constaret: introductum, vt ad idem consilium aulicum gemini ex Hungaris consiliarii adsciscerentur (*c*). Et quia ordines regni sua interesse putabant, cunctorum, quae cum Turcis caesar agebat, certam habere notitiam, statutum, vt Germano ad portam Ottomannicam oratori, aut internuncio collega Hungarus adiungeretur (*d*), ac istud quidem potissimum clam vrgebant Transsiluaniae principes: ad quorum securitatem pertinebat, nil eorum, quae inter Viennensem, Bizantinamue aulam secreto interdum tractabantur, ignorare, quo sic Austriacae domus consilia tempestiue possent euertere. Ex aduerso ne pax operose cum Turcis confecta, patriaeque admodum necessaria quorumdam cupiditate, auaritia, aut leuitate ab-

(*a*) Decret. IV. art. 5.
(*b*) Decret. I. art. 49. decret. II. art. 27.
(*c*) Decret. III. art. 8.
(*d*) Decret. III. art. 7. decret. IV. art. 50.

rumperetur, graues poenae dictatae illis, qui ditiones, ſubditosue Turcarum hoſtili modo inuadere auderent (*a*). Cum Hungari exiſtimarent exteros rerum, iuriumque Hungaricorum haud ſatis gnaros, minus idonea caeſari conſilia ſuggerere, renouata vetus conſtitutio, vt caeſar negotia Hungarica non alio canale, quam per cancellarium Hungaricum cognoſceret, eidemque immediate reſponſa redderet (*b*). Illud quoque cautum, ne donationalibus literis regiis clauſulae quaedam recentiore aeuo introduci coeptae, ac olim incognitae, inſererentur, quaeque literae tales eſſent, nullum in iudiciis robur obtinerent (*c*). Quia ab accurata, fidelique comitatuum adminiſtratione recta vniuerſi corporis gubernatio, patriaeque felicitas ſuapte conſequitur, grauiter prohibitum, ne ſupremi comitis honor aut minorennibus, aut talibus, qui in credito ſuae moderationi comitatu nulla bona poſſiderent, conferatur, quod ab illorum imbecilli aetate, ab horum autem neceſſaria fere a comitatu ſuo abſentia merito aliquid detrimenti reſpublica poſſit pertimeſcere (*d*). Pluribus regni locis in vſum deduci coeperat, vt nobiles illi, qui ex praelatorum, aut magnatum donatione aliquid terrarum, praediorumue in-

(*a*) Decret. I. art. 4. decret. II. art. 44.
(*b*) Decret. I art. 16.
(*c*) Decret. II. art. 122.
(*d*) Decret. I. art. 33. decret. II. art. 75.

tra eorumdem dominii ambitum poſſidebant, in cauſis ſuis ſedis dominalis tribunali ſubiicerentur, atque coram eodem literas, iura poſſeſſionis ſuae continentes, exhibere cogerentur: quaeſtio haec ad generalia regni comitia delata, ac plus ſimplici vice agitata, ita demum deciſa fuit, vt idmodi nobiles a mecaenatum ſuorum iudicatu exempti, eodem cum ceteris regni nobilibus foro deinceps gauderent (*a*). Quo exaggerata calamitoſis illis temporibus foenerandi licentia coërceretur, publica conſtitutione ſancitum, ne is, qui pecuniam ſuam ad cenſum locaſſet, plus hoc nomine, quam VI. a centum auſit percipere (*b*). Praeter oſtiarium V. florenorum tributum ad triennium ſolummodo per ordines regni decretum, nouum centum denariorum a ſingulis portis vectigal eum in finem ſtabilitum fuit, vt LXXV. denarii ſacrae coronae conſeruatoribus, cuſtodibusue cederent, reſiduum autem in legatorum, commiſſariorumque ſtipendia conuerterentur (*c*). Cum libera, regiaque ciuitas Tyrnauienſis, hoſpitantibus apud ſe canonicis Strigonienſibus haud ſatis ſe fauentem praeberet, publica lege decretum, vt capitulo Strigonienſi liceret octo aedes in canonicorum vſum ibidem coemere, quae a taxis regiis eſſent eximiae,

(*a*) Decret. I art. 2. decret. II art. 22. decret. IV. art 48.
(*b*) Decret. II. art. 144.
(*c*) Decret. I. art. 5. decret. IV art. 15.

eximiae, immunitate dimidii ſeculi ſpatio duratura: quodſi autem ad priſtinam ſedem ſuam capitulum interea rediret, aedes illae a canonicis relictae, perſoluto prius pretio, ad fiſcum ciuitatis deuoluerentur (*a*). Quo praelatorum, quorum potior pars bonorum ſub Turcico gemebat iugo, egeſtas ſubleuaretur, communi comitiorum nomine oratus fuit caeſar, vt Romanum pontificem pro annatarum relaxatione interpellaret (*b*). Haec fere ſunt praecipua ex illis, quae ad ciuilem regni adminiſtrationem ſub *Ferdinando* III. conſtituta legimus, quae enim ad rem religionis pertinebant, iam alibi ſuo loco explicuimus.

§. VII.

Rákotzianae domus apud Tranſſiluanos imperantis viciſſitudines.

Inde a pace cum ſeniore *Rákotzio* Tranſſiluaniae principe concluſa, nil deinceps ſiue cum Hungaris, ſiue cum Tranſſiluanis negotii habuit caeſar: etſi enim atrox illa tempeſtas, quae Rákotziam domum e ſummo fortunae apice praecipitem egerat, viuente adhuc *Ferdinando* III. cogi

(*a*) Decret. I. art. 36.
(*b*) Decret. III. art. 87.

coepit, non tamen prius, quam ab huius obitu deſaeuiit. Iuuat rei, quae grauiſſimis in Tranſſiluania, et Hungaria viciſſitudinibus ſub *Leopoldo* rege poſtea occaſionem dederat, initia, cauſasque paulo diligentius hic loci exponere. *Chriſtina* regina Sueciae
1655 abdicata A. 1655. ſponte corona, heredem regni, ſucceſſoremque inſtituit *Carolum Guſtauum* e domo Bipontina comitem palatinum Rheni: cui ſucceſſioni cum *Ioannes Caſimirus* rex Poloniae, ſtirpis Iagellonicae vltimus, per legatum ſuum ſolenni ritu interceſſiſſet, ac vna ad ſua in Sueciam iura pro viribus ſuſtentanda et titulis, et inſignibus regis Sueciae vteretur: *Carolus Guſtauus* ad vindicandam eam iurium ſuorum vſurpationem armis aemulum appetere conſtituit. Quamuis autem *Ioannes Caſimirus* ob rempublicam Polonicam peſſime tum comparatam, miſſis oratoribus, pacem vltra obtulerit, *Carolus* nihilominus a belli propoſito dimoueri ſe minime paſſus fuit tum propterea, quod illuſtribus victoriis, quas de Polonis ſe relaturum ſperabat, ſub ipſa regni initia inclareſcere, vicinisque principibus formidabilem ſe reddere cuperet, tum vero vt Suecos ſub femineo *Chriſtinae* reginae imperio a bellicis ſtudiis deſuetos, excuſſo otio ad armorum tractationem iterum traduceret. Coeptum laetiſſimo vbiuis cum ſucceſſu bellum, vt eo certius, celeriusque conficeret *Carolus*, *Georgium* Rákotzium iu-
1648 niorem, qui patri ſuo A. 1648. demortuo in Tranſſiluaniae principatu ſucceſſerat, ad ineundam ſecum armorum contra Polonum ſocietatem inuitauit, pollicitus illi ſe mino-

rem Poloniam, Maſſouiam, Ruſſiam rubram, et partem Lituaniae in expeditionis, victoriaeque praemium ceſſurum. *Ferdinandus* III. de ſecretis *Caroli Guſtaui* conſiliis tempeſtiue edoctus, *Rákotzium* ab amplectendo Suecico foedere grauiſſimis rationibus dehortatus fuit. Porta pariter Ottomannica, et a caeſare, et a *Ioanne Caſimiro* rogata, diſerte vetuit, ne Polonis, quibuscum ſibi tum pax eſſet, bellum inferre auſit. Ipſi denique Poloni, quo foedus hoc proh berent, per nuncios ad *Rákotzium* communi et regis, et reipublicae nomine miſſos fidem dederunt, ſe poſt *Ioannis* Caſimiri, heredis ſpe omni deſtituti obitum, eius ex *Sophia* Bi hori filium *Franciscum*, electum iam Tranſſiluaniae principem, modo Catholicam religionem amplecti velit, regem Poloniae creaturos, ſi is repudiato foedere Suecico, iuſto cum exercitu adeſſe, laborantique reipublicae aduerſus *Carolum Guſtauum* opitulari in animum induceret. Verum cum *Rákotzius* regnum prae filio mallet, ampliſſimasque prouincias ſibi a Sueco promiſſas iis rerum, temporumque rationibus breui temporis ſpatio in ditionem ſuam redigendas nil ambigeret, honeſtum vtili poſthabuit, ſumptoque protectoris Polonorum nomine A. 1657. 1657
Poloniae regnum in quinquaginta millium armatorum comitatu hoſtilem in modum inuaſit. Secundo vbiuis ſucceſſu vſus, expugnata Cracouia, parteque Lituaniae ſub iugum miſſa, Varſouiam vſque progreſſus, priora foedera cum *Carolo Guſtauo* renoua-

uit. At poſtquam Dani Polonis opem laturi in Sueciam irrumpentes *Carolum* ad aras, et focos tuendos domum reuocarunt, poſtquam caeſareae copiae duce *Hatzfeldio Ioanni Caſimiro* ſuppetias venere, Poloni a Sueco liberati vires omnes ad eiiciendum e regno *Rákotzium* conuertere, ac reapſe ad eas breui ſe redactum ille ſenſit anguſtias, vt quo grauiter a ſe laeſae nationis vim, furoremque effugeret, et pacem, et receptum parum decoris nomini ſuo conditionibus mercari ſit coactus; praeterquam enim quod theſauris, quos in Polonia auare corraſerat, reſtitutis, ingentem pecuniae vim Polonis numerare debuerit, vna fidem dedit, ſe primo quoque tempore oratores in Poloniam miſſurum, qui de illatis regno iniuriis, regem regnique ſenatores deprecarentur. Ad infelicitatis cumulum illud acceſſit, quod cum ſui ſecurus in Tranſſiluaniam rediret, per Tartaros ex inſidiis obrutus, exercitu internecione propemodum deleto, aegre ipſe cum paucis ſuorum domum redierit. Hunc habuit exitum *Georgii* iunioris *Rákotzii* in Poloniam expeditio, Tranſſiluanis ſane quam funeſtiſſima, quod clade hac maiorem genti ſuae nuſpiam fuiſſe illatam eorum annales meminerint: ex L. mille viris, quorum potior pars nobilibus conſtabat, vix decimam partem ad ſuos rediiſſe ferunt. Neque domi poſtea quieto eſſe licuit *Rákotzio*; porta enim Ottomannica illius inobedientia vltra modum irritata, ſeueris interea mandatis ad prouinciales miſſis praeceperat, vt eo exautorato

alium ſine mora principem legerent. Sic ille, cum auaritia, ambitioneque abreptus, nullo iure aliena inuaſit, ſua ſubinde amiſit, vt vberius in rebus *Leopoldi* narraturi ſumus (*a*).

§. VIII.

Ferdinandi III. obitus, coniuges, et liberi.

Priusquam haec euenirent, *Ferdinandus* III. die II. Aprilis A. 1657. animam creatori ſuo reddidit, in caeſareo apud PP. Capuccinos mauſolaeo conditus. Rexit inſigni cum religionis, clementiae, prudentiae, ac cumprimis iuſtitiae laude Hungariam, ceterasque prouincias annis XX. Quam ſibi rite conſcius vltimum vitae momentum praeſtolaretur, vel inde colligi poteſt, quod circumſtantibus ſumma animi tranquillitate teſtatus ſit: *Nil ab ſe vnquam in rebus ad iuſtitiam ſpectantibus admiſſum fuiſſe, cuius illum poenitere poſſit.* Complura ſunt, quae aeternam optimi caeſaris ad poſteros memoriam tuentur, praecipuum autem illud, quod tricen- 1657

(*a*) Haec copioſius videri poſſunt apud Ioannem de Bethlen in rerum Tranſſilu. hiſtoria ab A. 1629. vſque A. 1663.

nale Germaniae incendium reſtinxerit: ad pietatis Marianae monumenta pertinet mos ille, quem inſtituerat, vt die VIII. Decembris auguſti caeſares, voto ſe ad tuendum, iuxta *Pauli* V. et *Gregorii* XV. conſtitutiones illibatum Deiparae virginis conceptum, in principe vrbis Viennenſis **D.** *Stephani* baſilica, propalam inter miſſarum ſolennia obſtringerent. Coniugio ter illigatus fuit, e prima coniuge *Maria Anna* Hiſpana genuit *Ferdinandum* IV. regem, *Leopoldum* I. caeſarem, et *Mariam Annam Philippo* IV. Hiſpaniae regi nuptam. Ex ſecunda coniuge, *Maria Leopoldina*, *Leopoldi* archiducis Tyroli dominantis filia *Carolum Ioſephum* archiducem, M. O. Teutonici magiſtrum, Paſſauienſem &c. epiſcopum. Ex tertia: *Eleonora* Mantuana: *Eleonoram*, primum *Michaeli* Wisniouietzki Poloniae regi, hoc autem propere ſublato, *Carolo* Lotharingo, celeberrimo ſui aeui belliduci traditam; tum vero *Mariam Annam*, *Ioannis Wilhelmi* palatini Rheni conſortem.

FERDINANDVS IV.

REX XLV.

A. C. 1647.

§. I.

Properatus Ferdinandi IV. obitus.

Etsi *Ferdinandus* IV. numquam regni gubernacula capessiuerit, vel eo tamen nomine regum in numero censendus est, quod die XIV. Iunii A. 1647. solenni ritu inauguratus fuerit. 1647 Obiit ex morbillis die X. Iulii A. 1654. Innocentis, criminisque expertis animi documentum praebuit vox illa 1654 morientis: *Eundum mihi est ad nostrum dominum, et beatissimam matrem dominam nostram cum fide Catholica.* Ea perspicacis ingenii, excelsi, intrepidique animi, ac prudentiae in iuuentute edidit specimina, vt eum omnes *Caroli* V. caesaris magnitudinem adaequaturum fuisse crediderint. Properatam eius mortem nonnulli medicorum id tem-

poris imperitiae tribuunt (*a*). Nos eam Numinis, cuncta ſuo arbitrio moderantis, prouidentiae adſcribere malumus.

LEOPOLDVS M.

REX XLVI.

A. C. 1657.

§. I.

Leopoldini regni initia.

Poſt *Ferdinandi* III. obitum, ſceptro potitus *Leopoldus*, futurae iam tum praeluſit magnitudini; profligato enim, ac ad pacem ineundam adacto *Carolo Guſtauo* Sueciae rege, *Ioanni Caſimiro* Poloniam reſtituit, quamuis pluribus iam tum mutilatam prouinciis: nominatim Pruſſiam a coronae Polonicae iurisdictione in perpetuum exemptam electorali domui Brandeburgicae cedere oportuit, ea ſolum adiecta lege, vt domus haec aeterno foedere Polonis coniuncta, aduerſum quosuis hoſtes reipublicae ſuppetias ferret: quae

(*a*) Vide notas ad Mellenium pag. 223. lit. d.

omnia per pacem Velauienſem A. 1658. ſunt 1658
concluſa. Eodem anno *Leopoldus* Francofortum profectus, imperii Romano-Germanici diadema ſuſcepit. In Hungaria ob proſtratam dominantis in Tranſſiluania domus Rákotzianae, quae facile turbas ciere poterat, potentiam, quieta fuere omnia, niſi quod praecipua quaedam futurorum regem inter, et ſubditos diſſidiorum ſemina non multo poſt iaci coeperant: quae quoniam illis, quae poſtea acciderunt, multum lucis affundunt, noſtrum eſſe putauimus, paucis iam nunc commemorare. Vbi primum *Leopoldus* a negotiis imperii Germanici expeditum ſe ſenſit, quo ardentibus Hungarorum votis ſatisfaceret, comitia ad diem XXI. Iulii A. 1659. Poſonium conuo- 1659
cauit, vt illic de animorum concordia, quiete domeſtica, ac cum interna, tum externa ſecuritate patriae procuranda in commune deliberaretur. Ante cetera omnia ſolenne diploma, quo *Leopoldus* XVII. conditiones, ad quas obſeruandas ſemet in inauguratione ſua obſtrinxerat, complexus erat, propalam in comitiis promulgari, decretoque inſeri placuit (*a*), abhinc conſultationes in quintum vſque menſem protractae initium accepere, plurimae hic priuatorum hominum, ac familiarum lites, et querimoniae ventilatae, terminataeque ſunt: nec pauca tamen ad politicum ciuitatis Hungaricae ſiſtema ſpectantia, maximis caeſareae aulae miniſtrorum in-

(*a*) Leopoldi decreti I. art. I.

1608 gratiis ſunt dictata. Iam inde ab anni 1608. comitiis, per quae regum autoritas non mediocriter conſtricta fuit, illud ſibi omni conatu efficiendum putauere Hungari, vt miles exterus omnis, cum ob alias cauſas, tum vero quod eius licentia incolis admodum grauis, ac propemodum intolerabilis euaſerat, ex Hungaria eliminaretur, neque niſi difficilis belli tempore, ordinibus regni conſentientibus, induceretur: ex aduerſo autem tota patriae aduerſus quosuis hoſtes tuendae gloria ſolius nationalis Hungarici militis fidei, et dextris crederetur; verum principes Auſtriaci ſeditioſa Tranſſiluanorum principum molimina, et Turcarum potentiam veriti, et ad ſuam, et ad regni ſecuritatem plurimum intereſſe exiſtimarunt, vt legionariae copiae Germanicae iuſto ſemper numero in Hungaria excubarent: quapropter etſi *Ferdinandus*
1655 III. cum alias, tum vero in comitiis A. 1655. diſerte cauerat, exteras copias caeſareas triennii ſpatio e regno emigraturas (*a*), promiſſa nihilominus explere ad obitum vſque diſtulit; ſed neque *Leopoldus* turbatis iam Turcarum factione vicinae Tranſſiluaniae rebus, tutum putauit, militis externi auxilio regnum deſtituere: praeſertim quod vix fieri poſſe apparebat, vt tempeſtas, quae Tranſſiluanis incumbebat a Turcis, citra Hungariae incendium poſſit diſſipari. Quamuis haec

(*a*) Ferdinandi III. decret. IV. art. 19.

caesaris consilia ad quietem, salutemque Hungariae directa erant, prohiberi tamen non potuit, quominus communi ordinum voluntate renouatis priorum comitiorum decretis exteri militis omnis intra triennium emigratio noua lege sanciretur (*a*). Ne autem aulae administri sufficientem securitatem Hungariae deesse, iure possent conqueri, decretum fuit, vt stabilis miles nationalis siue in praesidiis, siue in confiniis distributus, nouis nationalium pariter tironum supplementis per Hungariam, Croatiam, et Sclauoniam primo quoque tempore augeretur: in huius autem stipendia, praeter consueta tributa per regnum colligi solita, dimidia pars reddituum tricesimalium cederet. Porro cum ad Bohemiae, ceterarumque ditionum Austriacarum, ac ipsius adeo Romano-Germanici imperii salutem, et securitatem pertineret, vt Ottomanni quantocyus ex Hungaria, velut Christianitatis antemurali profligarentur, ne subactis aliquando Hungaris, in ipsa Germaniae viscera grassari inciperent, in id quoque consentire tum oportuit caesarem, vt Bohemia, ac imperii Germanici prouinciae, stata pecuniae subsidia quotannis in Hungariam transmitterent, pro nationalis militis stipendiis deseruitura (*b*). Illud etiam cautum, ne militem hunc domesticum, si forte caesari cum principibus Christianis bellum

(*a*) Leopoldi decreti I. art. 25.
(*b*) Ibidem art. 2. et 9.

eſſet, vllo vnquam tempore e ſtatione ſua euocari, ac ex Hungaria educi liceret, ne ſic patria idoneo priuaretur auxilio (*a*). Quia vero Turcis iam in Tranſſiluania ſaeuientibus, nationalis miles confiniarius minore, quam periculi magnitudo exposcebat, futurus videbatur numero, ac, ſi Turcae bellum in Hungariam transferrent, neceſſarium erat, vt ad propulſandam tempeſtatem cuncta domi in promptu eſſent, ordines regni ſincera in patriam caritate ducti, tributi, quod *dicam* appellant, loco, certum, ac determinatum militum numerum in biennium obtulere, cui ne ſua deeſſent ſtipendia, a ſingulis portis integris X. floreni, a dedititiis autem, ſeu dominatui Turcico obnoxiis V. floreni ſunt decreti, ea lege, vt dimidiam huius ſubſidii partem praelati, barones, ac nobiles e propria *burſa*, dimidiam coloni ipſi penderent (*b*). De annona quoque abunde proſpectum fuit: vt nempe duo cubuli Caſſouienſes in ſuperiore Hungaria, in inferiore autem ſex metretae Tyrnauienſes a ſingulis portis ad deſtinata annonae promptuaria per biennium adminiſtrarentur (*c*). Quodſi autem bellum Turcicum interea erumperet, vniuerſi ordines ſe ſe ad inſurrectionem in
1635 comitiis A. 1635. art. 88. deſcriptam obſtrin-

(*a*) Ibidem art. 73.
(*b*) Ibidem art 8.
(*c*) Ibidem art. 6.

xere (*a*). Porro cum non deeſſent, qui in idmodi inſurrectione parum, aut nil praeſidii collocarent, quod vix fieri poſſe exiſtimarent, vt promulgato inſuerrectionis edicto, miles idoneus, eo, quo oportebat, numero ad praeſtitutum diem, et locum, omni apparatu bellico inſtructus conueniret, quo hoc quoque dubium ex aulae miniſtrorum animis euellerent Hungari, ſuaeque et fidei, et promptitudinis ſpecimen darent, publica conſtitutione ſancitum fuit, vt cum palatini comitis in Hungaria, in Croatia vero bani ſcitu, ſupremus comes, vel procomes annis ſingulis inſurrectionem imperare poſſit, atque tum vniuerſi eius comitatus, praelati, barones, ac nobiles viritim ad conſtitutum locum, et diem armis apprime prouiſi conuolarent, propalam illic luſtrandi, pecuniaria poena in eos dictata, qui mandato huic parere detrectarent (*b*). Denique cum magnates nonnulli opibus, potentiaeque ſuae confiſi, enormia quaedam flagitia impune committerent, magiſtratusque comitatenſes iure in eos agere vererentur, ne laxato legum patriarum rigore quidquam communi ſecuritati hac quoque ex parte timendum reſtaret, vnanimi voto decretum fuit, vt, ſi magiſtratus comitatus idmodi facinoroſos coercere aut nollet, aut non pollet, comes palatinus, peracta prius legali inquiſitione,

(*a*) Ibidem art. 7. et 85.
(*b*) Ibidem art. 28.

eosdem ad tribunal ſuum citaret, celebratoque extraordinario iudicio, de crimine conuictos poenis a lege praeſcriptis ſubiiceret (*a*). Haec ſunt, quibus Hungari ſiſtemati ſuo inhaerentes internae, externaeque ſecuritati regni per domeſticas copias proſpectum voluere, quae quamuis omnia aulae caeſareae adminiſtris minime probarentur, caeſar tamen illis regni ſui initiis eadem calculo ſuo roborauit.

§. II.

Turbae Tranſſiluanicae curas caeſaris exercent.

Sub haec tempora turbis domeſticis vltra modum diuexabatur Tranſſiluania. *Mahometes* enim IV. Turcarum ſultanus grauiter offenſus propterea, quod *Rákotzius* contra diſerta portae Ottomannicae mandata, Polonos bello, vt alibi iam meminimus, laceſſiuerit, miſſis in Tranſſiluaniam legatis, non ſine atrociſſimarum poenarum comminatione praeceperat prouincialibus, vt exautorato homine ſibi refractario, alium illico principem conſtituerent. *Rákotzius* tempeſtatem, quam ſuperari tum non poſſe videbat, declinaturus, comitiis Albam-Iuliam indictis, faſces

(*a*) Ibidem art. 18.

Francisco Redei ea lege tradidit, vt, si arte aliqua ipse interea cum *Mahomete* in gratiam rediret, pleno iterum iure eosdem recipere-ret. Ea Transsiluanorum obediendi promptitudine placatus *Mahometes* ab omni vlteriori vindicta abstinuit; verum *Rákotzius* cum nec precibus, nec muneribus Turcarum fauorem promereri posset, priuatae vitae impatiens, armis fortunam periclitari constituit. Itaque valido exercitu ex dynastiis, quas in Hungaria tenebat, congregato, in Transsiluaniam irrupit, principatuque facile recuperato, eo insuper prouinciales pertraxit, vt renouata pristina fidelitate, se illum totis viribus in principatu tuituros pollicerentur. Id vbi Bizantium nunciatum fuit, non iam *Rákotzius* solum, verum vniuersi Transsiluani portae Ottomannicae hostes declarati sunt, decretumque, vt parte vna Tartari sociis Moldauiae, atque Valachiae populis, parte altera vezirius cum centum armatorum millibus in Transsiluaniam irruerent, prouinciamque ferro et igne prius euastatam, penitus sub iugum Ottomannicum mitterent, per Turcas deinceps ad ceterorum subditorum populorum morem gubernandam. Et vero lacrimis digna erat fertilissimae alias prouinciae facies, hinc Turcis, inde Tartaris eamdem foedum in modum euastantibus, nulli vt aetati, sexui, aut conditioni parceretur. Calamitate hac non immerito perculsi prouinciales, nec ad vim diutius sustinendam satis comparati, *Achatio* Bartsai, pluribusque illustribus viris ad vezirii castra missis,

vltimum patriae excidium deprecati sunt, cuncta, quae portae Ottomannicae placuissent, facturos se polliciti, modo nouum sibi legere principem, veterique instituto, et legibus viuere porro finerentur. Vezirius non tam legatione placatus, quam quod caesareas copias duce *Montecuculo* Transsiluaniae finibus appropinquare intellexerat, mitior redditus, veritusque, ne, si generosae nationis preces reiiceret, illa in desperationem acta *Leopoldi* caesaris se copiis coniungeret, sicque bellum haud paulo difficilius euaderet, tempori cedendum putauit, pacemque dedit petentibus ea conditione, vt futuris temporibus maius vectigal penderent, tum vero, vt, qui inter oratores erat, *Achatium* Bartsai, cuius placido, mitique ingenio, ac ceteris animi, et corporis dotibus mirifice vezirius captus erat, principem legerent. Fecere imperata Transsiluani, *Bartsaium*que e. a. in proximis comitiis principem salutarunt, verum quia potior prouincialium pars adhuc adhaerebat *Rákotzio*, ea addita lege, vt, si hic aliquando a Turcis in gratiam reciperetur, ille principatu vltro decederet, gubernatoris titulis decorandus. Ac reapse nil intentatum reliquit *Rákotzius*, quo Turcas sibi redderet propitios: quamuis autem et Temesiensem praefectum, et Valachiae principem *Michnam* partim muneribus, partim pollicitationibus ampliſſimis ad partes suas pertraxerit, Bizantii tamen et sultani, et purpuratorum aures penitus iam sibi obturatas

ratas ſentiens, ad bellum imparibus licet viribus contra Turcas proſequendum obfirmauit animum. A. 1659. fauentem ſibi nactus 1659
fortunam, Turcis prouincia excedere coactis, *Bartsaium* tota fere ditione exutum, Cibinii arctiſſima cinxit obſidione: verum anno inſequente 1660. conſerto die IX. Maii 1660
ad Claudiopolim cum Turcis infelici praelio, ſuperatus, ex vulnere, quod fortiter dimicans acceperat, octauo decimo poſt die Varadini deceſſit aetatis anno XXXIX. Erat is forti, bellicoſoque animo princeps, id vnice ſatagens, vt victoriis inclareſceret, regnique ſui fines alienarum ditionum rapinis augeret, non multum de belli inferendi aequitate, aut iniuſtitia ſollicitus, vnde factum, vt, cum nulla prouocatus iniuria, aduerſus fas omne Poloniam armis ſub iugum mittere conniſus fuit, mira rerum humanarum viciſſitudine ſua omnia amiſerit (*a*).

§. III.

Primi belli Turcici ſemina.

Quamdiu turbis, quas mox commemorauimus, *Rákotzii* cauſa agitabatur Tranſſiluania, *Leopoldus* copias Germanicas inde a

(*a*) Vide prae ceteris Ioannis de Bethlen Hiſtor. lib. II.

Ferdinandi III. temporibus per Hungariam diſtributas, nouis aliquot legionibus auctas duce *Montecuculo* in regni limitibus excubare iuſſit, quo ſic Turcarum irruptionem tempeſtiue prohiberet, vtque omnem *Rákotzium* in Hungariam vſque perſequendi occaſionem eisdem tolleret, prouido ſane conſilio, Munkatsium, Regetzium, et reliquas Rákotziani iuris in Hungaria arces omnes per Germanos milites occupari, inſiderique voluit. Haec caeſaris cautio grauiſſimas Turcis iniecit ſuſpiciones, quaſi caeſar eo conſilio id ageret, vt *Rákotzio* in principatum repoſito Tranſſiluania, a clientela Turcica abſtracta, ad priſtinam S. coronae Hungaricae ſubiectionem reuocaretur. Hae Turcarum ſuſpiciones non mediocriter auctae ſunt per ea, quae deinceps in Tranſſiluania agebantur. *Achatius* Bartsai, incertum, qua de cauſa, a Turcis cuſtodiae datus, poſtquam recuperata libertate ſibi, patriaeque redditus fuit, coepit patronorum ſuorum fidei diffidere; cum autem multorum popularium animos a ſe alienari, ac *Ioanni* Keményio viro bellicoſo adhaerere cerneret, vt erat quietis, quam belli amantior, eo demum ſe permoueri paſſus fuit, vt, prouincialibus ab obedientiae ſibi debitae lege ſolutis, principatum A. 1660 1660. in *Keményium* vltro tranſtulerit. Hic vt dignitatem tueretur, miſſis Bizantium legatis confirmari ſe flagitauit: at cum porta Ottomannica mutationi huic, ſe inconſulta factae, aſſentiri tergiuerſaretur, *Keményius* A. 1661 1661. *Leopoldi* caeſaris, atque Hungariae

regis patrocinium implorauit, ſancte pollicitus, ſe vniuerſa cum gente in ſacrae coronae Hungaricae clientela, fide, atque obedientia perpetuo perſeueraturum, ſi modo caeſareis copiis aduerſus Turcas adiuuaretur. *Leopoldus* eam Tranſſiluaniae in fidem recipiendae occaſionem minime negligendam ratus, prolixe omnia addixit, moxque *Montecuculo* in mandatis dedit, vt quantum ſpectata copiarum Germanicarum paucitate liceret, *Keményio* opem ferret, ante omnia autem aliquot Tranſſiluaniae fortalitiis opportuno loco poſitis Germanicum militem praeſidio imponeret, quem etiam in finem conſentiente *Keményio*, Claudiopolis, Köuarinum, Déua, Fogaraſium, Szamos-Viuarinum, pluraque alia munimenta per caeſareos occupata ſunt. Haec caeſaris agendi ratio cum vehementer Turcis diſpliceret, *Bartsaium* in arce ſua Görgenyienſi priuatam agentem vitam in ſpem recuperandi principatus erigere, ac opportunorum auxiliorum pollicitatione ad bellum *Keményio* inferendum excitare ſunt conniſi; occulta haec conſilia vbi *Keményius* didicit, ad perſonae, dignitatisque ſuae ſecuritatem plurimum intereſſe putauit, vt aemulum nouas daturum turbas e medio tolleret, ac reapſe *Bartsaium* ſub amicitiae ſpecie ad familiare colloquium prope pagum Képás euocarum, per immiſſos ſatellites immitem in modum die XII. Maii A. 1661. ob- 1661
truncari, germanum vero illius *Andream* Fogaraſinum abſtractum laqueo praefocari curauit. Hunc habuit exitum princeps *Bar-*

tsaius, fato meliore dignus, qui ſi ab aemulorum impetitionibus, factionibusque domeſticis ſemet extricare potuiſſet, vt erat clementi, excelſoque animo, Tranſſiluaniam magna cum laude in pace gubernaturus fuiſſet. *Bartsaii* caede Bizantium perlata, ac in *diuano* propoſita, omnium purpuratorum ſententia fuit, totis viribus prohibere, ne *Ioannes* Keményius caeſari clientela obſtrictus in principatu ſe ſe conſtabiliret, quodſi id negligeretur, porta Ottomannica Tranſſiluaniae dominatu in perpetuum exueretur: id enim, vt alibi meminimus, dudum iam in *diuano* ſancitum erat, ne idmodi principem Tranſſiluanis imperare paterentur, qui cum caeſare, qua Hungariae rege, amicitiam coleret. *Leopoldus* autem maiorum ſuorum imitatione, in eo ſibi elaborandum putauit, vt princeps primum, tum vero vniuerſa Tranſſiluania ad S. coronae Hungaricae clientelam, et obſequium poſtliminio reduceretur. Itaque Turcae priusquam caeſareus exercitus nouis legionum Germanicarum acceſſionibus in immenſum augeretur, conſilia ſua effectui daturi, *Ali baſſam* numeroſo inſtructum exercitu ineunte autumno A. 1661. in Tranſſiluaniam irrumpere iuſſere, qui exuto, exautoratoque *Keményio* alium principem eligi procuraret. Plenam diſcriminis dignitatem cum magnates plerique, per *Ali baſſam* euocati, deprecati fuiſſent, Saxonum potiſſimum commendatione *Michael* Apafi princeps per Turcas declaratus die XX. Nouembris e. a. ſolenni ritu inauguratus fuit. Cer-

1661

tatum poſtea fuit *Apafium* inter Turcicis, et *Keményium* caeſareis adiutos auxiliis. At quia *Montecuculus*, parte copiarum per Hungariae praeſidia diſtributa, adeo exiguum in caſtris habebat militem, vt ſalua regni Hungarici finium ſecuritate, non plus ter mille equitibus *Keményio* ſuppetias mittere potuerit; Turcae autem Tranſſiluaniam in obſequio retinere certi, totis viribus rem ſuam agebant; *Keményius* die XXIII. Ianuarii A. 1662. prope pagumNagy-ſzölös hoſtium mul- 1662
titudine obrutus, ac in fuga per equos contritus occubuit. Cuius caput, a reliquo corpore reciſum, *Apafius* in ſignum victoriae ad ſultanum transmiſit; ſublato hunc in modum aemulo liber *Apafius*, miſſis Viennam oratoribus, orabat caeſarem, vt ad lites omnes cum Turcis praecidendas, bellique certo certius ſecuturi fomitem exſtinguendum, Germanicas copias e Tranſſiluaniae praeſidiis quantocyus educeret. Caeſar ex aduerſo per *Franciscum* Szent-Györgyium Vacienſem epiſcopum legatum ſuum maiorem in modum *Apafio* autor fuit, vt, diſſuta ſenſim Turcica ſocietate, intimam ſecum iniret amicitiam: quod cum *Kutzukius* baſſa, Turcicus apud Tranſſiluanos miniſter, in omnia noui principis, prouincialiumque conſilia intentus ſubodoratus fuiſſet, legatum caeſareum aduerſus iura gentium Temesuarinum abripi iuſſit, vbi etiam vir clariſſimus in carceris ſqualore paulo poſt vitam poſuit: *Apafio* vero nomine ſultani, omne literarum, conſiliorumque cum caeſare commercium ſeuere inter-

dictum fuit. Atque haec Viennenſis, et Bizantinae aularum circa Tranſſiluaniam conſilia, atque molimina bello, quod paulo poſt erupit, occaſionem dedere. Turcae enim caeſarem ad educendas e Tranſſiluaniae praeſidiis, atque limitibus copias vel inuitum adacturi, iam tum in ſanctiore ſuo conſilio bellum in Hungariae viſcera transferre decreuerant: vt autem Viennenſis aulae miniſtros incautos fallerent, caeſareo Bizantii oratori certiſſimam prorogandarum in plures annos induciarum ſpem fecerunt, cuius literis, et nunciis vſque adeo deluſus fuit praecipuus tum *Leopoldi* miniſter *Lobkouitzius*, vt quamuis *Montecuculus* et noua militum ſupplementa, et neceſſarium belli apparatum idemtidem vrſerit, nil tamen minus, quam de apparando bello Viennae cogitatum fuerit.

§. IV.

Diſſidia domeſtica ſopita potius, quam extincta.

Ad hanc in bello apparando lentitudinem accedebant non leuia regnicolas inter, ac caeſarem diſſidia, externi potiſſimum militis cauſa ſuſcitata: cum caeſar Turcas in Tranſſiluania pro libidine cuncta agere videret, de Hungariae ſalute ſollicitus, tantum abeſt,

vt id, quod ſiue in coronatione ſua, ſiue in poſtremis A. 1659. comitiis, de milite 1659
Germanico intra triennii ſpatium e regni finibus educendo ſe facturum receperat, effectui dederit, vt etiam nouis tironum ſupplementis, ac aliquot legionum acceſſione copias ſuas augere neceſſe habuerit. Has *Montecuculus* pro temporum, locorumue ratione non modo per ciuitates, oppida, atque pagos diſtribuere, verum etiam interdum in eccleſiaſticorum, nobiliumue aedibus, ac curiis collocare ſolebat: his, cum aerarium militare exhauſtum fuit, et ſtipendia ab Hungaris numerari, et annonam gratuito praeſtari oportebat; cumque aliquando accideret, vt militi huic et hyberna hoſpitia, et annona per nonnullas ciuitates, aut comitatus negarentur, *Montecuculus* milites a deferendis ſignis prohibiturus, poenarum terrore, aut vi etiam admota, neceſſaria haec copiarum ſubſidia extorquere cogebatur: atque hinc odia illa, quibus *Montecuculus* apud Hungaros deinceps laborabat, ſuum ſumſere exordium. Haec cum ordines regni ferrent quam aegerrime, porrectis aliquoties libellis ſupplicibus orabant caeſarem, vt promiſſorum memor, ab exteri militis oppreſſione Hungariam liberaret, verum is Turcarum Hungariae imminentium cupiditati frenum tum maxime neceſſarium eſſe exiſtimans, regni ordinum voluntati ſatisfacere, etſi quam maxime vellet, non poterat, cumque plerorumque animos eapropter vltra modum irritatos intellexiſſet, comitia in ca-

1662 lendas Maii A. 1662. Poſonium indixit, ratus fore, vt cauſis, cur miles exterus in Hungaria retinendus eſſet, propalam explicatis, atque probatis, gens vniuerſa a querimoniis deſineret. Quia vero id caeſar intendebat, vt in iis comitiis non alia de re, quam de neceſſario ad Hungariam contra Turcas defendendam belli apparatu, neruo, copiarumque domeſticarum ſupplementis deliberaretur, id praeuie ſanxit, ne regni grauamina, priuatorum querimoniae, et lites ibidem proponerentur: iſtud etſi impetrauerit, prohibere tamen non potuit, quin Hungari militis exteri emigrationem magnis vocibus vrgerent: fruſtra fuere cauſae omnes, quas caeſarei miniſtri in obuerſum voce, ſcriptoque adducebant; quin eo demum ordinum omnium querimoniae euaſere, vt caeſar communem gentis totius a ſe alienationem prohibiturus, ad extremum fidem dederit, militem exterum primo quoque tempore e ditionibus Hungaricis educendum, demto exiguo pro finitimis praeſidiis neceſſario, determinatoque numero: qui etiam intra tres annos ſolum vertere cogeretur, deinceps autem et copiae exterae, et copiarum duces, quamdiu in Hungaria agerent, comitis palatini, ac ceterorum capitaneorum regni ex Hungaris conſtituendorum imperio, et iurisdictioni ſubeſſent: nullo denique tempore fas eſſet militi ſiue in eccleſiaſticorum, ſiue in nobilium aedibus hoſpitia aſſignare (*a*).

(*a*) Leopoldi decreti II. art. 2. 7. 13.

Quia vero caeſareae aulae miniſtri eo potiſſimum ex capite militis Germani in Hungaria neceſſitatem euincere nitebantur, quod Hungari nec idoneo bellico apparatu, nec viribus ad ſe tuendos ſufficientibus inſtructi viderentur, quod copiae illae per inſurrectionem ſtatuendae adeo prompte, ac celeriter, vt periculi magnitudo poſceret, in vnum colligi nequirent, neque denique in militis tumultuarie coacti numero, ac virtute, neque in ducum Hungarorum militari ſcientia tantum ſpei collocari poſſet, vt Ottomannis maximo, vt ſolent, exercitu irruentibus, caeſar non modo de ſuſtinendo fortiter bello, verum etiam de victoria poſſit confidere: ne vel hoc rerum articulo militis exteri neceſſitatem agnoſcere cogerentur Hungari, modum omnem ſtatuendi per praelatos, barones, magnates, nobiles, ac liberas ciuitates tironis, inſurrectionisque adornandae rationem generoſe prorſus, ac liberaliter definiuerunt (*a*), ac cuncta inſuper ad militis ſtipendia diſciplinam militarem, annonam, omnemque belli apparatum pertinentia copioſis legibus accurate deſcripſerunt (*b*). Multa praeterea alia iis in comitiis non ſine temporis diſpendio ad deliberandum aſſumta fuere, vt priuatarum familiarum inter ſe lites, proteſtantium de ereptis ſibi per Catholicos ſcholis, et oratoriis querimoniae, nonnullorum denique comitatuum, ac dominorum de frugibus, et

(*a*) Ibidem art. 5. et 6.
(*b*) Ibidem ab art. 8. vſque 27.

vinis Hungaricis libere in ditiones Germanicas inferendis poſtulata; at caeſar nolens congregatos in quintum iam menſem patres nouis diſceptationum, contentionumque fluctibus agitari, quo comitiis finem quantocyus imponeret, bono animo omnes, et ſingulos eſſe iuſſit, pollicitus haec ſe poſt conuentum, aut certe in proximis comitiis vberius, et diligenter cogniturum: quapropter praeter eas, quas commemorauimus ad rem militarem ſpectantes conſtitutiones, vix quid quam grauioris momenti in ciuili regni adminiſtratione perlatum fuit. Hoc in genere illud aliquid habet nouitatis, quo ſancitum legitur, ne fiſco liceret illorum bona, facultatesque occupare, qui in flagranti aliquo crimine deprehenſi, extra regnum, per exteros iudices conuicti, damnatique eſſent, quod horum quoque cauſam per domeſticos iudices ad patriarum legum placitum cognoſci, definirique oporteret (*a*). Aliquot demum exteri ad caeſaris commendationem in numerum indigenarum ſunt relati, qua in re *Leopoldus* deceſſorum ſuorum morem et tum, et deinceps diligenter ſecutus fuit, dum quamplurimos exteros genere, atque geſtis muneribus illuſtres viros, apud Hungaros ciuitate donari procurauit, quo ſic ſublato, quam leges patriae exteris ponebant, obice, eorumdem opera vtiliter aliquando in Hungaria vti poſſet.

(*a*) Ibidem art. 47.

§. V.

Id temporis Hungarorum incenſum gloriae ſtudium.

Erunt fortaſſe aliqui, qui cum haec legerint, in eam illico delabantur opinionem, quaſi Hungari, quo nomine Dalmatiae vna, Croatiaeque incolas intelligi volumus, non alia de cauſa, quam ex alienarum a ſua nationum odio, copias Germanicas omnes tanta animorum contentione ex Hungaria eliminatum iuerint; at enim eos, qui ita ſentiunt, vehementer falli mira ſane eorumdem temporum ratio euidenter oſtendit. Quamuis enim negari nequeat, militem exterum conniuentibus nonnumquam ducibus, per rapinas, direptiones, multipliciaque alia iniuriarum genera (*a*) cuiusuis aetatis, et conditionis hominum animos vſque adeo a ſe alienaſſe, vt quem Hungari velut ſecuritatis ſuae vindicem, et vitae, rerumque ſuarum propugnatorem diligere debuerant, eum hoſte ipſo acerbius deteſtarentur: id tamen minime tanti apud vniuerſam gentem fuiſſe credendum eſt, vt imminente iam bello Turcico florentiſſimas, ac in armis egregie exercitas Germanicas peditum, equitumue legiones, quarum auxilium patriae non modo vtile, verum etiam eo temporis articulo prorſus neceſſarium fore ignorare non poterant, ab

(*a*) Huc facit Leopoldi decret. III. art. 18. et 22.

ipſis belli foribus diſcedere voluerint, niſi grauior alia ratio Hungaros ad id conſilii pertraxiſſet. Erat nempe incredibile prorſus apud Hungaros ea aetate gloriae, famaeque bellica virtute comparandae ſtudium: partim e propriarum virium confidentia, partim ex aemulatione ortum: communis tum domi obtinuerat opinio: ad Ottomannos ex Hungaria penitus profligandos, citra exterarum copiarum ſubſidium, ſolos Hungaros, Dalmatas, et Croatas ſufficere, modo proprio ſibi more, et inſtituto, ac ſub gentis ſuae ducum auſpiciis bellum gerere ſinerentur; quapropter et ab expeditionis, et a victoriae communione exterarum nationum auxilia excludi voluere; aegre alioquin ferebant, id vulgo ferri: quod non omnis iam Hungaria Turcicam ſubierit ſeruitutem, Germanicarum potiſſimum copiarum, ducumque virtuti eſſe adſcribendum. Cum igitur patriae non modo fortiter propugnatae, verum etiam propitio coelo, a iugo Turcico certo certius eliberandae gloriam ſibi ſoli vindicatam cuperet gens Hungara, nemini iam mirum videri debet, externarum copiarum e regno emigrationem tanta animorum contentione, tamque conſtanter fuiſſe poſtulatam. Ne quis autem haec ingenio noſtro comminiſci nos putet, teſtem omni exceptione maiorem proferimus *Nicolaum* comitem a Zrinio, fortiſſimum illius aeui heroem, qui in tricennali bello Germanico maximis ſub ducibus ſcientiam militarem condidicerat, multiplicibusque aduerſus Gallos, et Suecos

praeliis perpoliuerat, domi autem pro Dalmatiae, Croatiaeque bani munere tam illuſtria et peritiae militaris, et fortitudinis ediderat documenta, vt Ottomanni, vel nomine eius audito, terrore corriperentur (*a*). Hic igitur communem eam popularium ſui temporis opinionem elegante libello Hungarice conſcripto ad poſterorum memoriam transmiſit: (*b*) multis, grauibusque rationibus in medium adductis ibidem oſtendere nititur, Hungariae, vt vt tum attrita, oppreſſaque erat, vires, citra externarum ſuppetiarum adminicula ad Ottomannos è regno eiiciendos, ſatis ſuperque ſufficere, modo omnes, et ſinguli excuſſo torpore, ſincera erga patriam caritate accenſi, vnanimi voluntate in opus tam grande conſpirent: vt enim heroi fortiſſimo res patriae, popularium-que ſuorum ſtudia optime fuere perſpecta, militari plane libertate conqueritur, aeui ſui Hungaros a priſca maiorum ſuorum virtute vſque adeo iam defeciſſe, vt nil fere praeter idioma cum his commune haberent am-

(*a*) Nicolaus Zrinius in heroicae virtutis ſuae praemium, a Philippo IV. Hiſpaniae rege vellus aureum, a Ludouico XIV. Galliae rege liberalia quotannis ſtipendia acceperat. Leopoldus ipſe eidem S. R. I. principis titulos obtulerat, quos tamen ille conſtanter deprecatus fuit.

(*b*) Libello titulus eſt: *Ne bânts. Symbolum Ill. domini comitis Nicolai Zrini.* Hu. tubinde comes Simon Forgáts A 1705. typis excudi curauit in 12.

plius (*a*). Quapropter pro eo, quo ad liberandam e diuturna ſeruitute ſua patriam ferebatur, zelo in id toto opuſculo incubuit, vt popularibus ſuis ea ſuggereret media, quae ſi amplecti vellent, debellandis Chriſtiani nominis hoſtibus breui temporis interuallo pares euaderent: conſilia haec, quia a clariſſimo, peritiſſimoque belliduce, cui et res patriae, et Turcarum vires optime exploratae eſſe debebant, ſunt profecta, in lectoris idmodi mercium curioſi gratiam, ſumma fide, compendio hic explicanda exiſtimamus: autor itaque fuit popularibus ſuis *Zrinius*, vt praeter confiniarium militem, pro recepto tum more e regis aerario alendum, alias inſuper ſtabiles copias conſcriberent, quibus arma, annona, ac ſtata ſtipendia non ex aerario regio, ſed ex regni ordinum liberalitate, et munificentia praeberentur: quod nouum onus, vt leuius ferre poſſint, luxum, qui iam tum apud ſummos, et infimos inualuerat, apud primores cumprimis corrigendum ſuaſit, vt eorum exemplo, et imitatio-

(*a*) Verba ſunt Zrinyii. Ollyan meſzſze eſtünk mi moſtani Magyarok a' régiektöl, hogy ha elö jönének moſtan a' más Világról azok a' mi vitéz Eleink, ſem mi; ſem ök minket meg-nem ismérnének, mert nyelvünkön, ſzólláſunkon kivül, mivel haſonlithattyuk magunkat azokhoz? Ugy hogy bizonyára mondhatnák nékünk: *Vox quidem vox Iacob, manus autem, manus Eſau.* Tsúfsága leſznek a' mi nemzetünknek, és magunknak, Ellenségeinknek pedig, valaki valahonnan jö reánk, prédájává. - - -

ne, inferiores quoque ad temperantiam in victu, cultuque corporis sectandam pertrahantur: nationalis huius militiae numerum pro rerum, temporumque adiunctis augendum, minuendumue esse: pacis tempore, vt minimum IV. mille pedites, equites autem VIII. mille, cum belli metus esset, duplum horum constanter per regnicolas ali, ac sub signis censeri oportere. Equites peditibus potiores esse voluit *Zrinius* proprerea, quod Turcis tunc per Hungariam sparsis, nec satis semper religiose inducias colentibus, illi celerius eo, quo opus esset, aduolare, laborantibusque opem ferre possint, quam pedites. Ab illustri hac militia domestica praedatores, fures, seditiosos, facinorosos, ac a vitae licentia notatos homines in perpetuum arcendos, ex aduerso autem tirones idoneos magno cum delectu autorandos esse, maiorem in modum commendauit *Zrinius*: tirones autem hos minime in otio relinquendos, sed Romanorum imitatione a prima adolescentia in armis, et laboribus continuo exercendos, seueraeque disciplinae militari assuefaciendos esse; neque enim victoriam a copiarum multitudine, sed virtute, peritiaque pugnandi pendere, quemadmodum constat *Alexandrum* M. cum exigua Macedonum probe in armis exercitorum manu, innumerabiles hostium copias debellasse, id ipsum Hungaros, vbi disciplinam, et artem militarem sibi familiarem fecerint, sibi de Turcis aliquando polliceri posse. Quapropter cum fato quodam euenerit, vt clarissimis ducibus,

qui Bohemico, Bethlenianoque bello floruerant, iam demortuis, vix quisquam scientiae militaris peritus *Zrinii* iudicio domi reperiretur, exteros militares praefectos quam plurimos oblato liberaliori stipendio accersendos esse, a quibus tirones domestici ad artem militarem, melioremque pugnandi rationem sollicite instituantur: porro exteros inter, ob fidem, animi constantiam, laborum tolerantiam, ac scientiae militaris peritiam ceteris populis omnibus e Scotia oriundos antetulit *Zrinius*; ab his commendauit Heluetos, Belgas, Italos, ac Germanos denique, non tamen e vicinis Hungariae prouinciis, sed ex imperio Romano-Germanico accitos. Quod ad disciplinam militarem attinet, huius leges maturo consilio, et vnanimi ordinum regni assensu dictandas, sanciendasue esse, quae toti militiae Hungaricae sint communes, et maximo cum rigore deinceps obseruentur. Haec si in effectum deducere placeat, abunde Hungariae securitati prospectum iri, nam praeter regias confiniarias copias, bello imminente, quatuor supra viginti millia Hungarorum disciplina, arteque militari insignium in promptu futura: vnde illud etiam non leue commodum enascetur, vt cum generalis insurrectio per singulos comitatus imperata fuerit, delecti e nationali militia et gregarii, et praefecti militares, singulis insurgentium turmis admisceantur, paucarum hebdomadarum spatio nouos commilitones suos rem militarem edocturi. His rite constitutis, si insuper ido-

neo

neo numero machinae bellicae, ceterique apparatus neceſſarii mature comparentur, formidandam Turcis euaſuram gentis Hungaricae militiam, atque tum demum non modo bene ſperari, verum etiam confidi poſſe, vt citra exterarum copiarum neceſſitatem, ſola Hungarorum virtute Chriſtiani nominis hoſtes ex Hungaria profligentur. Ex his, quae ex citato *Nicolai* comitis Zrini libello paucis commemorauimus, perſpicue intelligitur, quae tum apud Hungaros obtinuerit de domeſticarum virium ſuarum magnitudine opinio, vnde enata fiducia cupidiſſimam gloriae gentem eo adduxit, vt quo liberatae patriae gloriam ſibi propriam faceret, exteras copias et a belli gerendi, et a victoriae ſubinde certo certius de Turcis reportandae communione arceri voluerit.

§. VI.

Turcarum ad bellum apparatus.

Sic dum Hungari de modo Turcas propriis viribus ex Hungaria eiiciendi ſollicite, ſed tamen nullo cum effectu deliberant, ac in id toto conatu incumbunt, vt legiones exteras, quae pro ſecuritate, ſaluteque patriae excubabant, ac non leui hoſtibus freno erant, e regni finibus omnibus educi impetrarent, porta Ottomannica domeſticis Hungaros inter, ac principem diſſidiis vtendum rata,

magna diligentia bellum apparauit. Huius potiſſima cauſa fuit: vt *Leopoldum* caeſarem ad militiam Germanicam e praecipuis Tranſſiluaniae fortalitiis extrahendam adigeret, ſicque et *Apaſium* principem, et vniuerſam eam prouinciam ab illius dominatu, atque clientela penitus eliberaret: imo vero id etiam in *diuano* clam conſtitutum erat, vt, ſi bellum proſpere cederet, Tranſſiluania ſub iugum mitteretur, ac copioſo milite Turcico opportunis locis diſtributo, ad ceterarum Bizantino imperio ſubditarum prouinciarum morem per Turcas praefectos deinceps gubernaretur: quo ſic non modo dominatum ſuum in perpetuum in Tranſſiluania conſtabilirent, verum etiam recuperandae aliquando, ac ad obsequium S. coronae reuocandae eius prouinciae ſpem omnem Hungariae regibus adimerent. Cunctis ad bellum rite diſpoſitis, portaeque feudatariis Valachis, ac Moldauis ſeuero mandato ad bellum
1663 proficiſci iuſſis, vezirius A. 1663. Bizantio digreſſus, praemiſſo in Tranſſiluaniam nuncio, *Apaſio* imperauit, vt Tranſſiluanicas copias in vicinam Hungariam traduceret, coniunctisque cum *Kutsuko* baſſa viribus, rem contra *Leopoldum* ageret. Dura fuit et *Apaſio* principi, et prouincialibus ea vezirii denunciatio, quod diuturnis bellis, Tartarorum, Turcarumue populationibus exhauſta prouincia, quiete tum quam maxime opus haberet. At non multo poſt vehementius conſternati ſunt, dum arcanam mandati huius cauſam e Valachiae principe didicere. Is

enim cum copiis ſuis illac in Hungariam ad vezirii caſtra iter habens, clàm *Apafium* monuerat, eo conſilio Tranſſiluanos ad bellum in Hungaria gerendum cogi, vt eo durante prouinciam omni milite deſtitutam Turcico exercitu ex improuiſo inundarent, neminequè reſiſtente ſubiugarent. Idem fere arcis Gyulenſis begus Turca, *Olai* nomine, futurum vaticinabatur. *Hoc vobis*, inquiens, *conſilium a me datum ſciatis: diſſenſiones per plures annos continuatas ſeponite, nec contra quemquam auxilia noſtra imploretis; ſi enim in ſuccurſum veſtrum denuo ingredi compellemur, numquam nos Tranſſiluania egreſſuros, iuro per Deum omnipotentem* (*a*). Hoc rerum ſuarum poſitu commoti Tranſſiluani, id ſibi omni poſſibili ratione euitandum putauere, ne militiam ſuam in Hungariam ſub ſigna Turcica tranſmittere cogerentur. Itaque *Apafius* internuncio Turcico magni pretii muneribus ſibi conciliato, praeteritorum annorum calamitatibus publicum prouinciae aerarium, et priuatorum facultates ad fundum vſquè exhauſtas, exiguum item domi ad bellum apparatum, modicas denique militiae vires, vix caeſareo militi e fortalitiis Tranſſiluaniae eiiciendo ſuffecturas excuſauit, atque eiusdem internuncii opera eo vezirium flexit, vt is a ſequenda expeditione tum quidem prouinciales abſoluerit, ea tamen lège, vt totis viribus interea incumberent, ad Claudiopolim,

(*a*) Vide Ioan. Bethlen lib. IV. pag. 443.

Kouarinum, aliaque Tranſſiluaniae fortalitia, per caeſareos milites inſeſſa, e *Leopoldi* manibus vindicanda. Id quod etiam non tam Apafianarum copiarum virtute, quam praeſidiariorum Germanorum perfidia perfectum fuit; cum enim longiore tempore nulla gregario militi praebita fuiſſent ſtipendia, coorta ſeditione, vltro portas Tranſſiluanis aperuere, eiurataque caeſari fide, ad *Apafii* ſigna transiere.

§. VII.

Hungarorum in ſtatuendo milite promptitudo.

Ceterum vezirii, centum armatorum millia ſecum trahentis, fama non mediocriter aulam caeſaream perculit, eo quod, vt iam diximus, oratoris ſui Bizantii degentis literis certam prorogandae pacis ſpem nunciantibus, deluſa nil ad eum diem de bello cogitauerit. *Montecuculus* caeſarearum copiarum ductor nonniſi XI. peditum, ac XII. equitum legiones, neque eas conſuetum numerum complexas ſub imperio ſuo cenſebat, quorum pars potior ſi per finitima Turcis praeſidia diſtribueretur, exiguus eorum, qui in campum educi poſſent, remanebat numerus: ſed neque appropinquantibus iam Turcis, tam cito abſentes in Italia legiones domum reuocari, tirones in Germania conſcribi, aut

ab exteris principibus auxilia impetrari poterant. Itaque in quo vno ſpes eſſe poterat, palatinum monet caeſar, vt quoniam grauiſſimum adeſſet diſcrimen, deſcriptam tot conſtitutionibus, totiesque laudatam inſurrectionem genti Hungaricae imperaret; factum id quam promptiſſime, ac ipſa caeſaris exſpectatione celerius; priusquam enim Turcicus exercitus viſcera Hungariae ſubiret, e vicinis Danubio comitatibus vicenis plura millia, armis, omnique apparatu optime inſtructa, ſub palatini ſigna confluxere. Belli adminiſtratio ita caeſaris voluntate diuiſa fuit, vt *Montecuculus* Germanicis, *Nicolaus* Zrinius Illyrici banus Hungaricis praeeſſent copiis, mutuisque conſiliis duces ipſi rem agerent. Fauebat imprimis *Zrinio* fortuna, vt, quoties cum Turcis confligeret, triumpharet, quo in minoribus praeliis ſucceſſu, atque inſuper militum ad ardua quaeuis ductu ſuo aggredienda, perficiendaque virtute, et conſtantia animatus, vrgere non deſinebat *Montecuculum*, vt captata temporis, locique opportunitate, decretorium cum vezirio certamen iniret, neque de victoria vllatenus dubitaret, quod Turcae quidem numero, Chriſtiani autem arte militari, virtuteque praeualerent. Verum *Montecuculus*, clariſſimus et ipſe aeui ſui bellidux, ſed cautus admodum, atque cunctator, induci numquam potuit, vt caeſaris, et Hungariae ſalutem vnius praelii aleae committeret, in tanta praeſertim copiarum Chriſtianarum paucitate, quae ſi ſuccumberent, nullum iam Tur-

carum progreſſionibus frenum obiici poſſet: atque hinc duos inter praeclaros duces, ſed indole, voluntateque differentes, grauis exorta fuit ſimultas, quae in cauſa fuit, vt toto eo anno nil praeclare contra Turcas actum fuerit. *Montecuculus* enim Chriſtianarum copiarum paucitati diffiſus, firmiſſime conſtituerat, omnem decretorii certaminis occaſionem deuitare: vt adeo quoties vezirius caſtra promouit, ille pedem referret: vnde factum, vt Chriſtianis ſenſim retrocedentibus, vezirius nullam ſibi pugnae copiam offerri aegre ferens, ne tota eius anni expeditione nihil egiſſe videretur, Érſek-Viuarinum exeunte iam aeſtate oppugnare ſit aggreſſus; diu *Adamus* Forgáts loci gubernator hoſtium conatus luſit, at poſtquam proſtratis continua machinarum bellicarum verberatione moenibus, oppugnationem non poſſe diutius tolerari vidit, vt ſe ſuosque principi, patriaeque ſeruaret, habito prius militari ducum conſilio, deditionem fecit: praeter vſitatum Turcarum morem deditionis conditiones per vezirium fideliter obſeruatae, impletaeque ſunt: qui inſuper examinatis diligenter moenium, murorumque ruinis, honorificum *Forgátsio*, ceterisque ducibus id petentibus teſtimonium praebuit, locum illum nulla amplius vi, aut arte potuiſſe defendi: atque hoc vezirii teſtimonium tanti fuit apud conſilii bellici tribunal, vt eiusdem ſententia ab omni proditionis ſuſpicione et *Forgátsius*, et ceteri abſoluerentur. Opportuniſſimi eius praeſidii iacturam cumulauere plures ad-

huc minoris cenſus arces, per Turcas occupatae, tum vero fatalis eorumdem in ſuperiorem Hungariam, Morauiam item ac Sileſiam procurſio, per quam XL. millia Chriſtianorum in captiuitatem ſunt abducta.

§. VIII.

Bellum laeto ſucceſſu continuatum inexſpectata pace terminatur.

Anno inſequente 1664. aucto Chriſtianorum exercitu, bellum laetiore ſucceſſu adminiſtratum fuit: nam praeter pecuniaria ab *Alexandro* VII. P. Italiae principibus, et a rege Hiſpaniae ſubſidia tempeſtiue Viennam ſubmiſſa, V. mille e Gallia, florentiſſimae item copiae a R. imperii ordinibus ad Chriſtianorum finium defenſionem deſtinatae, appulerant, noua denique tironum ſupplementa in ditionibus Germanicis fuerant collecta: quibus Hungari equites, peditesque maiore, quam antea numero, per palatinum exciti acceſſere: e quibus omnibus tantus hiberno tempore conflatus fuit exercitus, vt non ſuſtinendo ſolum Turcarum impetui, verum etiam vezirio ipſi debellando par videretur. Caeſar praeterea pro ea, quam in *Nicolai* Zrinii militari prudentia, fortitudine, ac perpetua comite fortuna collocatam habebat, fiducia, clariſſimo viro poteſtatem fecerat, voluntarias legiones ſibi autorandi, iisdemque pro 1664

arbitrio ſuo rem agendi. Atque ab hoc expeditioni maxima nominis Chriſtiani gloria, et commodo initium datum fuit: *Zrinii* auſpiciis multae arces, et forralitia cum in Hungaria, tum vero in Croatia Turcis ſunt erepta, celeberrimus item ille pons ad Eſſekinum magno ſumtu erectus, traducendisque in Hungariam quauis anni tempeſtate hoſtilibus copiis, atque apparatui bellico peridoneus, paucarum horarum ſpatio in cineres eſt redactus; longus forem, ſi heroica *Nicolai* Zrinii facinora bello hoc edita vel ſtrictim recenſerem: ad quae vberius cognoſcenda operae erit pretium vel domeſticos ſcriptores inſpicere (*a*). Per alios etiam caeſarearum copiarum ductores praeclare non vna vice triumphatum fuit. Verum hoc etiam anno *Montecuculum* inter, ac *Zrinium* diſſidia recruduerunt. Excitarat hic paucis abhinc annis in Murae fluminis ripa munimentum, *Neo-Zrinium* appellatum, cohibendis Turcarum in Styriam praeſertim procurſionibus perquam neceſſarium: in quo oppugnando cum vezirius Germanico non minus, quam Hungarico exercitu inſpectante operam ſat diu luſiſſet: *Zrinius*, et qui eum ſequebantur militares duces, viſa loci ad pugnam proſpere ineundam opportunitate, orabant *Montecuculum*, vt decretorio certamine vezirium aggrederetur, profligatumque a tentando vlterius in Hungariam

(*a*) Vide, ſi placet, Franciſci Kazi hiſtoriam Hung. et Nicolai Schmitt hiſtoriam Bizantinam.

ingreſſu auerteret. *Montecuculus*, quemadmodum communis omnium eius aetatis opinio ferebat, tacita aemulatione ductus, pulcherrimamque eo praelio inclareſcendi occaſionem *Zrinio* ſubtracturus, non modo congredi abnuit, verum etiam, quo ſe ab importunis eius poſtulatis ocyus expediret, praeſidiariis omnibus in caſtra redire iuſſis, Neo-Zrinium ante oculos ſui conditoris ſuppoſitis ignibus incendi curauit, atque mox totum exercitum in Hungariae interiora reduxit. Vix dictu eſt, quam acerbe id tulerit loci conditor *Zrinius*. Certe propalam in pleno ducum conſeſſu ignauiam *Montecuculo* paulo acrioribus verbis exprobraſſe non contentus, eo vindictae ſe abripi ſiuit, vt quamuis promptuaria bellica optime prouiſa haberet, fame laborare incipientibus *Montecuculi* copiis annonam aliquo tempore denegarit; vnde is accuſandi occaſionem nactus, adeo atris coloribus *Nicolaum* Zrinium apud aulam caeſaream depinxerat, vt hic *Leopoldi* caeſaris antea ſibi amiciſſimi gratiae iacturam, quam ex eo die paſſus erat, nulla amplius arte, vel facinore potuerit reparare: contracta hinc animi aegritudine, domum ſubinde reuerſus *Zrinius*, non diu ſuperſtes, indigna heroibus morte, venandum inter ab apro caeſus, anno inſequente occubuit. Vter e binis his ducibus militaris quidem ſcientiae peritiſſimis, ſed indole, pugnandique ratione differentibus, alteri aetate illa praeferendus fuerit, arduum eſt definire: *Zrinius*, vt erat praeferui-

do ingenio, otii, moraeque omnis impatiens, Turcas fere ſemper ex improuiſo, maximo etiam cum periculo aggredi ſolebat, victisque ſemel nullum reſpirandi indulgebat ſpatium: modica ad haec cum militum delectorum manu validiſſimas etiam Turcarum copias profligare, plurimaque eorum fortalitia ſtratagemate potius, quam vi aperta expugnare in more habebat, quodque belliducibus cumprimis optandum eſt, ea ſemper, et vbique vſus erat fortuna, vt, quidquid aggreſſus fuit, proſpere perficeret: neque vllo vnquam e praelio niſi victor excederet. *Montecuculus* autem etſi tum Turcarum pugnandi moris nondum ſatis gnarus, cautior, quam fortior videbatur, multis nihilominus poſtea victoriis nomen ſuum immortalitati conſecrauit; quin etiam eadem adhuc aeſtate, ad S. *Gothardum* calendis Auguſti cum vezirio congreſſus, inſignem reportauit triumphum, XVI. ianitsarorum potiſſimum millibus in praelii loco caeſis, centum quadraginta vexilla, caſtra, et impedimenta omnia victoribus ceſſere. *Montecuculus* actis Deo victoriarum largitori gratiis, ne fortunam fato aliquo corrumperet, caſtris opportuno loco poſitis, ab inſectandis porro hoſtibus, victoriaque proſequenda abſtinuit. At vezirius militiae Turcicae flore ea clade amiſſo conſternatus, grauioraque mala adhuc, ſi Chriſtiani bello inſiſterent, pertimeſcens, vt ſe a fuga collegit, de offerenda caeſari pace cum purpuratis deliberationem habuit, paucisque poſt diebus, *Mon-*

tecuculo duci mentem ſuam aperuit. Caeſar rem edoctus, poſt arcanam dierum aliquot cum aulae adminiſtris conſultationem plenam pacis quantocyus cum victis conficiendae poteſtatem fecit *Montecuculo*, quae etiam die XVII. Septembris e. a. ſignata fuit his pactis: Induciae in annos viginti ſancte et a Romanorum imperatore, et a porta Ottomannica obſeruarentur: a mutuis iniuriis, incurſionibusque abſtineretur: vtriusque imperii limites eſſent, *vti poſſidetis*: Magno-Varadinum, et Érſek-Vivarinum magni id temporis momenti arces eo bello occupatas Turcae bona fide retinerent: caeſaris hoſtibus nec conſilio, nec aere, aut milite aſſiſterent: *Apafium* pro legitimo principe caeſar haberet, eidemque quatuor Hungariae comitatus, iam inde a *Ioannis* Sigismundi principis temporibus *partium regni Hungariae* nomine ad Tranſſiluaniam ſpectantes, absque vlla limitum diminutione cederet. Et Turcae, et caeſar militem omnem e Tranſſiluania educeret: a morte *Apafii* liberum ſit prouincialibus, principem pro arbitrio legere: ex aduerſo permiſſum caeſari, vt Rákotziani iuris arces, in Hungaria ſitas, quas *Apafius* non alio iure, quam quod *Rákotzio* in principatu ſucceſſerat, Turcarum fauore ad ſe attrahere nitebatur, deinceps etiam Germanici militis praeſidio inſeſſas retineret, dynaſtiarum prouentibus Rákotzianae familiae relictis. Ex his praecipuae fuere: Nagybánya, Szatmarinum, Etsedum, Káló, et Tokainum; id

quod ad refrenandam illis in partibus ſeditionem opportune ſancitum fuiſſe, euentus poſtea docuit.

§. IX.

Varia hominum de accelerata ea pace opinio.

Poſt illuſtrem adeo victoriam, cum nemo eſſet principum Chriſtianorum, qui non bellum magno ſtudio continuandum putaret, eo maior omnes ſubiit admiratio, cum pacem Chriſtiano nomini nec glorioſam, nec, vt apparebat, vtilem, adeo propere concluſam fuiſſe fama vulgauit. Hungari cumprimis non leuiter alioquin iam tum ab aula Viennenſi alienati, pacem illam deteſtati, propalamque verbis, et ſcriptis inſectati ſunt: cum propterea, quod contra, quam publicis re-
1608 gni conſtitutionibus, iam inde ab A. 1608. cuiusuis coronationis occaſione renouari ſolitis, toties cautum erat, ignaris, inconſultisque primoribus facta ſit, tum vero, quod victis, ac pacem vltro petentibus, celeberrima tum fortalitia Magno-Varadinum, et Érſek-Viuarinum ſint conceſſa; Viuarinum cumprimis arte omni adhibita recuperari, retinerique oportuiſſe contendebant, quod ea claui in Turcarum manibus relicta, Nitrienſis, Poſonienſis, et Trentſinienſis comitatus, ac ipſa adeo Morauia eorumdem populationibus per induciarum tempus peruia ſit fu-

tura. Caesar, ad quem querimoniae delatae sunt, potioribus regni Viennam euocatis facti rationem per *Lobkouitzium*, praecipuum negotiorum aulae administrum, reddi iussit: oblatam eo rerum articulo a vezirio pacem nulla interposita mora arripi debuisse, neque eousque prudenter differri potuisse, vsquedum bello adhuc durante generalia regni comitia conuocarentur, in quibus de admittenda, aut reiicienda pace deliberaretur: intra quod tempus, si fauentior Turcis fortuna affulgere coepisset, multo duriores conditiones fuissent acceptandae. Pacem nec indecoram esse, nec noxiam: duorum locorum iacturam non posse comparari cum tot arcibus Rákotzianis Transsiluano subtractis: illud etiam magni faciendum, quod Transsiluania a Turcica, quae illi continuato bello impendebat, seruitute subtracta priori suae libertati sit asserta: perpenderent modo Hungari, quantum Turcae, seu aeris abundantia, seu copiarum numerus spectentur, caesaris id temporis viribus praestent. Exterorum principum auxilia et parca, et tarda esse: multiplicibus superiorum annorum bellis exhausto publico Austriacarum prouinciarum aerario, minime tantum nerui suppetere, vt nouae legiones, aut nouorum saltem tironum, eo quo necessarium est numero, supplementa conscribantur, machinae, aliaue ad bellicum apparatum spectantia affatim comparentur: quod ad Hungariae tot prouinciis, et ditionibus mutilatae vires attinet, nec in his certam victoriae spem posse collocari: e te-

nui regis Hungariae aerario nonniſi exiguum confiniarii militis numerum, ac aegre admodum vel propugnandis limitaneis fortalitiis ſuffecturum ali poſſe: praeter hunc autem, nullas praeterea ſtabiles, armorumque vſu exercitatas copias ordinum regni ſumtibus teneri: robur itaque omne in generali gentis inſurrectione ſitum eſſe: verum ſi bellum per plures annos, aut, vt eſt incerta eius alea, non ſatis pro voto continuetur, facile euenturum, vt Hungaris demum et neruus, et animus ad proſequendam inſurrectionem deficiat. Deſinerent igitur porro conqueri, quin potius optatae pacis tempore, ad ea communibus conſiliis pro ſalute patriae decernenda, agendaque incumberent, per quae Hungaria, ſi bellum aliquando erumpat, ad nominis Chriſtiani hoſtibus reſiſtendum validior, quam hactenus, euadat. Quamquam non deerant *Leopoldo* aliae quoque, vulgo tum incognitae, pacem accelerandi cauſae: *Montecuculus* multis de cauſis gentem Hungaricam oderat. Nam cum ſuperioribus annis, ardente ſeditionibus Tranſſiluania, in limitibus regni excubaret, multas perpeſſus erat calamitates, vt cum caeſareo militi per earumdem partium magiſtratus non raro ſtipendia, annona, ac ingruente iam frigore autumnali etiam hyberna hoſpitia denegata ſunt, vt adeo in continendo ſub ſignis milite multum ei moleſtiae, et curarum exhauriendum fuerit. Priſtina odia recruduerunt per exercitas, vt iam diximus, cum *Nicolao* Zrinio, ceterisque Hungaris ducibus ſi-

multates. Plurium praeterea annorum in Hungaria commoratione multas gentis aduerſus aulae miniſtros querimonias, ac etiam minas intellexerat. Vnde factum, vt vniuerſam propemodum gentem de minus ſincera in *Leopoldum* caeſarem voluntate, et clandeſtinis ad excutiendum eius iugum molitionibus accuſare non dubitauerit. Huc accedebat ſuſpicio illa, fortaſſe non vana, Gallicas ſuppetias non tam caeſari opitulandi cauſa, quam ad explorandos, Galliaeque conciliandos Hungarorum animos a *Ludouico* XIV. in Hungariam fuiſſe tranſmiſſas: quo ſtratagemate diligenter, et ſaepius deinceps aulam Gallicam contra *Leopoldum*, *Ioſephum*que caeſarem vſam fuiſſe notius eſt, quam vt a me probari oporteat. Quapropter et *Montecuculus*, et miniſtri autores fuere caeſari, vt oblatam a Turcis pacem citra omnem dubitationem admitteret, quo ſic ſoluto bello, Gallicanae copiae primo quoque tempore domum remitti, ac Hungari quoque, qui maiore, quam vnquam antea numero inſurrexerant, ad deponenda arma poſſent adduci. Accuſationes has non leue apud caeſarem pondus habuiſſe vel inde patet, quod confecta pace, rude donato confiniario milite Hungaro, vniuerſas copias Germanicas per Hungariam diſtribui, iisdem ciuitates, et fortalitia inſideri iuſſerit, ac plerisque praeſidiis exteros praefecerit capitaneos, quo ſic et de arcanis Hungarorum conſiliis eo celerius, certiusque edoceretur, et, ſiquid nouarum rerum moliri auderent, ſeditionem in ipſo ortu praefocaret.

§. X.

Hungarorum querimoniae.

Noua hinc rurſus murmura, nouae in animis Hungarorum ſuſpiciones exortae ſunt. Acerbe propalam querebantur, populares ſuos, vt exteris locum facerent, a praeſidiorum praefectura, et militiae muneribus, tamquam inhabiles, remoueri, confiniarias copias maiori ex parte dimiſſas, omnem denique Hungaris arma tractandi occaſionem adimi: hac arte exſtingui in generoſae gentis animis veterem illam indolem, virtutemque bellicam, in ſolis iam exteris copiis, quas vi conſtitutionum patriarum dudum e regno educi oportebat, ſpem omnem ſalutis collocari a caeſare, ab his vbique diſperſis, quaſi captiuam teneri Hungariam. ac ſingulorum dicta, factaque curioſe obſeruari. Conceptum eapropter dolorem exaſperabat quorumdam militarium praefectorum paulo arrogantior, aſperiorque agendi ratio, qui honoratos etiam viros, interdum ſibi aduerſantes, conuitiis laceſſere, perfidiae in caeſarem, perduellionisque accuſare non dubitabant. Huc accedebat gregarii militis praefectorum ſuorum exemplis, et impunitatis ſpe animata licentia, praeſertim cum ſtata ſtipendia longiori tempore praeſtolari cogebantur. Haec, et his ſimilia, vbi ad caeſarem perlata ſunt, vt aliquid aegris indulgeret, complures ex Hungaris, quorum in ſe fides, et virtus magis conſpicua erat, remotis exteris,

ad aliquot locorum praefecturas partim ſuprema, partim vicaria cum poteſtate admouit: vt tamen turbatis iam domi rebus, multorumque animis in fide nutantibus, exteras copias e regno eliminaret, induci numquam potuit, ſeuera nihilominus ad duces, legionumque tribunos mandata dedit, vt ab inferendis iniuriis ſuos cohiberent: ſed haec numquam religioſe ita, vt caeſar optabat, obſeruata ſunt, quod ſaepiſſime ducibus deeſſent ſtipendia, militi numeranda, quo tempore, ne a ſignis diſcederent, conniuendum nonnihil fuit. Atque hinc in immenſum creuit militis exteri odium, vt iam communis cauſae ſpeciem referret. Communibus his murmuribus cumulum addiderunt proteſtantium querimoniae, apertis, vt alibi meminimus, ſcholis Catholicis, aucto curionum ſacrorum, et religioſorum virorum numero, per publicos, priuatosque congreſſus, per conciones, expeditionesque apoſtolicas, multae illuſtres familiae ad Catholica ſacra rediere (*a*), plura templa, praeſertim in ſa-

(*a*) Magnam ſub ea tempora ad Catholicorum caſtra acceſſionem fieri oportuiſſe patet ex Georgii Szelepcsenyi Strigonienſis archiepiſcopi literis ad *Franciſcum* Iany canonicum Strigonienſem, Romae tum agentem, A. 1675. datis; ſic enim ſcribit: *Quatuor annorum interuallo, in vno ſanctioris meae dioeceſis Strigonienſis tractu, tria ſupra ſexaginta hominum millia varie errantia, ad gregem Chriſti ſemet adiunxere.* Apud cl. Schmitt Strigon. archiepiſcoporum parte II. 159.

crae coronae bonis ſita, caeſaris autoritate; plura dominorum terreſtrium voluntate interea temporis proteſtantibus ſunt erepta, non paucas ſcholarum, aut templorum fundationes proteſtantibus olim factas, fundatorum nepotes, Catholica ſacra amplexi, ſcholis, parochiisque Catholicis addixerant, id quod nominatim a *Sophia* Báthori, *Georgii* II. Rákotzii Tranſſiluaniae principis vidua Catholica factum, poſtquam vnicum filium *Franciſcum* I. ad Catholicam religionem traduxit. Hic cum eſſet gentis Hungaricae ſtatus, complures conuentus variis locis, ac temporibus habiti, multae inſtitutae deliberationes, miſſi etiam interdum ad caeſarem nuncii, aut libelli ſupplices, praeter alia plurima, militem exterum velut incolis grauem e regno educi, priſtinas item praerogatiuas et priuilegia integre ſibi reſtitui flagitantes. At caeſar in propoſito firmus, procraſtinatione aliquamdiu vſus, aperte demum ſalua ſua, regnique ſecuritate negauit, ſe illorum querimoniis ſubſcribere aut velle, aut poſſe.

§. XI.

Caeſar ſeditionem tempeſtiue opprimit.

His fere de cauſis gliſcebat diu ſub cinere ignis, cui nouum idemtidem affundebatur oleum propterea, quod caeſar e militarium praefectorum, et multorum ſibi fauentium

relatione de minus ſincera Hungarorum in ſe voluntate confirmatus, ipſe pariter complura indignantis, alienatique animi ediderit argumenta: parcius iam rariusque Hungaros etiam in negotiis Hungaricis ad conſilium admittebat, ſoliusque fere miniſterii Germanici opera in gubernanda Hungaria vtebatur, inde euenit, vt plurima veteribus gentis moribus, priuilegiisque aduerſantia mandata ederentur, quae Hungari, antiqui moris, inſtitutique vltra modum obſeruantes, exequi detrectabant: tale illud erat, cum caeſar Hungaris praecepit, vt tributa, militum exterorum ſtipendiis deſeruitura, per vniuerſum regnum penderentur, annonaque communibus ſumtibus iisdem a regnicolis praeberetur. Primores regni crebra clam inuicem inibant conſilia, quibus caeſarem a coepta ſecum agendi ratione abſtractum ad moribus, legibusque ſuis conformem gubernandi formam permouerent. Primum omnium valetudinis curandae praetextu in balneis Trentſinienſibus conuenere *Francisco* Veſſelényio palatino autore, Catholici non minus, quam acatholici regni primores, primamque rerum ab ſe agendarum ideam communi conſilio deſcripſerunt, paulo liberius, atque ſecurius deliberationes ſuas A. 1667. proſecuti ſunt 1667
Neoſolii, quo caeſare nil ſiniſtri ominante iudiciorum ex lege celebrandorum cauſa quam maximo numero confluxerant. Huius generis clandeſtini conuentus, crebrumque inter primores literarum commercium perdurauit ad annum vſque 1670. quo demum 1670

coniuratio omnis tempeſtiue detecta fuit. *Veſſelényius* palatinus, cuius praecipua toto eo negotio fuit autoritas, hunc coniurationis ad exitum perducendae modum, rationemque deſcripſerat, vt libellus ſupplex cuncta, quae contra leges, praerogatiuas, et conſuetudines gentis per aulae adminiſtros acta erant, complexus caeſari communi omnium regni ordinum nomine porrigeretur, idemque omni cum ſubmiſſione, ac reuerentia oraretur, vt indicto generali regni conuentu querimonias exaudire, atque illis ex legum patriarum praeſcripto pro aequitate ſua quantocyus ſatisfacere in animum ſuum induceret. Quodſi ſemel, ac iterum interpellatus malis remedium adferre detrectaret, tum enim vero ad arma confugerent. Quem in finem locupletiores quique clam militem conſcribere, armisque inſtruere coeperunt, cumque a caeſareis ducibus eapropter admonerentur, non alia de cauſa id ſe facere reſpondebant, quam vt ſe ſuosque ſubditos a Turcarum populationibus propriis viribus defenderent. Fides aliquamdiu habita fuit excuſationi, verum non multo poſt coniuratio tota patuit, praeſertim poſtquam mortuo *Veſſelényio* arx eius Muranyia in caeſaris poteſtatem venit, in qua coniuratorum literae omnes ad *Veſſelényium* datae, eiusdem reſponſa, ac tota denique coniurationis ratio ſunt detecta. Nec mora, coniuratorum plurimi variis locis intercepti, quaeſtionibus fuere ſubiecti, alii ex his, vt *Franciscus* de Nádasd, *Petrus* de Zrinio, et *Chriſtophorus* de

Frangepanibus ſupplicium ſubiere, alii, qui imminens ſibi diſcrimen declinaturi ſolum verterant, cum citati non comparerent, bonorum publicatione, et infamia notati ſunt. Non pauci tamen amicorum interuentu gratiam ab irato caeſare impetrarunt, atque hos inter fuit *Franciscus* I. Rákótzi, qui vitae, bonorumque gratiam matris ſuae *Sophiae* Báthori apud caeſarem meritis, precibusque debuit, multo tamen aere in coniurationis poenam mulctatus fuit, quod caeſar ad inſtauranda vrbis Caſſouienſis moenia iuſſit conuerti.

§. XII.

Regiminis Hungarici forma innouatur.

Compreſſa, vel ſopita potius ſeditione, XXX. millia militum Germanorum in Hungariam infudit caeſar, per quos non modo ciuitates, et fortalitia omnia, verum etiam priuatorum dynaſtarum arces, et caſtella, quae ſpeciem aliquam munimenti referebant, occupari iuſſit, tributa ad haec toti regno imperauit, eorumdem ſtipendiis deſeruitura. Iuuat praecipuam decreti caeſarei die XXI. Martii anno 1671. Viennae editi partem huc 1671
transferre, ſic autem habet: *Leopoldus* &c. „ Per victorioſa arma noſtra caeſareo regia, „ neſandam compreſſimus rebellionem, cui

„ praecipuae coronae Hungaricae columnae „ implicatae ceteros etiam ſtatus ad idem ſce„ lus concitarunt, vt loca milite noſtro mu„ nita aggredi, et militi ad ſopiendos motus „ miſſo ſe ſe obiicere praeſumerent, atque „ adeo in partem, autoritatemque maieſta„ tis noſtrae inuolarent, vtpote poteſtatem „ armorum, exactionum, ſeu contributionum, „ conuocationem conuenticulorum, ac alia id „ genus temere vſurpando - - militem condu„ cere, aeraria noſtra ſpoliare, prouincias „ excurſionibus inuadere pararent, - - - mi„ liti itidem noſtro, cui cuſtodiam regni „ commiſimus, neceſſaria ad victum media „ denegarunt. - - - eapropter vi abſolutae „ poteſtatis, et dominii noſtri, mandauimus „ contributionum ad militem intertenendum „ repartitionem fieri, experimentum factu„ ri, an qui adeo grauiter in nos deliqueerunt, illi tamen hoc obedientiae ſpecimine, „ debitum penſare cupiant: illi vero, qui „ in fide Deo, et nobis debita perſeuera„ runt, vlterius quoque eiusdem ſint daturi „ documentum. - - - Haec ex plenitudine „ abſolutae regiae poteſtatis mandamus, et „ iubemus - - - ne contra innatam nobis „ clementiam aſperioribus remediis aduerſus „ refractarios vti cogamur „. Seuero huic edicto aliquamdiu interceſſere Hungari, porrectisque variis libellis ſupplicibus irati caeſaris animum flectere ſunt conati: verum cum is nullis precibus, aut rationum momentis a propoſito dimoueri vellet, videntque praeterea ab extero milite ſe ſe vu-

dique obſeſſos teneri, ad extremum ſummi imperantis voluntati paruerunt. Tricena militum exterorum millia per omnes regni partes diſperſa ad continendos in officio ſubditos minime ſuffectura videbantur aulae caeſareae miniſtris, niſi ipſa regiminis Hungarici forma penitus immutaretur. Principio id agebatur, vt Hungaria in plures prouincias diuiſa, ordinis Teutonici equitum fidei, ac moderationi crederetur, qui opportunis in ſtationibus copioſo cum milite conſtituti, publicae tranquillitati, ſecuritatique inuigilarent. Verum non deerant ex ipſis aulae Viennenſis adminiſtris, qui id conſilii caeſari diſſuadebant, Hungarorum quoque primores nonnulli, qui intemeratam ad eum diem fidem caeſari ſeruauerant, ac ob id magna apud eum pollebant gratia, inexſpectatam hanc rerum Hungaricarum conuerſionem et voce, et ſcripto deprecati ſunt (*a*). Ceſſit denique plurium precibus *Leopoldus*, certus tamen nouam regiminis formam in regnum introducere, ante omnia palatini dignitatem in perpetuum abolere decreuit, aliorum quoque regni baronatuum, ac ſupremorum magiſtratuum autoritatem, et iurisdictionem arctioribus circumſcripſit limitibus. Militiae ex aduerſo ducibus, atque praefectis, fortalitiorumque capitaneis paulo plus, etiam in

(*a*) Lege, ſi placet, Pauli Szétsényi Colocenſis archiepiſcopi literas ad Leopoldum caeſarem datas apud Kazi Hiſtor. Hung. Tom. III. lib. X. pag. 103.

ciuilem regni administrationem iuris, et potestatis concessit, vt adeo hi cum alias, tum vero, siquis de seditiosis consiliis accusabatur, tribunalibus aut assisterent, aut etiam praesiderent, nec quidquam iis ignaris, aut inconsultis in regno agi posset. Denique *Georgium* Szeleptsényium regni primatem, Strigonienſem archiepiſcopum, quem aliquamdiu conſiliis ſuis contrarium ſenſerat, locumtenentis regii dignitate, quam ab anno 1668. cum laude geſſerat, iuſſit decedere, totique regno ſuprema cum poteſtate die XXII. Martii anno 1673. gubernatorem praefecit *Ioannem Caſparem Ambringen* S. R. I. principem, ord. Teutonici magiſtrum (*a*). Hunc Poſonii ſedem figere. Hungarosque deinceps moderari iuſſit, addito illi copioſo ſenatu ex Hungaris, Germanisque conflato, quorum conſiliis in rerum Hungaricarum administratione vteretur. Geſſit ille gubernatoris magiſtratum triennio non integro, ob aſperam cum quibusuis agendi rationem, toti genti admodum inuiſus: id enim in quotidianis de republica conſultationibus familiare habebat, vt ſiqui, etiam conſtante in caeſarem fide conſpicui, illius opinioni non ſatis quandoque rerum, temporumue rationibus accommodatae aduerſarentur, continuo eos propalam in ſenatu, caeſari perduelles pronunciare non erubuerit. Vnde id mali ſecutum fuit, vt plerique ſenatores regii, ne

1658 1673

(*a*) Ibidem pag. 142.

tam acerba cenſura per gubernatorem ferirí poſſent, pertinaciter ſilerent, ac, quidquid illi collibuiſſet, perferri ſinerent. Quo tempore per gubernatorem, rerum Hungaricarum non ſatis peritum, quaedam acta, imperataque ſunt, quae caeſar ipſe tamquam reipublicae non ſatis accommodata improbare, atque etiam retractare debuit. Quapropter cum vehementer abs ſe alienatos ſenatus regii aſſeſſorum animos in vultu eorumdem quotidie legeret, atque diutius ferre non poſſet, veniam e gubernatoris magiſtratu, et Hungaria ipſa diſcedendi a caeſare petiit, ac etiam anno 1675. impetrauit, id quod *Leo-* 1675
poldus eo libentius admiſit, quod gubernatoris officium vſque adeo toti genti inuiſum euaſiſſe intellexerat, vt noua iterum ſeditio praeſertim in vicinis Tranſſiluaniae, Poloniaeque comitatibus in apertum eruperit, legationesque in Poloniam, ac praeſertim in Galliam ad *Ludouicum* XIV. miſſae fuerint, quibus ſuppetias ſibi ad excutiendum *Leopoldi* iugum tempeſtiue ſubmitti coniurati flagitabant. Ac reapſe *Ludouicus* XIV. cupide eam auguſtae domui Auſtriacae nocendi opportunitatem arripuit, ac non modo pecuniae, militum, quoue maxime opus erat coniuratis, militiae peritorum ducum auxilia addixit, verum etiam pollicitus fuit, ſe *Ioannem* Sobieſzki Poloniae regem eorumdem partibus conciliaturum. Haec cum agitari caeſar intellexiſſet, ne ſe difficili bello domi, foriſque implicaret, aliquid de ſummo iure remittendum putauit. Quapro-

pter nouum Hungaris indulgentis animi ſui argumentum daturus, abolito gubernatoris magiſtratu, *Georgium* Szeleptsényium locumtenentis dignitati poſtliminio reſtituit. Haec clariſſimi viri in priſtinam dignitatem reſtitutio bonos omnes laetitia affecit, ſpeque meliorum temporum compleuit propterea, quod paulo prius praecipuus aulae adminiſter *Lobkouitzius* procul ab aula relegatus fuerit, cuius vnius conſiliis quia caeſar ad eum diem vſus erat, Hungari eum, vt capitalem gentis ſuae hoſtem, ac calamitatum omnium autorem oderant. Caeſar quoque cum multa ſibi a miniſtro ſuo ſuggeſta peſſimos exitus habuiſſe, experimento didiciſſet, ac praeterea propemodum omnia, quae in ſecretiori conſilio agitabantur, incertum cuius perfidia, *Grammonuillio* Gallico Viennae oratori per plures iam annos detegi conſueuiſſe comperiſſet, paucos admodum, eosdemque maturo iudicio delectos viros in arcanorum ſuorum conſcientiam adſciuit, immo etiam grauioris momenti negotia per ſe ipſum examinare, expedireque coepit.

§. XIII.

Varia ad ſeditionem comprimendam adhibita remedia.

Conſilio reapſe opus erat, vt ſeditio, quae in ſuperiore Hungaria idemtidem erumpebat, comprimeretur. Certe caeſarearum copiarum duces, praeſertim *Koppius*, in cogendis ad ob-

sequium coniuratis plurium annorum spatio oleum, et operam perdebant: seuere in omnes, ad quos coniurationis suspicio pertinebat, animaduertebatur, quotquot capti, militarique iudicio de seditione conuicti erant, vario supplicii genere vitam finiere, alii artuatim dissecti, in crucem acti alii, nonnulli palis infixi, aut rota fracti miserando ceteris spectaculo fuere. Verum ea *Koppii* seueritas adeo nihil profuit, vt exulceratis ipsa suppliciorum acerbitate animis et numerus, et ferocia coniuratorum in dies augeretur, qui si quem e caesareis militibus, aut praefectis forte interceperant, consimilibus plane suppliciis eosdem afficiebant. Ea mutuo in se saeuiendi licentia comperta caesar vehementer exhorruit, praesertim cum complures e Germanis illustri genere natos crudelem in modum necatos accepit. Seueriſſimis igitur mandatis ad *Koppium*, ceterosque militares duces datis, continuatam ad eum diem suppliciorum acerbitatem damnauit, atque prohibuit. Sustulit etiam militare iudicium, nouumque tribunal partim Cassouiae, partim Eperiesini constituit, ex ciuilis ordinis viris, ac potissimum Hungaris conflatum, quorum sententiis coniurati aut absoluerentur, aut damnarentur. Sed cum neque hac caesaris cautione *Koppius* ab instituta in coniuratos atrocitate quidquam remitteret, ex Hungaria subinde reuocatus fuit. Illud quoque non satis caueri potuit, ne gregarius miles, dum exhausto aerario bellico per plures etiam menses stipendio carebat,

incolas rapinis affligeret, vnde odia enata, mutuasque militum, et incolarum caedes facile quisque intelliget. Tantam sanguinis profusionem, et regni totius conuulsionem miseratus caesar, de imponendo calamitatibus fine, pristinaque tranquillitate in Hungariam reuocanda cogitationem suscepit.
1676 Hunc in finem Viennam A. 1676. euocatos Hungaro um primores, de modo patriam ad quietem reuocandi, suam singulos sententiam candide iussit expromere. Consilio huic interesse voluit *Ladislaum Tsáki* Transsiluaniae principis apud se legatum, cuius prudentiam, aequanimitatem, et sincerum erga augustam domum studium multis perspexerat argumentis. Et *Ladislai Tsáki*, et ceterorum, qui praesentes aderant, vnanimis sententia fuit, vt sublata seueritate, animum ad clementiam flecteret caesar, cunctisque coniuratis ad obedientiam redire volentibus communem, plenamque erratorum veniam offerret: Hungaram nationem eius esse indolis, vt principibus suis, a quibus sincere se diligi, aestimarique sensit, obsequentissima semper fuerit, eorumque causa difficillima quaeque generose agere, aut perpeti in lucris posuerit. Quod vero durioribus remediis exasperetur potius, quam in officio contineatur, vel ex iis, quae actu in superiori Hungaria agerentur, caesarem abunde posse intelligere. Porro cum inuidia, qua iam laborabat caesar, et diffidentia in immensum creuerit, in id incumberet, vt euulsis omnibus suspicionum radicibus, de sin-

cera ſua ad regni felicitatem procurandam voluntate, vniuerſos regni ordines facto ipſo conuinceret: hoc porro facile obtentum iri, ſi palatino reſtituto veterem regiminis formam vna reſtitueret. Ac iſtud quidem vt fiat, vel ideo conueniens eſſe, quod *Ferdinandus* I. rex, ac per eum auguſta domus Auſtriaca obtentam a morte *Ludouici* II. Hungariae coronam non alteri, quam eius aetatis comiti palatino *Stephano* de Báthor in acceptis referre debeat. Tributa ad haec, quae praelatorum, baronum, nobiliumque poſſeſſionibus autoritate ſua impoſuerat, antiquaret: militaribus praefecturis, aut camerae muniis Hungaros etiam ad id idoneos admoueret: ſineret ex Hungaris iterum, vt olim, ſtipendiarias conſcribi copias, tuendis praeſidiis, et finibus deſeruituras: quorumuis criminum, ac etiam perduellionis reos ordinariis regni iudicibus e legum praeſcripto diiudicandos relinqueret, ac vt alia praetereamus, exterum militem, cuius rapiendi licentia multorum annorum conſuetudine roborata coerceri amplius non poſſit, ex Hungaria educeret. Ad pleraque inclinabat caeſar, verum copias Germanicas porro etiam in Hungaria conſeruari oportere pronunciauit propterea, quod repullulante idemtidem ſeditione ad ſuam, regnique ſecuritatem eius praeſentia quam maxime tum eſſet neceſſaria, ceterum ſi Hungari ſincera voluntate ad quietem redierint, neque vllum, ſiue ſeditionis commouendae, ſeu belli Turcici apparuerit periculum, ſe milites exteros,

ſatis alioquin aerario ſuo graues, quam libentiſſime e regno euocaturum. Denique ſpeciatim fidem dedit caeſar, ſe in comitiis quam proxime habendis, palatini dignitatem poſtliminio reſtituturum. His in conuentu Viennenſi actis, proceres Hungari optima cum ſpe domum ſunt dimiſſi. Verum cum caeſar ea, quae cum Hungaris egerat, ad ſecretiorem miniſterii ſui ſenatum retuliſſet, potior eorum pars duce barone *Hacker* aulae caeſareae cancellario (*a*) interceſſit, grauiſſimisque rationum momentis eum ad conſtantiam in coepta contra Hungaros ſeueritate retinendam hortari non deſtitit. Negabant hi, reſtituta etiam in integrum priore regiminis forma, aut quauis clementia adhibita, Hungaros ſincere ad obedientiam redituros, ac quo magis frena eis laxarentur, eo facilius iugum excuſſuros. Inſiſteret modo diutius coepto tramiti, futurum certo certius, vt impoſito ſibi iugo demum aſſueſcerent. Sic cum alia Hungari primores, miniſtri item alia ſuaderent, ac partis vtriusque rationum momenta grauia eſſent, diu animo fluctuans caeſar negotii deciſionem in dies procraſtinabat, vſquedum *Emericus Tökölius* et Gallicis, et Turcicis foederibus tumidus, ſopitam propemodum in Hungaria ſeditionem paulo vehementius concitauit. Cum itaque caeſar atrociorem ſibi incumbere videret tem-

(*a*) Conſule fragmenta Hiſt. Hung. ad A. 1678. pag. 56

peſtatem, quam vt eam tam cito viribus ſuis poſſet diſſipare, rurſum primorum Hungariae, ac nominatim *Ioannis* Gubaſſotzii Vacienſis epiſcopi, viri et probi, et docti de motibus Hungariae ſedandis opinionem exquiſiuit. Hic datis die XXII. Ianuarii A. 1678. literis reſpondit, ac eadem fere, quae 1678
biennio abhinc in conuentu Viennenſi proceres Hungari ſuggeſſerant, repetiit (*a*). Sed et tum aulae caeſareae cancellarius pronum iam ad clementiam *Leopoldi* animum a ſequendis Hungarorum conſiliis auertit, dum denique caeſar ipſe, vt paulo inferius narraturi ſumus, neceſſitati parendum putauit.

§. XIV.

Tökölianae ſeditionis origo, et progreſſus.

Vt ſeceſſio Tököliana clarius intelligeretur, iuuat eam paulo altius repetere. Fuit *Emericus* comes Tököli patre *Stephano* Tököli de Kézmárk viro admodum locuplete, matre autem *Maria* Gyulafi de *Rátót*, *Samuelis* Gyulafi, et Annae Bethlen de *Iktár* filia in lucem editus. Patre *Stephano* praecipuo Veſſelenyianae coniurationis capite A. 1670. 1670

(*a*) Vide Kazi Hiſt. Hung. Tom. III. lib. XII. pag. 260.

e viuis ſublato, pueritiam egreſſus *Emericus* fuga in Tranſſiluaniam euaſit, vbi caſtro *Vaida-Hunyad* cum ampliſſima dynaſtia, et opimis aliis latifundiis, partim a matre *Gyulaſia*, partim a *Francisco* Rédei teſtamento ſibi legatis potiebatur, cumque interea in Hungariam citatus, caeſari parere detrectaſſet, cuncta eius bona, in Hungaria ſita, fiſco fuere addicta. Adoleſcentem ingenio promptum cum ceteris Hungaris exulibus beneuole admodum habuit princeps *Apafius* et ſponte ſua, et *Ludouici* XIV. regis Galliae commendatione, qui vt domus Auſtriacae vires diſtraheret, turbas Hungariae ſtudioſe alere, augereque non deſinebat. Certe huic potiſſimum *Tökoliana* ſeceſſio ſua debet et initia, et incrementa, nam et ingentem pecuniae vim *Tökölianis* ſubminiſtrabat, et *Ioannem Sobieſzki* Poloniae regem, marchionis *Bethunii* legati ſui opera eo adduxit, vt is non contemnendis militum ſuppetiis factioſos aliquamdiu adiutum iuerit, demum praeter vſitatum antea morem, in Tranſſiluaniam quoque ad *Apafium* principem oratorem miſit, traductoque ad partes ſuas *Michaele Teleki*, praecipuo tum aulae Tranſſiluanicae adminiſtro, id perfecit, vt *Apafius* co[illegible]ra datam olim fidem copias ſuas coniuratis coniunxerit (*a*). Sic cum eſſent res comparatae, bellum

(*a*) Habuit Ludouico XIV. gratiam Tökölius, cum nummos cudi curauit, qui aduerſa parte hanc referebant epigraphen: *Ludouicus XIV rex Galliae*, auerſa vero: *Protector, et patronus regni Hungariae.*

bellum per plures annos iam *Michaele* Telekio, iam *Stephano* Veſſelényio ductoribus in Hungaria geſtum fuit, dum denique tota illius adminiſtrandi moles A. 1678. *Tökölio* 1678
commiſſa fuit, qui, adductis ſecum e Tranſſiluania vicenis armatorum millibus, feruentem iam tum ſeditione ſuperiorem Hungariam inundauit, creſcenteque in dies coniuratorum numero, montanas Hungariae ciuitates, atque aurarias omnes caeſari eripuit. Quis caedes, populationes, aedium ſacrarum ſpoliationes, ceteraque eo tumultu patrata enumeret? neque enim tantus erat caeſarearum copiarum in Hungaria numerus, vt Tökölianis poſſet reſiſtere, ac in id ſolum caeſareis ducibus incumbendum fuit, vt praecipua regni fortalitia, valido militum praeſidio communita, in poteſtate retinerent. Vnum erat in votis *Tökölio*, vt *Helenae* Zriniae, *Petri* Zrinii filiae, quam *Franciscus* I. Rákotzius in ipſo aetatis flore A. 1676. 1676
ſublatus gemina cum ſobole, cognomine videlicet filio *Francisco* II. et *Iuliana* filia viduam reliquerat, nuptiis potiretur. Captus erat impotens ſui iuuenis et ingenio, et rara adoleſcentis matronae forma, ac praeterea immenſis Rákotzianae domus opibus, atque theſauris inhiabat, quos, tutelae ſpecie occupatos, in ciuilis belli vſum conuerteret. Atque hac de cauſa nuptiis his ſe ſe oppoſuit caeſar, ipſa etiam demortui *Francisci* Rákótzi genitrix *Sophia* Báthori, mulier aeuo ſuo praeſtantiſſima, multumque caeſari aeſtimata, nurum quoad vixit, ab

ineundo eo connubio efficaciter prohibuit, importunumque illum procum machinis bellicis non raro a Munkatsini moenibus remouit. Ceterum caesar, etsi molitiones *Tökölii* principio contempserat, postquam tamen ferociſſimi iuuenis potentiam vltra modum increuiſſe vidit, honeſtiſſimis conditionibus oblatis, eumdem ad quietem, et obſequium reuocare ſtuduit: verum quia *Tökölius* non publica patriae commoda, ſed priuata ſua prae oculis habuit, Gallorumque, atque Turcarum promiſſis fretus, Hungariae principatum ſpe iam deuorauerat, omnia caeſaris, et proborum virorum ſtudia in irritum abiuere.

§. XV.

Quies regno reſtituitur per comitia Sopronienſia.

Caeſar tam multiplices infelicis Hungariae tragoedias pertaeſus, exulantisque tot annorum interuallo tranquillitatis reuocandae cupidus, Hungariae procerum, generalia regni comitia ſuadentium, votis demum ſubſcripſit, eademque ad diem XXVIII. Aprilis anni
1681 1681. Sopronium indixit. Omnes, et ſinguli regni ordines, ne *Tökölio* quidem excepto, eodem euocati ſunt, oblatis etiam, ſi qui comparere aliter vererentur, ſalui conductus literis, data inſuper poteſtate, libere ſuam cuique promendi ſententiam, ido-

neaque ad pacem toti Hungariae poſtliminio reſtituendam remedia communibus conſiliis praeſcribenda. Confluxere ex omnibus prouinciis regni ordines opinione plures, vt pene vnus e primoribus deſideraretur *Tökölius*, necquicquam, vt libere veniret, per literas ſaepius rogatus. Poſt diuturnas, vt pronum eſt arbitrari, octo menſium diſceptationes, quid demum ad domeſticos motus ſopiendos, ſinceramque caput inter, et membra vnionem reuocandam, eo rerum articulo faciendum cenſuerint patres, e comitiorum conſtitutionibus licet intelligere. Nos paucas ſolum ex his, quae ad praeſens inſtitutum faciunt, commemorabimus. Ante omnia *Paulo C. Eſzterházi* de *Galantha* potioribus votis palatinatum adepto, atque ſic praecipua hac dignitate priſtinae iurisdictioni reſtituta, non ſolum gubernatoris, verum etiam locumtenentis regni magiſtratus in perpetuum eſt abolitus (*a*). Dalmatiae quoque, et Croatiae banus *Nicolaus C. Erdödi* poteſtatem omnem muneri ſuo propriam recepit (*b*). Sancitum, vt regni ordinum iura, praerogatiuae, diuorum regum diplomatibus ſtabilitae, ac ipſius etiam *Leopoldi* caeſaris decretis innouatae in integrum reponantur (*c*). Omnibus ad fidem, et obſequium redeuntibus, etiam actu exulantibus,

(*a*) Leopoldi decret. III. art. I. et II.
(*b*) Ibidem art. LXII.
(*c*) Ibidem art. X.

generalis erratorum venia concederetur, his insuper bona in fiscum redacta, examinata nihilominus prius per domesticos iudices eorumdem causa, redderentur, vna cum instrumentis literariis seditionis tempore per fiscum ablatis (*a*). Varia tributorum et nomina, et genera, superioribus annis introducta, ita sublata, vt, si qui hoc titulo aliquid aerario regio deberent, ab omni soluendi onere absoluerentur, deinceps autem quaeuis contributio publica comitiorum autoritate describeretur (*b*). Tam secularia officia, quam ecclesiastica beneficia aliis, quam indigenis, iisdemque bene meritis conferri nefas esset (*c*). Fisco regio interdictum esset, cuiusuis bona propria autoritate occupare, aut in causis quibusuis, praesertim pessessionariis, iudicem agere (*d*). Nationalis militia confiniaria, quam caesar, vt suo loco meminimus, penitus exautorauerat, rursus colligi, limitaneisque praesidiis imponi iussa (*e*). Cum comitiorum patres sapienter perspicerent, glisente adhuc multis locis seditione, ad salutem, securitatemque regni, necessariam esse stipendiarii militis Germani in regno commorationem, ea in re caesari obtemperandum putauere, atque vna annonam

(*a*) Ibidem art. LIX. XI. et XXXVIII.
(*b*) Ibidem art. XII.
(*c*) Ibidem art. XXVII.
(*d*) Ibidem art. XXXVII.
(*e*) Ibidem art. V.

eidem gratis praeſtandam liberaliter addixere, compluribus nihilominus legibus ſanxere, vt tam militarium praefectorum, quam militum licentia ſeuere coerceretur (*a*). Speciatim vt Germanorum militum praeſidia e magnatum, nobiliumque caſtellis deducerentur, fortalitiorum autem capitaneis ſeuere interdiceretur, ne nobiles ad tribunal ſuum citare, eorumque cauſas ſiue reales, ſiue perſonales cognoſcere auderent (*b*). Quo caeſar deinceps negotia Hungarica clarius cognoſcere, de iisdemque ad leges, moresque patriae arbitrium ferre poſſet, perlatum fuit, vt in rebus ad Hungariae gubernationem pertinentibus, Hungarorum ad cancellariam Hungarico-Aulicam accerſendorum conſiliis vteretur, eosdem, dum de pace cum Turcis ſancienda agetur, in conſilium vocaret. Conſtantinopoli denique oratori ſuo caeſareo Hungarum aequali cum autoritate adiungeret (*c*). Vt Hungari, quamuis religione differentes, ſincera nihilominus animorum in commune bonum vnione copularentur, ſicque optata pax, et tranquillitas ſtabiliter in regno perſeueraret, renouatis A. 1608. conſtitutionibus, liberum Augu- 1608
ſtanae, et Helueticae confeſſioni addictis religionis exercitium conceſſum, hac nihilo-

(*a*) Ibidem art. VIII. XVII. XX. XXII. et LXXIV.
(*b*) Ibidem art. IX. XIX. et LVI.
(*c*) Ibidem art. IV.

minus addita clauſula: *Saluo tamen iure dominorum terreſtrium* (*a*). Vnde cum nonnulli domini terreſtres, praeſertim Catholicam religionem recens amplexi, poteſtatem ſibi factam exiſtimaſſent, eccleſias, quarum ipſi patroni erant, Catholicis addicendi, dimiſſisque proteſtantium miniſtris, curiones Catholicos ſubſtituendi, labentibus annis priſtina diſſidia recruduere. Promulgatis per vniuerſum regnum Sopronienſium comitiorum decretis, non leue *Tökölio* vulnus inflictum fuit, quod plurimi fere omnia, quae optare poterant, ex caeſaris clementia conſecuti, deſertis ambitioſi hominis partibus, ad caeſaris obſequium rediere: quin etiam conuerſis repente voluntatibus, magnates, et nobiles conſcriptum e ditionibus ſuis magno numero militem caeſaris copiis coniunxere, *Tökölium*que in Tranſſiluania aſylum quaerere coegerunt, ac reuera breui tempore debellari poterat perfidus, niſi *Apafius* princeps omni conatu eumdem adiuuiſſet: petierat ſcilicet *Apafius*, vt ſibi tres Hungariae comitatus cederentur; quod cum caeſar negauiſſet, vindictae ſtudio abreptus, *Tökölii* partes contra hunc totis viribus deinceps ſuſtentare decreuit.

(*a*) Ibidem art. XXV. et XXVI.

§. XVI.

Belli Turcici origo.

Interea *Tökölius* potioris Hungarorum partis a ſe defectione caeſareas vires Hungaris coniunctas longe iam ſuis validiores euaſiſſe ſentiens, veritusque inſuper, ne *Apafius* belli, quod damno ſibi potius, quam lucro erat, taedio affectus, aut arte aliqua caeſari conciliatus, auxilia, quae ad id tempus liberaliter praebuerat, ſubinde ſubtraheret: crebrioribus nunciis portam Ottomannicam pulſabat, vt ruptis, quas diutius adhuc durare oportebat, vicennalibus induciis, ſibi laboranti tempeſtiue opem ferret, tantumque exercitum in Hungariam quantocyus transmitteret, qui caeſarem vno velut impetu opprimere, totiusque regni dominatu poſſet exuere. Quod vt eo facilius impetraret, foedus cum Turcis pepigit iis conditionibus, quibus ad accelerandum Hungariae excidium nihil accommodatius excogitari poterat: ex quo clarum fit, quemadmodum aliorum ante hoc tempus ciuilium in Hungaria bellorum autores, ita etiam *Emericum* Tököli non patriae, ſed ſua vnius commoda, lucraque ſpectaſſe. Iuuat foederis capita ſtrictim hic recenſere: *Emericus* Tököli principis titulo Hungariam, e caeſaris manibus vindicandam, ſumma cum poteſtate poſſideat: ab illius obitu liberis ſemper Hungarorum ſuffragiis ſucceſſores in regno principes legerentur. Turcae Hungaros in vete-

ribus ſuis iuribus, libertatibus, ac conſuetudinibus conſeruent, ac totis viribus aduerſus domum Auſtriacam, aliosue hoſtes tueantur, neque fas ſit Hungaris inconſulta porta Ottomannica, quocumque demum cum principe de pace paciſci. Fortalitia, ciuitates et arces omnes Hungariae *Tökölii* principis iurisdictioni, et imperio transcribantur. Hungaros inter, atque Turcas liberrimum ſit rerum omnium commercium. Hungarorum legatis is ſemper Bizantii honor exhibeatur, qui ceterarum aularum oratoribus concedi ſolet. Denique Hungari in perpetuae clientelae teſtimonium, portae Ottomannicae annuum tributum dependant, ſed quod quadraginta aureorum millia numquam excedat. Ita nempe iam tum *Tökölius* Hungariam omnem ſpe deuorauerat, vt velut de re ſua paciſci non ſit veritus. His igitur pactis ſtabilito vtrinque foedere, opportuniſſimum tempus exiſtimabat porta Ottomannica, expeditionem in Hungariam adornandi. Quapropter non exſpectato ſolennium inducíarum fine, *Kara Muſtapha* vezirius anno
1683 1683. cum trecentis propemodum armatorum millibus in Hungariam dimiſſus fuit. Caeſar peſſime tum ad bellum adeo graue comparatus, ad primum illius nuncium, comitem *Caprara* Bizantium expediuit, qui Turcas ad cuſtodiendas ſaltem vno adhuc, qui ſupererat, anno inducias, aut etiam easdem prorogandas omni adhibita opera permoueret. Verum *vezirius* legatum ſe praeire, apparatumque, quem ſuiſmet viderat oculis,

Viennam caesari referre iussit. Actum etiam interea fuit cum *Emerico* Tököli, cui caesar oblata clementissime venia, et bona omnia fisco prius addicta, et honores quosuis se collaturum fidem dedit: verum omnia iam tum incassum tentata sunt, non sine maxima totius aulae caesareae consternatione; Germanicae enim copiae, quarum pars potior in fortalitiis excubabat, ne triginta quidem armatorum millia efficiebant, quibus clarissimus eius aeui bellidux *Carolus Lotharingiae dux* praeerat. Sed neque ex Hungaria, atque Croatia in communi illa perturbatione tantus, quanto opus erat, miles tam cito conscribi, colligique poterat. Itaque caesar suis diffidens viribus, publicas ad implorandam Diuinam opem preces instituit, dimissisque ad vniuersam Europam nunciis, Christianorum principum auxilia eo ardentius, fidentiusque implorauit, quod certo compererat, vezirium recta ad oppugnandam Viennam tendere, a cuius vrbis salute totius imperii Germanici salus penderet.

§. XVII.

Turcarum ad Viennam clades, et secunda vbique caesaris fortuna.

Die secunda Iulii eiusdem anni vezirius Viennensi vrbi copias suas circumfudit. Quanta fortitudine, et constantia eamdem *Ernestus Rudigerus C. a. Stahremberg* bime-

ſtri integro, vſque dum Chriſtianorum principum auxilia aduenirent, propugnauerit, non eſt noſtri inſtituti hic loci deſcribere. Adfuit interea in obſeſſae vrbis auxilium *Ioannes III. Sobieſzki* rex Poloniae, cum viginti ſex Polonorum millibus, quem *Innocentius* XI. pontifex domui Auſtriacae addictiſſimus, eo feliciter conſiliis ſuis pertraxerat, vt, miſſo nuncio foederibus Gallicis, arctiſſimam cum *Leopoldo* caeſare inierit amicitiam. Venere etiam ſub idem tempus Saxoniae, et Bauariae electores, multique alii Romani imperii duces, atque principes ſuis cum copiis, quorum omnium acceſſione Chriſtianorum exercitus ad ſeptuaginta armatorum millia excreuerat. Itaque *Carolus Lotharingus* habito cum ceteris principibus militari conſilio, nihil porro exſpectandum ratus, die XII. Septembris hoſtes nihil minus, quam praelium exſpectantes totis viribus aggreſſus fuit; poſt atrox plurium horarum certamen, Turcae multis ſuorum millibus deſideratis, relictis caſtris, et impedimentis omnibus, in effuſam fugam abiere. Initium hoc *Leopoldi* M. victoriarum eo laetius fuit, quo magis inexſpectatum, vt intelligas, Deum eo potiſſimum tempore opitulari, quo humana praeſidia omnia abeſſe videntur. Accepto tam illuſtris victoriae nuncio caeſar Lincio, quo ſe vniuerſa cum familia interea receperat, Viennam rediit, tum vt cladis veſtigia ſuismet intueretur oculis, tum vero, vt principibus, qui ſibi tam prompte ſuppetias tulerant, debitas co-

ram ageret gratias, praeſertim autem *Ioanni* regi Poloniae, qui caeſari per eam occaſionem remotis arbitris familiarius colloqui, prioraque foedera nouis addictis pactis innouare, conſtabilireque cupiebat. Quo tempore non leuis inter aulae miniſtros exorta fuit diſceptatio, de modo, quo *Leopoldus* ſalua ſua Romani imperatoris dignitate, Polonum regem ad ſe venientem deberet accipere. Cum diuerſa ſuadentium rationibus caeſar ambiguus animo haereret, quaeſtionis deciſio ad *Carolum Lotharingum* delata fuit, is tam leui de re, a grauiſſimis viris eo temporis articulo diſceptari aegre ferens, repoſuit: illud quam maxime conuenire, vt caeſar in *Ioannis* regis, velut amici optimi, amplexus rueret, ſicque gratitudinem ſuam eidem teſtaretur. Ceterum victoriae huius fructus fuere laetiſſimi: *Carolus* enim Lotharingus fugientium veſtigia premens paucis poſt diebus vezirium cum octo millium caede ad *Párkán* profligauit, mox Strigonium, multaeque arces vicinae in victorum venere poteſtatem. Anno inſequente Buda, ſed irrito conatu obſeſſa, Villegradum tamen, et Vacium receptum, Turcaeque repetitis cladibus fuere profligati. In ſuperiore quoque Hungaria Caſſouia, Eperieſinum caeſari portas aperuerunt. Nobiles etiam earum partium, *Tökölio* valere iuſſo, ad caeſaris obedientiam redierunt. Porro ad ſeditionem hac ratione exſtinguendam plurimum Turcae ipſi contulere, dum ſe a *Tökölio* ad infauſtum id bellum caeſari inferendum pertractos fuiſ-

se indignati, hominem siniſtrae suae fortunae autorem in vincula coniecerunt, hocque facto in eum errorem induxerunt coniuratos, vt pro certo creditum sit, *Tökölium* aut praelio aliquo occubuisse, aut per Turcas ipsos laqueo esse praefocatum; serius deinde errorem suum dedocti, *Tökölium* libertati restitutum cum copiis ad tentandam iterum fortunam expediuere. Verum sera iam fuere intereuntis potentiae Turcicae moliminia, nemo enim iam tum erat, qui *Tökölio* cum capitis, et fortunarum periculo deinceps adhaerere, in animum vellet inducere.

§. XVIII.

Buda recepta.

Illuxit demum fauſtiſſimus Hungariae, toti-
1686 que reipublicae Chriſtianae annus 1686. quo Buda regni metropolis poſt 146. annorum ſeruitutem, propitio Numine in libertatem eſt aſſerta. Hoc vnum iam erat in votis caeſari, quod a nobiliſſimae vrbis poſſeſſione totius regni ſalus penderet. Itaque vouit, ſe illum diem, quo Buda potiretur, *Diui Stephani* protoregis honoribus in perpetuum conſecraturum. Interea *Carolus* Lotharingus ſeptem Brandeburgorum, et quatuordecim Hungarorum millibus refecto exercitu, die XVIII. Iunii e. a. vrbem, arcemque circumuallauit. *Maximilianus* Bauariae elector, cui

optio data, ex Diui *Gerardi* montis latere: *Lotharingus* e radice montis Diui *Rochi* oppugnationem inter ſe partiti ſunt. Difficilis diu erat oppugnatio, quod proſtratis licet continua machinarum bellicarum verberatione moenibus, aſſultum tentare auſi Chriſtiani, non ſine multa caede conſtanter ſint reiecti. Nec parum oppugnantibus moleſtiae, curarumque faceſſiuit vezirius, cum ſexaginta mille armatis in obſeſſae vrbis tutelam appulſus: quem poſtquum memorabili praelio *Lotharingus* profligaſſet, die II. Septembris ſub ſextam veſpertinam generalem aſſultum verſus portam Viennenſem imperauit. Dubio diu Marte dimicatum eſt, ob incredibilem obſeſſorum fortitudinem, atque conſtantiam, quibus omnibus fixum, ratumque fuit prius occumbere, quam locum Chriſtianis dedere. Verum vbi Chriſtiani in muros feliciter eluctati, maiore numero vrbem ſubiere, Turcae vna cum loci gubernatore in orbem collecti, dimicandum inter omnes ad vnum ſunt necati. Caſu gubernatoris conſternati pauci, qui adhuc ſupererant, cum imbelli aetate, et ſexu in regiam arcem ſe recepere, qui ſubinde oblata ſibi a *Lotharingo* vitae gratia, victorum clementiae ſe ſe permiſere. Quis tum *Caroli Lotharingi*, *Maximiliani* Bauari, et ceterorum ducum, atque militum laetitiam explicet? maxima tamen ſolatii pars ad Hungaros pertinuit, quorum non leue fuit ad victoriam momentum, qui cum alias, vbi ardua, difficilisque fuit aggreſſio, fortitudinem ſuam pro-

barunt, tum vero vltimi aſſultus tempore, e ſlumentana vrbe non ſine multa caede, et ſanguine in arcem eluctati, commilitonibus ſuis in tempore ſuppetias tulerunt, atque tum demum ſanguinis a ſe profuſi pretium cumulate ſe recepiſſe cogitabant. Budae feliciter expugnatae nuncio accepto, caeſar Deo armis ſuis tam propitio publicas Viennae egit gratias, quod ſibi demum eam gloriam reſeruaſſet, quam maiores ſui Auſtriaci principes cum tantorum exercituum interitu, ſaepius necquicquam requirebant. Voti autem ſemet religione exſoluit, dum in receptae Budae memoriam die ſecunda Septembris, S. *Stephanum* protoregem ſolitis honoribus per vniuerſam eccleſiam coli ab *Innocentio* XI. impetrauit.

§. XIX.

Tranſſiluania a Turcarum ſocietate prouide abſtracta.

Principe regni vrbe recuperata, Turcis internecina clade in fatali olim Hungaris Mo-
1687 hatsienſi campo A. 1687. proſtratis, atque inſuper Albaeregiae, Quinqueeccleſiarum, Eſzekini, Petrouaradini, ac paſſim aliarum arcium, atque ditionum poſſeſſione deiectis, in id interea temporis hortante *Carolo Lotharingo* ſibi peculiariter incumbendum putauit caeſar, vt Tranſſiluanos a Turcica ſocie-

tate abſtractos, arctiſſimo foedere ſibi coniungeret, id quod etiam in tanto victoriarum caeſarearum progreſſu, non difficile fuit, eiusdem *Caroli Lotharingi* opera iam A. 1686. coeptum, proſpere perficere, poſt- 1686
quam *Michael* Teleki praecipuus aulae Tranſſiluanicae adminiſter caeſareis partibus conciliatus fuit. Foedus hoc ſequentibus fere coaluit capitibus: *Apafius*, et, quem recens eligi curauerat, *Michael* II. filius bona fide Tranſſiluaniam poſſideant, Turcicis vterque ex animo renunciet foederibus, ſacraeque coronae Hungaricae clientem ſe ſe profiteatur. His forte exſtinctis, libera ſit ordinibus prouinciae, noui principis electio, haud abſimiliter fidem, clientelamque regi Hungariae profeſſuri: quoties periculum a Turcis imminebit, validas caeſar Tranſſiluano ſuppetias ferat, ea tamen lege, vt auxiliares copiae Germanicae tunc principis ſubſint imperio: bello durante, Claudiopolis, et Déua caeſarei militis praeſidio munita teneantur: rebellibus caeſari, notaeque infidelitatis reis nullum vnquam in Tranſſiluania perfugium concederetur: pax cum Turcis a caeſare confici nequeat, niſi eadem et Tranſſiluani comprehendantur. Nec mora, caſareus exercitus in prouinciam magno numero deductus, conſtanterque deinceps ibidem alitus, vigilantia, fortitudineque ſua prohibuit, ne Turcae, aut *Emericus* Tököli eam prouinciam vnquam poſſent ſubiugare. Illud etiam non multo poſt ad Tranſſiluaniam in fide retinendam acceſſit commodi, quod *Apafio* A. 1690. 1690

e viuis ſublato, eius filius, gubernandae difficillimis illis temporibus prouinciae impar, agente *Michaele* Teleki, conſentientibus regni ordinibus, totam adminiſtrationem in *Leopoldum* caeſarem tranſtulerit, qui etiam Tranſſiluanos ſolenni diplomate, certis pactionibus, in perpetuam fidem, obſequiumque recepit.

§. XX.

Laetus caeſareorum armorum ſucceſſus.

Interea Turcae tota Hungaria, ſi Temeſuarinum demas, exuti, e Croatia, ac Syrmio profligati, expugnato demum die XXVII.
1688 Auguſti A. 1688. Belgrado, e Seruia eiecti, vniuerſam propemodum Boſſniam, Albaniam, et partem Valachiae *Leopoldi* armis cedere ſunt coacti. Has inter continuas clades non vna vice Turcarum imperator pacem flagitauit, cetera inter illud etiam pollicitus, ſe *Tökölium* vinculis conſtrictum eidem transmiſſurum. At caeſar ſecunda vbique fortuna vtens, *Tökölii*que ſiue liberi, ſiue catenis vincti molitiones parui pendens, non aliter pacem confieri poſſe edixit, niſi Turcae regna, et prouincias omnes ad ius ſacrae coronae Hungaricae olim ſpectantes integre reſtituere in animum inducerent: quam tot ditionum, quibus fere Turcicum in Euro-

ropa imperium constituitur, iacturam cum porta Ottomannica minime tum adhuc faciendam putaret, bellum vlterius prosequi placuit.

§. XXI.

Aduersa aliquamdiu caesareis armis fortuna.

Prospero hactenus vbique successu vsus caesar, aduersam deinceps fortunam aliquamdiu experiri coepit. Postquam Turcae incassum saepius de pace se agere sensissent, in desperationem acti, bellum, extremis viribus in Europam traductis, instaurare decreuerunt, nec parum ad concitandam portam Ottomannicam contulit orator *Ludouici* XIV. cuius tum quam maxime intererat, resuscitato bello Turcico, vires caesaris debilitare, vt eo liberius postea in Belgio, et Germania tragoedias ageret. Belli administrandi prouincia delata fuit *Kuperlio* vezirio, viro forti, et rei militaris quam peritissimo. Non leuem successus optimi spem faciebat Turcis coorta inter Albaniae, et Seruiae populos seditio; cuius haec erat occasio: subacta, vt suo loco commemorauimus, vtraque hac prouincia caesarei ministri, ac praesertim aerarii praefecti, praematuro nimium consilio, in id sibi illico incumbendum existimarunt, vt populos eos, Turcico more ad eum diem gubernari assuetos, non mo-

do ciuilibus in rebus, verum etiam in tributorum pendendorum ratione, ad vſitatam in Auſtria regiminis formam traduceret. Quem in finem magna ciuilium praefectorum, et quaeſtorum copia eodem transmiſſa fuit, nouam eam formam introductura. Albani, Seruiique, dempto exiguo, quod Turcis praeſtabant, tributo, propriis legibus, et moribus libere ad eum diem viuere ſoliti, adeo eam innouationem aegre tulere, vt continuo Turcicum iugum Auſtriaco praeoptare coeperint. Collatis itaque clam inter ſe conſiliis nuncios Bizantium expediunt, Turcasque ad ſe ſe in priſtinam libertatem aſſerendos inuitant, vna etiam, quae caeſarearum copiarum vires, quae item limitaneorum munimentorum ſit imbecillitas, ſingillatim explicant: ſiue enim nimia fortunae praefidentia, ſiue caeſareorum negligentia euenerit, nullius fortalitii, ne ipſius quidem Belgradi, moenia ſuis e ruinis vel leuiter ad eum di m reparata, reſtaurataque erant. His omnibus animatus vezirius
1690 A. 1690. promotis caſtris, caeſareis vbique retrocedentibus, Niſſam, Vidinum, et Belgradum nullo negotio expugnauit. Id Hungariae eo rerum articulo ſaluti fuit, quod vezirius inopinato hoc ſucceſſu vltra modum exhilaratus, ne promoto vlterius bello fortunam, partamque gloriam fato aliquo corrumperet, Belgradi ſibi deinceps haerendum putauerit. Sub idem tempus poſt *Michaelis* Apafii ſenioris obitum, *Emericus* Tököli nominatus a porta Ottomannica princeps Tranſ-

ſiluaniae cum XVI. millibus Turcarum in prouinciam irruperat, multumque *Ludouico* marchioni Badenſi, caeſarearum ibidem copiarum duci, curarum faceſſiuerat, vſquedum tota e prouincia feliciter eiiceretur. Sexennio poſtea varia fortuna continuatum fuit bellum, quo etſi illuſtres aliquot victoriae de Turcis ſint relatae, nihil tamen, praeter Magno-Varadinum Hungaricis finibus acceſſit. Diuturni huius belli nullo memorabili cum ſucceſſu geſti culpam plerique coniiciunt in *Capraram* ducem, qui cum pluribus annis caeſareis copiis, in ſuperiore Hungaria contra ſeditioſos rem agentibus, ſumma cum poteſtate praefuiſſet, nunc *Friderico Auguſto* Saxoniae electori, quem caeſar vniuerſo exercitui Chriſtiano imperatorem praefecerat, ſubeſſe, obtemperareque dedecori ſibi ducens, crebris cum eodem ſimultatibus ſpes caeſaris, et ſumtus in bellum profuſos inutiles reddiderit.

§. XXII.

Pacis Carlouitzenſis occaſio, et conditiones.

Ea caeſarei exercitus ceſſatione, et ſecundis aliquot ſucceſſibus vſque adeo creuere Turcis animi, vt in Hungariae poſtliminio recuperandae ſpem venerint, neque enim ignorabant, feruente adhuc bello Gallico, potiorem caeſarearum copiarum partem in

Germania, et Belgio abeſſe. Ac reipſa hac eadem de cauſa nihil magis in votis habebat caeſar, quam vt honeſtis, ſibique vtilibus conditionibus pacem cum Turcis conficeret, quam vt eo ſibi vtiliorem obtineret, per Turcas eam a ſe peti cupiebat. Itaque copias ad mediocrem admodum numerum redactas *Eugenio* principi, Sabaudiae duci, moderandas tradidit, ea diſerte adiecta lege, vt in caſtris opportuno aliquo ad Petri-Varadinum loco ſe, ſuosque contineret, nec quocumque demum praetextu decretorio cum Turcis certamine congrederetur. Haec inter *Muſtapha* Turcarum imperator immenſo
1697 cum exercitu A. 1697. in Seruiam appulit, ſpe Hungariae recuperandae tumidus. Habito hic militari conſilio de belli adminiſtrandi ratione aliquamdiu deliberatum fuit: purpuratis diuerſa ſuadentibus, *Tökölius* ſultano autor fuit, vt exercitum in banatum Temeſienſem traduceret, ſuperatoque ſubinde Maruſio ad Magno Varadinum oppugnandum contenderet. Hoc ſtratagemate id impetratum iri, vt caeſarei, quo laboranti Magno-Varadino ſuccurrerent, deſertis ad Petri-Varadinum caſtris, procul a Danubio in interiora Hungariae remigrare cogerentur, vbi ab immenſo Turcarum exercitu facile circumueniri, vincique poſſent: vel certe, ſi Petri-Varadini porro etiam remanere eligerent, id euenturum, vt Magno-Varadinum, vicinaeque aliae arces, idoneis ſuppetiis deſtitutae, nullo negotio in Turcarum veniant poteſtatem. Haec *Tökölii* ſententia prin-

cipio a purpuratis reiecta fuit, traductisque per Tibiſcum copiis ad Szegedinum oppugnandum ſultanus properauit. Verum cum *Eugenius* hoc Turcarum itinere minime moueretur, vt e caſtris ſuis Petri-Varadinenſibus pedem efferret, celebrato iterum purpuratorum militari conſilio, *Tökölii* conſilium praetulit, decretaque Magno-Varadini oppugnatione, ſtrato ad Szentam oppidum ſuper Tibiſco ponte, ſuos in aduerſam banatus Temeſienſis ripam coepit traducere. *Eugenius*, qui ex baſſa quodam per huſſaros intercepto, omnia hoſtium conſilia didicerat, ac tam locorum in Hungaria ſitum, quam etiam Turcarum pugnandi morem, non ſatis adhuc ad bellicas artes exactum, longo plurium annorum vſu exploratum, perſpectamque habebat, cum delecta tam Germanorum, quam Hungarorum militum manu citatiſſimo itinere Szentam prouolat, ac inclinante iam in occaſum die XI. Septembris e. a. rupto machinarum bellicarum impetu ponte, peditatum Turcicum, qui potiori apparatus bellici parte, et equeſtri milite omni in aduerſam ripam traducto, ſolus remanſerat, magna vi vndique aggreditur, tantamque edit ſtragem, vt ante ſolis occaſum pene omnes ad vnum ſint concis. Vezirius ipſe eo praelio occubuit, pars equitum, quae laborantibus peditibus ſubuentura Tibiſcum natando ſuperare nitebatur, aut fiſtularum ictibus, aut aquis hauſta interiit, ferunt XXX. Ianitsarorum millia eo praelio occubuiſſe. *Muſtapha* ſultanus, qui cladem

ſuorum ex aduerſa ripa aliquamdiu ſpectauerat, ignominiae impatiens, cum tribus equitum millibus fuga ſe Temeſuarinum ſubduxit, indeque accelerato itinere Bizantium re ix, de pace potius deinceps, quam de inſtaurando bello cogitare coepit. Ex eo tempore cum Turcae rurſum ſiniſtra ſe premi fortuna ſentirent, miſſis plus ſimplici vice ad *Eugenium* nunciis, inducias petiere, quarum opportunitate delecti vtriusque partis arbitri de pacis conditionibus transegerunt. Neque difficilem ad id ſe praebuit *Leopoldus*: quamuis enim per Riſuicenſem pa-
1697 cem die XX. Septembris A. 1697. *Carolo* XII. rege Sueciae arbitro concluſam, Europa ad quietem reuocata, ipſe quoque cum Gallis concordiam die XXX. Octobris e. a. inierat, quia tamen occulta *Ludouici* XIV. ad excludendam a ſucceſſione Hiſpanica auguſtam domum Habsburgicam conſilia, atque moliminia ſubodoratus erat, ac filiorum ſuorum alterum *Carolum* archiducem Hiſpanis regem imponere cupiebat, nil aeque in votis habuit, quam vt, pace cum Turcis compoſita, Hungariam quoque quietam conſeruaret. Quapropter vtriusque partis oratores Carlouitzii conuenere, pacemque in XXV. annos his fere conditionibus ſanxere: *Leopoldus*, quidquid bello occupauerat, retineret: Tranſſiluania a quauis Turcarum ſubiectione, et clientela immunis in caeſaris, qua regis Hungariae fide, vna cum principe ſuo *Michaele* Apafi perſiſteret: Turcis Temeſienſis ditio certis limitibus definita relinqueretur.

AD NOTITIAE RER. HVNG. PARTEM III.

Carolus V. Rom. Imp. I Rex Hiſpaniarum A. A. † 1558
Vxor Iſabella Emanuelis Regis Luſit. filia † 1539

Philippus II. Rex Hiſpan. A. A. † 1598
Vxor. IV. Anna Maximiliani II. Imp. filia † 1580

Ex IV. Philippus III. Rex Hiſpan. A. A. † 1621
Vxor Maria Margaretha Caroli A. A. Ducis Styriae filia † 1611

Anna Maria Inf. Hiſpan. A. A. † 1666
Maritus Ludouicus XIII. Rex Galliae

Philippus IV. Rex Hiſpan. A. A. † 1665
Vxor I. Eliſabetha Henrici Galliae Regis filia † 1644
II. Maria Anna Ferdinandi III. Imp. filia † 1695

Ex I. Maria Thereſia Inf. Hiſp. A. A. † 1683
Maritus Ludouicus XIV. Rex Galliae

Carolus II. Rex Hiſp. vltimus lineae Habsburgo-Hiſp. defecit † 1700
Vxor I. Maria Aloyſia Philippi ducis Aurelianenſis filia † 1689
II. Maria Anna Philippi Wilhelmi Neoburg. Elect. Palat. Rheni filia † 1740

Tabulae pacis die XXV. Ianuarii A. 1699. 1699
ſunt ſignatae. Die poſtero Poloni, et Veneti pariter de pace cum Turcis tranſegere.

§. XXIII.

Quorum opera Hungaria e ſeruitute vindicata?

Hunc habuit exitum diuturnum illud per annos XVI. geſtum bellum, quod alieniſſimo plane tempore ad opprimendam Auſtriacae domus potentiam, ſubiugandamque ſibi penitus Hungariam Turcae, poſthabita induciarum fide, ſuſcitauerant, Deus autem praeter omnium exſpectationem ad Hungariam e triſtiſſimae ſeruitutis ſqualore vindicandam, remunerandamque *Leopoldi* caeſaris pietatem conuerterat, vt intelligeremus, Hungaros libertatem, ſalutemque ſuam Deo primum victoriarum largitori, tum vero *Leopoldi* caeſaris non tam fortitudini, quam pietati debere. Meminiſſe nos deinde non ſine gratitudine oportet inſignis munificentiae *Innocentii* XI. P. M. qui durante eo bello, plus vicies centenis aureorum millibus *Leopoldo* transmiſiſſe perhibetur, hortatuque, ac exemplo ſuo *Georgium* Szétsényium Hungariae primatem, ceterosque regni praelatos ad ſuas, eccleſiarumque ſuarum opes in tam pium opus profundendas excitauit. Gratia ſit ſacri Romani imperii principibus, qui

laboranti Hungariae copiis ſuis ſubuenerunt: nominatim autem *Friderico Auguſto* Saxoni, et *Maximiliano* Bauaro electoribus, quod rei Chriſtianae adiuuandae ſtudio incenſi, pluribus annis in difficili hac arena verſari, caputque ſuum diſcrimini obiicere non reformidauerint. Gratia ſit maioribus noſtris, regni magnatibus, atque nobilibus, qui partim aere ſuo conductum militem per tempus belli ad caſtra caeſarea ſubmittebant, partim ipſi praeſentes aderant: quorum alii generoſe occumbendo, vincendo alii reſurgenti patriae manum porrexerunt. Denique qui praecipuas in expeditione partes egit, cuius auſpiciis melior nobis fortuna aſpirare coepit, immortales gratiae ſint, inuicto heroi *Carolo* V. Lotharingiae duci, cui praeter alias illuſtres victorias, ſoluram Viennae obſidionem, Budam regni Hungarici metropolim recuperatam, abſterſam acceptae olim ſub *Ludouico* II. ad Mohatsium cladis memoriam, Tranſſiluaniam perpetuo foedere Hungariae copulatam, Hungariam denique ipſam a diuturna duorum prope ſeculorum ſeruitute vindicatam in acceptis debemus, non ſine fauſtiſſimo omine, futurum aliquando, vt ditionibus his omnibus eius poſteri dominentur.

§. XXIV.

Quando introducta hereditaria ſucceſſio maſculina?

Haec quidem Lotharingicae domus in Hungaricis, Auſtriacisque ſucceſſio paulo ſerius euenit, ſed cui iam tum *Leopoldus* caeſar viam complanauit: poſt Budam, pluresque alias vrbes, et prouincias receptas, cum Turcicum in Hungaria imperium vehementer iam in ruinam impulſum, haud procul ab interitu diſtare videret, maximorum ſuorum in Hungariam meritorum probe conſcius, in ſpem venit conſilii illius, quod maiores ſui necquicquam toties tentarunt, exequendi. In ipſo igitur victoriarum curſu, A. 1687. ad diem XVIII. Octobris vni- 1687
uerſos Hungariae, Dalmatiae, Croatiaeque ordines ad generalia regni comitia Poſonium conuocauit. Aderat *Leopoldus* ipſe ad praeſtitutum tempus, propoſitisque ante omnium oculos cum deceſſorum ſuorum, Auſtriacorum principum, tum vero ſuismet ad liberandam Hungariam curis, laboribus, atque ſumtibus, id petebat, vt Hungari in ſuae viciſſim gratitudinis teſtimonium, antiquato quocumque electionis iure, regni Hungarici coronam poſteris ſuis maſculini ſexus, iisdemque primogenitis, in perpetuum transcriberent, his autem forte deficientibus, alter, qui in Hiſpania tum adhuc regnabat, virilis Habsburgicae ſtirpis ramus ſuccederet. Hungari tot, tantorumque beneficiorum recor-

datione ad aliquod grati animi ſpecimen reddendum concitati, citra omnem dubitationem vnanimi conſenſu clementiſſimi caeſaris poſtulato ſubſcripſerunt: duo tamen orabant ſupplices, primum, vt ſi ſtirps Auſtriaca in virili ſexu aliquando deficeret, priſtina rediret regem quacumque e domo eligendi libertas, alterum, vt qui hereditario deinceps iure ſucceſſuri eſſent primogeniti principes, inaugurationis ſuae tempore conſuetum de conſeruandis, quemadmodum in *Andreae* II decreto expreſſae ſunt, immunitatibus iusiurandum coram ordinibus regni nuncuparet. Primum liberaliter annuit *Leopoldus*: alterum ita temperauit, vt et formula iuramenti, maioris claritatis cauſa, interiectis aliquot verbis interpolaretur, et inſuper diſerte inde excluderetur *Andreae* regis art. XXXI. in quo regnicolis facultas permittebatur, regi ſuo, ſi promiſſa violaret, citra infidelitatis notam contradicendi; articulo enim hoc male intellecto, multorum ambitionem, et auaritiam abuſam, ciuilibusque bellis occaſionem oblatam fuiſſe, longa docuerat experentia (*a*). In hoc quoque caeſaris voluntati aquieuere Hungari, articulusque ille, velut ſummi imperantis dignitati, regnique tranquillitati, atque ſaluti iniurius, vnanimi voto in perpetuum antiquatus fuit (*b*).

(*a*) Recole hic ea, quae Parte I. pag. 621. Nota (*a*) de articuli huius ſenſu explicuimus.

(*b*) Leopoldi decreti IV. art. IV.

§. XXV.

Ioſephi I. regis inauguratio.

Rebus hunc in modum ex ſententia peractis, caeſar ſacroſanctum regni Hungarici diadema, quod ciuilium ſeditionum tempore Viennam ablatum, in ſecretiori ſuo conclaui conſtanter aſſeruabat, Poſonium ſumma cum pompa deportari curauit. Dies IV. Decembris *Ioſephi* I. hereditarii iam Hungariae regis inaugurationi aſſignata fuit. Coronationis caerimonias incredibili cum omnium adſtantium laetitia, et gratulatione obiuit vir aetate, et meritis plenus *Georgius Szétsényi* Strigonienſis archiepiſcopus. Primus igitur fuit *Ioſephus* I. qui hereditario iam iure regnum adiit, primus item funeſtum illum toties Hungaris *Andreae* II. decreti articulum XXXI. conceptis verbis excluſit (*a*). Illud autem ad communis toti genti ſolatii cumulum tum acceſſit, quod caeſar tam ordinum regni, quam filii ſui iam regis precibus victus, condonata poena, non ſolum omnes, qui in ſe arma aliquando ſtringere auſi erant, in gratiam receperit, verum etiam celebre illud tribunal, Eperieſini contra ſeditioſos erectum, penitus abrogauerit. Conſedere illic partim e ciuili, partim e militari ordine lecti iudices, qui *Emerici* Tökölii aſſeclas vndique conquiſitos quaeſtionibus ſubiicerent,

(*a*) Leopoldi decreti IV. art. I.

ſupplicioque mulctarent. Haec porro caeſaris clementia ad eos etiam pertinuit, qui actu magno ſane numero in carcere detinebantur, feralemque cauſae ſuae exitum exſpectabant. (*a*) Praeter haec ad gentis ſalutem, tranquillitatemque ſpectantia, paucae praeterea leges ſunt conditae, quae aliquid praeſeferunt nouitatis. Sic, quod dudum iam, totiesque flagitabant Hungari, gemini patriarum rerum periti ad cancellariam Hungaricam ſunt aſſumti, caeſari in negotiis Hungaricis a conſiliis futuri (*b*). Definitus deinde praelatis, baronibus, magnatibus, atque nobilibus in comitiis ſedendi ordo (*c*). Data denique Hungaris magnatibus facultas, obtenta tamen prius a rege venia, e facultatibus, induſtria ſua partis, maioratus, aut fidei commiſſa inſtituendi (*d*). Quae omnia poſtquam ſumma animorum conſenſione in comitiis conſtituta fuiſſent, ordines regni laetiſſimi domum abierunt, optata iam diu tranquillitate fruituri. Nemo iam quidquam obmouit praeter *Tökölium*: homo ſui impotens, non regis modo, verum patriae hoſtis declaratus, noua inde arrepta criminandi materie, auſus fuit aduerſus comitiorum ſtatuta inſurgere, ac nominatim contra hereditariam auguſtae domus Habsburgicae ſuc-

---

(*a*) Ibidem art. V. et VI.
(*b*) Ibidem art. VIII.
(*c*) Ibidem art. X.
(*d*) Ibidem art. IX.

ceſſionem vnanimi conſenſu introductam, praeterea contra bullae aureae art. XXXI. abolitionem, pariter communi comitiorum conſenſione factam, famoſos libellos per vniuerſum regnum ſpargere, vt reſpirantem a calamitatibus Hungariam nouis iterum motibus implicaret.

§ XXVI.

Caeſaris ſtudia ad perpetuam tranquillitatem Hungariae procurandam.

Interea caeſar de reuocatis demum ad quietem Hungaris mirifice laetus, poſita, quam ob diuturnas ſeditiones conceperat, indignatione, familiarius iam fidentiusque agebat cum Hungaris, complures eo iubente conſcribi coeptae peditum, equitumque legiones, quae praeclaram deinde et in Hiſpania pro *Carolo* archiduce filio contra Gallos, et alibi nauarunt operam. Multi ex Hungaris in bellicae virtutis praemium ad militares honores, praefecturasque euecti, vt iam nihil boni omnes optarent, quam vt reſtituta principem inter, et ſubditos animorum conſenſio, atque fiducia conſtans deinceps, ſtabilisque perſeueraret: quod ab hac tota principum, populorumque ſalus dependeat. Caeſar quoque crebra cum aulae adminiſtris,

nonnullisque Hungariae primoribus inibat consilia, vt modum, rationemque aliquam reperiret, qua obturato feliciter discordiis omnibus fonte, perpetuam Hungariae pacem, ac cum ceteris Austriacis ditionibus concordiam procuraret. Multa in hanc rem et a primoribus regni, et ab aulae ministris excogitata sunt, atque suggesta, quae fere eo tendebant, vt nonnulla gubernationis Hungaricae, sistematisque hactenus vsitati capita innouarentur, in quod si Hungari consentirent, minime iam de quietis publicae stabilitate dubitandum videbatur. Itaque v-
1698 triusque ordinis primores regni A. 1698. Viennam ad conuentum euocauit, de hac, vt diximus, regiminis immutatione deliberaturos. Nos summa solum eorum, quae conuentui proposita sunt, capita recensebimus. Commemorari imprimis iussit caesar conuentui: se pro paterno suo in Hungaros affectu, et futurae eorumdem felicitatis studio, id apud se constituisse, vt gens Hungara citra vllum nationis discrimen, eadem prorsus cum Austriacis, ceterisque hereditariis populis ratione gubernaretur, pari ad summas dignitates vbique consequendas iure, paribus item praerogatiuis frueretur. Quod Hungariae et vtile, et honorificum vt eo certius, celeriusque in effectum deduci posset, necessarium esse, vt Hungari vicissim nonnullis suis praeiudiciis, et consuetudinibus cum summi imperantis maiestate, tum vero etiam cum tranquillitate, securitateque publica non satis cohaerentibus, nuncium

mitterent, ceterarumque prouinciarum moribus, et legibus ſemet, in quantum fieri poſſit, ſenſim conformare ſtuderent. Hungaros ipſos, qui ingenio, doctrinaque ceteris antecellunt, optime perſpicere, ius conſuetudinarium, plurimasque leges patrias, cultiori iam ea aetate correctione, reformationeque opus habere, multa in iis aequitati contraria, multa iam obſoleta, plurima ſecum ipſis pugnantia, ac priuatorum etiam iuribus noxia contineri, atque ideo conſultiſſimum videri, vt nouus codex iuris patrii per idoneos ad id viros compilaretur, quem ſi accurato examini prius ſubiectum, ordinibusque regni probatum, caeſar calculo ſuo roboraret, iuxta eius placita deinceps cauſae omnes et rectius, et celerius deciderentur. Incredibilem nobilium ab omni publicorum tributorum, vectigaliumque onere exemptorum numerum, patriae admodum perniciosum eſſe: ad quod incommodum tollendum praeſtare, vt *poſſeſſionati* regni nobiles pro bonorum, et facultatum ſuarum ratione, inter comites, barones, ac equeſtrem ordinem cooptarentur, paribusque cum reliquarum hereditariarum prouinciarum Germanicarum nobilitate honoribus, et praerogatiuis gauderent, cetera autem nobilium, idoneis ad tuendum nobilitatis ſuae decorum bonis, ac facultatibus deſtitutorum multitudo, ad contribuentium conditionem referretur. Denique cum hactenus contributio fere ſemper per comitia, idque pro certo ſolum tempore, deſcribi, augeri, minuiue ſoleret: quo

ſtabilis, conſtansque deinceps domi eſſet ad belli, pacisque onera ſupportanda, copiarumque neceſſariarum intertentionem neruus, ad ſalutem, ſecuritatemque publicam omnino pertinere, vt obſeruata partium regni omnium, ac viciſſim Hungariae ad ceteras prouincias proportione, perpetua contributio introduceretur: neque hoc titulo plus ab Hungaris exigere caeſarem, quam vt tertiam tributorum, ac vectigalium, ceteris hereditariis prouinciis imponi ſolitorum partem annue dependant. Haec cum caeſaris nomine in conuentu explicata fuiſſent, plerique attoniti haeſere, vltra modum ancipites, quid eo rerum articulo reſponderent. Vt ſe ſe a ſtupore collegerunt, in eam complures abiere ſententiam, vt ſibi aliquot dierum induciae concederentur, quarum opportunitate, ſingula ſibi propoſita puncta paulo diligentius per otium expenderent; tanti enim eſſe momenti ſyſtematis, per ſeptem iam ſecula in Hungaria religioſe obſeruati immutationem, vt in primo hoc, eodemque vnico conſeſſu nihil de ea certo poſſit conſtitui. Quod cum impetratum fuiſſet, *Paulus Szétsényi* Colocenſium archiepiſcopus caeſarem acceſſit, ac tam difficultates, quae tam ſubitae annoſi ſiſtematis euerſioni obmouendae eſſent, quam ſecutura incommoda, et futuram eapropter apud vniuerſam gentem animorum conſternationem, nouamque a caeſare alienationem, neruoſa oratione, et voce, et ſcripto explicuit, diſerteque affirmauit, etſi primores regni Viennae

tum

tum congregati caeſaris votis ſubſcriberent, minime tamen impetratum iri, vt a tot aliis nobilibus per regnum ſparſis ea reformatio acceptetur. Nec denique ſibi ei tempori conſentaneum videri, id Hungariae transformandae conſilium, ne ſeditioſorum magnis caeſaris curis, et laboribus recens ad quietem reuocatorum animi nouam inde criminandi, resque nouas moliendi occaſionem arriperent. Haec, aliaque per archiepiſcopum propoſita cum caeſar ſedato animo expendiſſet, ſecurum eum eſſe iuſſit, non eſſe ſibi propoſitum, vt congregatos in conuentu primores ad voluntati ſuae parendum vi adigeret: ſed cum ex fide digna relatione ſibi conſtaret, non paucos eſſe ex Hungaris, quibus ea reformatio, vt toti regno vtilis, probabatur, ſe eam conuentui proponi curauiſſe, relicta omnibus ſeu aſſentiendi, ſeu diſſentiendi libertate. Hanc caeſaris adeo aequanimem, clementemque declarationem cum *Paulus Szétsényi* ad ſuos retuliſſet, in proximo conſeſſu negotium omne, velut iis temporum, rerumque rationibus minime accommodatum, potioribus ſuffragiis ad fauentiora tempora reiectum fuit; caeſar e nullam eapropter animi indignationem aduerſus Hungaros praeſeferente: alioquin imminente iam bello ſucceſſionis Hiſpanicae nihil magis ſibi curandum videbat caeſar, quam vt gentem Hungaram in quiete conſeruaret.

§. XXVII.

Rákotzianae coniurationis ſemina, et progreſſus.

Etſi haec, quae caeſar ad ſtabilem gentis Hungaricae tranquillitatem, felicitatemque procurandam prouide excogitauerat, minime tum in effectum deduci potuerint, aliqua tamen ex iis, quae ad publicam ſecuritatem quam plurimum facere videbantur, porro etiam caeſar ſibi diligenter curanda, ſtabiliendaque putauit. Sic copiae Germanicae eo, quo licuit, numero non modo per Tranſſiluaniam, verum etiam per Hungariam diſtributae: multae priuatorum dynaſtarum arces, quae Tökölianis olim aſylum praebuerant, ſolo aequatae, aliae opportuno ſitu poſitae ad omnem firmitatem inſtauratae ſunt, omnibus autem fortalitiis Germanicus miles praeſidio impoſitus, cui ne vnquam neceſſaria deeſſent ſtipendia, et ſtabilia tributa, et annonam, ceteraque neceſſaria ex publico per regnicolas praeſtari oportuit. Hae militum exterorum per regnum ſparſorum excubiae, eorumdemque ſtabiliter deinceps, citra omnem generalium regni comitiorum autoritatem, alendorum onus aliquam fortaſſe nonnullis, ab Auſtriaca domo dudum iam alienatis, praebuit querulandi materiam. Multi veteris moris, et conſuetudinis etiam cum patriae
1687 damno tenaces, iam inde ab A. 1687. comitiis, Poſonii celebratis, tacite fremebant, hereditariam maſculini ſexus ſucceſſionem

publico comitiorum ſuffragio introductam: diris deuouebatur illud imprimis, quod *Andreae* II. bullae aureae art. XXXI. abrogatus ibidem ſit; ſublato enim, vt ipſi iactabant, hoc quaſi propugnaculo, nihil iam obſtiturum, quo minus gens Hungara antiquis ſuis praerogatiuis, atque libertatibus ſenſim exueretur: minime nempe hi tum in mentem reuocabant multiplicia bella, calamitatesque toti patriae ſuae communes, quae ex articuli huius ſiniſtra interpretatione toties ad eum diem profluxerant. Illud etiam, quod mirere, crimini dabatur caeſari, quod inſciis, inconſultisque Hungariae ordinibus, Carlouicenſem pacem cum Turcis ſanciuerit, qua tamen nihil Hungariae optabilius euenire poterat. Criminabantur inſuper, videri iam in perpetuum abrogatum eſſe comitiorum generalium vſum, ac omnia iam fere illa, quae veteri more, et inſtituto per regni ordines vna congregatos perferri ſolebant, ſola iam *Leopoldi* caeſaris autoritate decerni, eiusdemque vnius arbitrio, et mandatis gentem Hungaram gubernari. Ex his itaque, aliisque, quas ſuperuacaneum foret hic recenſere, cauſis nonnulli inquieti primam nouandarum rerum occaſionem arripuerunt, tamque occulte rem agebant, vt deluſa praefectorum militarium vigilantia, caeſareque nihil ſiniſtri ominante, e praecipuorum octuaginta virorum capitibus coniuratio in ſuperiore Hungaria coaluerit: cuius magna ex parte autorem fuiſſe *Ludouicum* XIV. euidenter conſtat, non modo e dete-

cto ſubinde coniuratorum cum miniſtris Gallicanis literarum commercio, verum etiam ex liberalibus ſubſidiis, quae famigeratae illi Rákotzianae ſeditioni ſat longo tempore poſtea ex Gallia ſubminiſtrari conſueuerunt. Decreta iam, deſcriptaque coniuratione, idmodi dux deſiderabatur, qui ceteris in regno locupletior, propriis etiam facultatibus res coniuratorum poſſet ſuſtentare. Nemo ad prouinciam hanc cum ſucceſſu obeundam magis idoneus videbatur *Francisco Rákotzio*, omnium, qui tum in regno florebant, magnatum ditiſſimo. Erat hic *Francisci* I. *Rákótzi* praematuro, vt alibi diximus, fato erepti, et *Helenae* Zriniae filius, quem *Sophia* Báthori auia, futuras aliquando tempeſtates mature diſſipatura, ac nepotis ipſius ſecuritati proſpectura, caeſaris curae moriens commendauerat; hunc caeſar vix pueritiam ingreſſum paterno prorſus affectu complexus, *Leopoldi* cardinalis Kolonitſii tutelae tradidit: cuius cura in pietate, literisque quam oprime inſtitutus, fidem quoque in caeſarem principem ſuum apprime condidicit, vt et tutor *Kolonitſius*, et caeſar ipſe eum et vtilem patriae ciuem, et fidiſſimum aulae clientem aliquando futurum non ſperarent modo, verum etiam certo confiderent. Vbi ad maturam aetatem peruenit *Rákotzius*, duo erant, quae eidem diſplicebant: primum, quod caeſar ſeuere vetuerit, ne ſe inſcio, et inconſulto coniugium ineret; alterum, quod eidem in bonis ſuis Hungaricis domicilium figendi facultatem denegauerit, nolebat ſci-

licet futurorum praeſagus caeſar, vt optime comparatus opulenti iuuenis animus per crebram cum maleuolis conſuetudinem corrumpi, ac in transuerſum agi poſſet. Verum poſtquam *Carolinam Amaliam*, *Caroli* Haſſouanfridenſis Landgrauii filiam coniugem accepit, aegre demum facultatem impetrauit, ad bona ſua in ſuperiore Hungaria ſita, ad tempus decedendi: ea tamen adiecta lege, vt iis perluſtratis, reque oeconomica in ordinem redacta, illico Viennam remigraret, ibi deinceps, quamdiu caeſari viſum fuerit, vitam acturus. Dederat praeterea nonnullis militiae Germanicae, in ſuperioris Hungariae partibus hybernantis, ducibus, atque praefectis clam in mandatis, vt crebro officii ſpecie eumdem adirent, in omnia eius conſilia, factaque intenti eſſent, ac peculiari denique ſtudio in id incumberent, ne eorum, qui de fidelitate ſuſpecti viderentur, conſuetudine corrumperetur. Nihil coniuratis hoc *Rákotzii* in Hungariam aduentu optabilius euenire potuit, adeunt itaque generoſae indolis principem, proſtratas per caeſarem gentis praerogatiuas, atque libertates, quaeue olim *Georgius I. Rákotzius*, eiusdemque filius Tranſſiluaniae principes Hungariae in libertatem aſſerendae cauſa bella, et quanto cum ſucceſſu contra Auſtriacos caeſares geſſerint, copioſe explicant, Tranſſiluaniae principatum, quem nomine ſolo *Michael* iunior Apafi, re autem ipſa caeſar plena cum poteſtate teneret, ipſo naſcendi iure ad eum ſpectare: complura Rákotzia-

nae domus in Hungaria bona in fiſci adhuc eſſe manibus, idemtidem ingerunt, quo ſic priuatarum etiam iniuriarum commemoratione, mobili alioquin animo principem vindictae ſtudio accenderent, concludunt denique et munus, et gloriam gentis Hungaricae in priſtina iura reſtituendae ad eum vnum a maioribus eſſe transmiſſa, dudum iam illum, abſentem licet, vnanimi coniuratorum ſuffragio ducem eſſe conſtitutum. Exhorruit ad haec principio *Rákotzius*, et optimae inſtitutionis, quam a tutore cardinale *Kolonitſio* acceperat, et paternae, qua eum caeſar hactenus complexus erat, beneuolentiae memor. Verum cum haec, aliaque rationum momenta pene quotidie auribus *Rákotzii* ingererentur, inconſulta gloriae apud vniuerſam gentem ſuam conſequendae cupiditate correptus, fluctuare iam animo, ac in exitium ruere coepit, vt non iam de coniuratione amplectenda, verum potius de modo eiusdem cum ſucceſſu exequendae cum ſuis deliberationes habere inciperet. Nihil tum coniuratis facilius videbatur, quam caeſarem debellare, regnique Hungarici poſſeſſione delicere: aiebant, vbi primum ſparſis vbique libellis *Rákotzium* coniurationis eſſe caput vulgatum fuerit, Hungaros omnes, etiam eos, qui caeſareis partibus adhaerere viderentur, ad eius ſigna confluxuros: Tranſſiluaniam Rákotzianae domui alioquin hereditario iure obnoxiam, eidem velut hereditario ſuo principi principatum vltro delaturam. *Ludouicum* XIV. Galliae regem propenſiſſi-

mo esse ad iuuandos Hungaros studio, quod-
que et saepius pollicitus erat, et reapse et-
iam hactenus praestiterat, liberalia stipendia,
architectos militares, et bellicae artis peri-
tissimos duces magno numero submissurum.
His adminiculis Germanicam militiam tam in
Transsiluania, quam in Hungaria nullo ne-
gotio superatum, profligatumque iri propter-
ea, quod *Leopoldus* grauissimo bello Hispa-
nicae successionis causa cum Gallis, pluribus-
que praeterea imperii principibus breui inuol-
uendus, minime amplius posset, aut auxilia-
res copias, aut noua tironum supplementa
eo, quo oporteret, numero in Hungariam
transmittere, neque enim prudenter existi-
mari posse, vt *Leopoldus* caesar Hungariae to-
tis viribus edomandae causa, a bello cum
Gallis abstineat, ac tam illustris, vt Hispa-
nia est, monarchiae iacturam perpeti velit.
Talibus igitur rationibus in spem victoriae
erectus *Rákotzius* literas, coniuratorum no-
minibus signatas, ad *Ludouicum* XIV. confici
curat, quibus belli in caesarem suscitandi
tempus, modum, rationemque complexus,
opportuna et pecuniae, et praefectorum mi-
litarium subsidia Hungaris submitti flagitabat,
communique omnium nomine fidem dedit,
Hungaros non prius, quam cum *Ludouico*
XIV. e re visum fuerit, pacem cum caesare
inituros. His A. 1700. actis, atque consti- 1700
tutis, literae Parisios deferendae *Longueuallio*
legionis Badensis in Sárosiensi prouincia hy-
bernantis centurioni, e Leodiensi ditione ori-
undo, tum recte priuatorum negotiorum cau-

ſa in patriam proficiſcenti, conſignatae ſunt: hic enim adeo ſe in *Rákotzii*, praecipuorumque coniuratorum familiaritatem penetrare nouerat, vt omnia eorumdem arcana edidicerit; verum ſeu vere, ſeu ficte ille tum *Rákotzio* adhaeſerit, fidem nihilominus ſummo imperanti debitam priuatae antehabens amicitiae, cum per Auſtriam iter ageret, ex condicto interceptus, coniuratorum conſilia omnia clam caeſari patefecit. Caeſar inexſpectatam eam ſeditionem in ipſo ortu praefocaturus, *Longueuallium* libere Pariſios cum literis proficiſci iuſit, tum vero ſecretiſſimis mandatis ad militiae in ſuperiori Hungaria praefectos datis, praecipua coniurationis capita intercipi, ac in vincula coniici iuſſit. Multi cum *Bertsényio* male ſibi conſcii, caeſareae militiae motus ſubodorati, praecipiti fuga in vicinam Poloniam euaſerunt: multi tamen ſunt intercepti, quos inter *Franciscus* Rákotzius, in arce ſua Sároſia noctis ſilentio oppreſſus, propriaeque rhedae impoſitus, Neoſtadium in carcerem deductus fuit. Verum haec praeda, graue paulo poſt incendium excitatura, die IX. No-
1701 uembris A. 1701. praeter omnem ſpem e caeſaris manibus elapſa fuit: *Lehmanni* enim centurionis, natione Pruſſi, qui excubiis praeerat, multo auro corrupti conniuentia, *Rákotzius* e cuſtodia, et ciuitate egreſſus, per conſtitutos, coniugis ſuae cura, veredarios pariter in Poloniam profugit. Centurio enormem eam perfidiam exquiſito plane ſupplicíorum genere expiauit, eius autem cogna-

ti XXX. millia florenorum a *Rákotzio* ſubinde acceperunt. Denique, quod vnum reliquum erat, *Rákotzii* abſentis cauſa examinata, die XXX. Aprilis A. 1703. perpetuae 1703
infamiae, exilii, et bonorum publicationis ſententia promulgata fuit.

§. XXVIII.

Funeſtum inde Hungariae incendium.

Sed ſera iam fuit ea tribunalis Viennenſis ſententia: *Rákotzius* enim biennio, quo in Polonia egit, legati Gallici ibidem commorantis opera, dudum iam ante coeptum cum *Ludouico* XIV. bellum tum pro *Philippo* nepote ſuo totis viribus contra Auſtriacos in Hiſpania gerente, foedus ad exitum adduxit, optatiſſimaque et pecuniae, et ducum militarium ſubſidia impetrauit: praeterea per occultos nuncios, et literas tantum in Hungaria coniuratorum numerum ad partes ſuas traduxit, vt parem ſe iam bello contra caeſarem gerendo exiſtimaret. Itaque aeſtate A. 1703. Hungariam ſubiens, aliquot armatorum, ſubditorum ſuorum potiſſimum, millia 1703
in ipſis regni limitibus ſibi praeſtolantia offendit. Ex eo die ingens ad *Rákotzii* ſigna quotidie concurſatio fieri coepit, praeſertim poſtquam peracerbo ſcripto in caeſarem, eiusdemque gubernandi rationem inuectus. omnes, et ſingulos ad patrias libertates, et conſuetudines, proteſtantium autem religionum exercitium, armis ſe duce vindicandum

concitauit. Multi ob parentes, aut propinquos tribunalis Eperieſinenſis ſententia ſupplicio affectos, vindictae ſtudio accenſi, alii praedandi, opesque ſuas alienis damnis augendi cupidi, proteſtantes omnium, quae ad eum diem amiſerant, recuperándorum ſpe animati, *Rákotzium* ſunt ſecuti: plurimi tamen, ne quid diſſimulemus, copioſi, et illuſtres viri a coniuratis domi ſuae ex improuiſo obruti, vt intentatam ſibi mortem declinarent, Rákotzianas partes amplecti ſunt coacti. Quapropter breui tempore adeo creuit coniuratio, vt *Rákotzius* XX. armatorum millia in caſtris numeraret. Deliberatum poſtea fuit de belli gerendi ratione, communique omnium conſenſione *Rákotzius* confoederatorum ſtatuum dux declaratus fuit, qui vt erat flexili, mitique admodum ingenio, ne arte aliqua ad amplectendam aliquando caeſaris gratiam poſſet permoueri, ſolenni iuramento cauere debuit, ſe nihil vnquam, citra confoederati ſenatus conſenſum, cum caeſare acturum, neque pacem initurum: quem in finem lecti ex omni coniuratorum numero quatuor ſupra viginti viri, qui deliberationibus omnibus intereſſent, literas ad *Rákotzium* datas, aut ab eo mittendas diligenter prius examinarent: quae res poſtea et *Rákotzio* ipſi optatam quietem ſaepius ſuſpiranti, et tam *Leopoldo*, quam *Ioſepho* I. caeſaribus maximas obiecit difficultates, quo minus pax toties tentata confieret. Proxima poſt *Rákotzium* autoritas *Nicolao Bertsényio* data, vi-

ro indolis praeferuidae, neque ſatis rei militaris perito, cuius coeco impetu non raro res confoederatorum ſunt proſtratae. Sic adumbrata apud confoederatos republica, bellum geri coepit incredibili cum ſucceſſu, irreparabili ſemper cum afflictae patriae damno. Breui temporis ſpatio non Caſſouia modo cum vtraque Tibiſci regione, verum etiam montanae vrbes omnes in confoederatorum venere manus, vt, ſi pauca quaedam fortalitia Germanico munita praeſidio demas, tota propemodum ſuperior Hungaria Poſonium vſque in *Rákotzii* venerit poteſtatem.

§. XXIX.

Caeſaris eapropter curae.

Ferali hac procella nihil acerbius *Leopoldo* euenire poterat: demortuo enim absque herede *Carolo* II. Hiſpaniae rege, ſublata *Caroli* V. caeſaris poſteritate, Hiſpaniae regnum, ad ſe hereditario iure deuolutum, totis viribus *Carolo* archiduci ſecundogenito aſſerere cupiens, robur copiarum partim in Hiſpaniam, partim Neapolim dimiſerat, vt adeo eo temporis articulo, Hungaros quietem colere, illius quam maxime interfuerit. Miles Germanicus per fortalitia potiſſimum diſtributus non tanto erat numero, vt aperto Marte immenſae Rákotzianorum multitudini poſſet reſiſtere. In Hungarorum ſibi ad eum

diem fideliter adhaerentium auxiliis non multum ſpei collocari poterat, *Rákotzius* enim dimiſſis in omnem partem agminibus, quotquot nobilitate, opibus, ac dignitatibus conſpicuos nouerat, in curiis, caſtellisue ſuis comprehendi, intercipi, ac, ſi vehementius reſiſterent, etiam in vincula coniici, atque ſic ad ſigna ſua ſequenda adigi curauit, vt adeo plurimi, quo Rákotzianorum manus euaderent, bonis ſuis direptioni relictis, Viennam ſe recipere cogerentur. Sola Croatia a ſeditione immunis fuit, et ſponte ſua, et *Ioannis* C. Pálfi Illyrici bani exemplo in fide erga caeſarem confirmata. Hic cum eſſet rerum caeſaris ſtatus, crebra de ſuſtinendo aduerſum coniuratos bello conſilia Viennae agitata ſunt, nec pauca iis temporum rationibus perquam accommodata conſtituta; ſic decretum fuit, vt dux *Rabutinus* cum nouis tironum ſupplementis citatiſſimo itinere in Tranſſiluaniam properaret, atque ibidem omni conatu, vigilantiaque in id incumberet, ne *Rákotzius* eam prouinciam poſſet occupare. In Hungaria autem Germanicarum copiarum duces in arcanis habuere mandatis, vt fortalitia omni apparatu bellico, et annona prouiſa tenerent, eademque contra Rákotzianos, haud ſatis oppugnandi peritos, ad extremum vſque ſpiritum tuerentur, decretorio autem certamini nonniſi, vbi certa appareret ſpes victoriae, fortunam committerent. Etſi enim non ignorabat caeſar, Rákotzianos ſemper numero praeualituros, multum tamen in veteranorum ducum ſuorum

virtute, et militum fortitudine ſpei collocabat. Denique ſuo Bizantii oratori negotium dedit, vt portam Ottomannicam in cuſtodienda pacis Carlouitzenſis fide omni ſtudio conſeruaret. Ac reapſe illud et domui Auſtriacae, et Hungariae ſaluti fuit, quod Turcae nullis pollicitationibus toto eo bello permoueri potuerint, vt cum *Rákotzio* foedus inirent, id ingeminantes: infelicis illius belli, quo Hungariam amiſerant, non aliam fuiſſe cauſam, quam quod inducias cum caeſare olim initas in *Emerici Tökölii* gratiam violauerint, ſicque Diuinae vltionis ſe reos fecerint.

§. XXX.

Rákotziani oblatam ſibi a caeſare gratiam reſpuunt.

Hic igitur tum fuit ex parte caeſaris ad bellum apparatus, quo tempore firmiter apud ſe conſtituerat, eam tempeſtatem ſuſtinere fortiter tamdiu, dum Gallis deuictis bellum Hiſpanicum conficeret, euectoque ibidem ad auitum ſolium filio, victrices copias omnes in Hungariam poſſet traducere, quarum virtute coniuratos debellandos, perpetuoque deinceps iugo ſubiiciendos minime dubitabat. Spes caeſaris creſcebant ex eo, quod Anglos, Hollandosque foederatos ter-

ra, marique ſibi tam in Hiſpania, quam in Italia vtilem nauaturos operam confidebat. Verum non deerant, qui ob concitatos per *Ludouicum* XIV. in auguſtam domum Auſtriacam complures Germaniae principes, bellum Hiſpanicum paulo difficilius euaſurum, opinioneque diutius duraturum praeſagiebant, ac ideo caeſari autores erant, vt Hungaros oblata gratia, ac cum aliqua etiam maieſtatis ſuae iurium diminutione, ad arma ponenda reuocare ſatageret. Hos inter fuit *Eugenius* dux, qui bellum aduerſus Gallos in Italia adminiſtrabat, qui datis ad caeſarem literis, pacem qualibet honeſta conditione cum Hungaris ineundam ſuaſit, ac ſpeciatim monuit, vt ſeuere prohiberet caeſar, ne Germanicae militiae praefecti Hungaros forte bello captos, inhumanius haberent, inconſultaque hac ſeueritate exulceratos alioquin eorumdem animos paulo vehementius exaſperarent. *Ioſephus* ipſe iam rex Hungariae, tam difficilibus, et multiplicibus belli tempeſtatibus auguſtam domum vbique premi recogitans, meritoque metuens, ne pater moriens, ſe bellorum potius, quam regnorum heredem relinqueret, multis egit precibus, vt, ſuſpenſo per inducias bello, leniora remedia probarentur. Annuit filii voluntati *Leopoldus*, ac *Paulo Szétsényi* Colocenſi archiepiſcopo per literas die
1704 II. Ianuarii A. 1704. exaratas negotium dedit, vt ſeu per literas, ſeu, ſi id magis e re videretur, ipſe per ſe cum *Rákotzio* de reſtituenda pace tractaret: ſpeciatim autem inſ-

ſit coniuratis exponi, iniurias, quas a militaribus, aut camerae praefectis, vel fiſco ſe aliquando perpeſſos eſſe querulabantur, citra mentem, voluntatemque ſuam accidiſſe, paratumque ſe eſſe ad eiusmodi mala radicitus tollenda: itaque poſita omni diffidentia, in conuentu, quem caeſar indicturus eſſet, querimonias eas, quae vniuerſam gentem tangebant, candide exponerent, a clementiſſimo, et propenſiſſimo caeſaris animo certo certius remedium accepturi. Cupiebat praeterea caeſar, vt Hungari totius negotiationis arbitrum conſtituerent *Ioſephum* primogenitum filium ſuum, Romanorum, et Hungariae regem. His itaque aliisque id genus mandatis inſtructus Colocenſis archiepiſcopus ad Rákotzianos ſe contulit, ſed tam ſua, quam caeſaris exſpectatione grauiora offendit obſtacula: nam cum induciis vtrinque ſancitis cum *Rákotzio*, ceterisque confoederatis de concordiae ineundae conditionibus agere inſtituit, tam enormia fuere Rákotzianorum poſtulata, vt iis omnibus caeſar, etſi vellet, ſalua dignitate ſua aſſentiri nequaquam poſſet. Ante omnia *Ioſephum* regem ſe inter, et caeſarem arbitrum, ac mediatorem detrectauere propterea, quod de vtriusque in iis, quae promiſſuri eſſent, in effectum ſubinde deducendis fide addubitarent, volebant igitur, vt praecipui aliquot Europae principes pacis arbitri conſtituerentur, qui eorum omnium, quae hoc tractatu vtrinque ſancirentur, vadimonium praeſtarent. Priusquam negotiationi initium

daretur, ſolenni ſcripto gens Hungara libera, ſuique iuris, neque auguſtae domui Auſtriacae vlla ſeruitute obnoxia declaretur. Generalia regni comitia celebrarentur, in quibus procul ab omni vi, et coactione liberum eſſet ordinibus regni deliberare, ac, quae pro bono gentis totius viderentur, decernere, vt adeo caeſari nihil aliud eſſet reliquum, quam idmodi comitiorum decretis ſubſcribere. Longum foret omnia, quae tum Rákotziani poſtulabant, huc adſcribere, pauca ſolum ex iis commemorabimus: ſic vrgebant, vt comitiorum Poſonienſium A. 1687. conſtitutiones omnes antiquarentur; abolita hereditaria domus Auſtriacae ſucceſſione, Hungaria electiuum regnum pronunciaretur; *Andreae* II. bullae aureae art. XXXI. ſolenni ritu renouaretur; tam ciuiles ſpeciatim in cameraticis, quam militares in regno praefecturae omnes ſolis Hungaris crederentur; ducibus, militibusque Germanis perpetuum ex Hungaria exilium dictaretur; *Francisco Rákotzio* caeſar Tranſſiluaniam, fiduciario tamen ſacrae coronae Hungaricae titulo, ac inſuper hereditario ad maſculinum ſexum iure conferret; *Paulus* S. R. I. princeps Eſzterházi ea de cauſa, quod caeſareis partibus impenſius faueret, palatinatus dignitate priuaretur, eidemque *Nicolaus* Bertsényi ſubſtitueretur. Vt de abnormibus his poſtulatis nonnihil remitterent Rákotziani, varia per Colocenſem archiepiſcopum eisdem fuere propoſita: ſic nominatim caeſare i arctiſſimum cum electore Brandeburgico, et

Pruſſiae

Prussiae rege *Friderico* I. foedus iniisse, vi cuius hic se obstrinxerat, ad vires suas omnes debellandis Hungaris impendendas: praeterea caesarem id nunc agere, vt per aliquot prouinciarum cessionem, pacem cum *Ludouico* XIV. eiusdemque foederatis sanciat, quo sic, omni externo bello liber, copias omnes aduersus Rákotzianos possit conuertere. Denique id Bizantii apud portam Ottomannicam effecturum, vt copiae Turcicae vbiuis in regni limitibus excubent, ac, si caesarei duces eis alicubi opus haberent, suppetias veniant. Verum neque momenta haec, quantumuis grauia, quidquam apud Rákotzianos, rerum suarum successu vltra modum inflatos, profecerunt; neque id mirum: nam *Ludouicus* XIV. caesaris de pace sancienda mentem tempestiue edoctus, veritusque, ne Hungari arte aliqua ad ineundam cum eodem gratiam interea permouerentur, paucis ante diebus nuncium cum literis ad *Rákotzium* miserat, quibus copiosa subsidia propediem adfutura significabat, hortabaturque Rákotzianos, ne ad vllas concordiae conditiones se insscio, et inconsulto accederent. Atrocia haec postulata grauiter, molesteque tulit *Leopoldus*, praesertim autem generalium regni comitiorum Posonienssium, et hereditariae quoad masculinum sexum successionis vnanimi omnium regni ordinum suffragio, et assensu stabilitae abrogationem, vt tamen peculiaris clementiae suae publicum ederet specimen, cunctisque Europae regibus palam faceret, nihil abs se intentatum relictum

eſſe, quo minus Hungarorum animi ſedarentur, ad ſereniſſimam Angliae reginam *Annam*, et foederatos Hollandiae ſtatus concordiae ſe inter, atque Hungaros ſtabiliendae arbitrium detulit. Adfuere igitur Anglus *Georgius Stepnei*, et Hollandus *Hamel Bruininex* oratores plena agendi, concludendique poteſtate inſtructi, paucis ſolummodo capitibus, in quae auguſta domus Auſtriaca nullatenus conſentire poterat, per arcana caeſaris mandata reſeruatis. Multa his arbitris inter Colocenſem archiepiſcopum, et Rákotzianos diu, et ſaepius agitata ſunt: abrupta aliquoties negotiatione, ſublatis induciis, bellum recruduit, fortuna Rákotzianis plerumque aduerſa, praeſertim ad Tyrnauiam,
1704 vbi die XXVI. Decembris A. 1704. memorabili prorſus clade fuere profligati. Factis iterum induciis iisdem arbitris iterum de pace agi coepit, ſed cum confoederati ne latum quidem vnguem ab enormibus ſuis poſtulatis recederent, negotiatio ad obitum vſque caeſaris nullo cum ſucceſſu protracta fuit.

§. XXXI.

Leopoldus ciuili bello immoritur.

Hic erat rerum Hungaricarum ſtatus, cum *Leopoldus* lethali hydrope correptus, ad extrema deductus fuit. Difficilis, diuturnique morbi moleſtias non mediocriter exaſpe-

rabat peracerbus animi dolor, inde exortus, quod vtrumque filium *Iosephum*, et *Carolum* inter medios bellorum fluctus relinquebat; neque in humanis magna laetioris fortunae spes apparebat ob plurium Germaniae principum in augustae domus Austriacae perniciem conspirantia cum Gallis studia, quibus in summa aerarii caesarei penuria, et copiarum paucitate minime amplius resisti posse videbat. Timores illius non leuiter aucti sunt ex interceptis quibusdam literis ab electore Bauariae, ceterisque Galliae foederatis communi nomine ad Rákotzianos datis, quibus eos maiorem in modum hortati sunt, ne, quae sumpserant arma, vnquam deponerent, neque se qualibuscumque promissis per caesarem faciendis ad concordiam adduci paterentur, fore enim breui, vt profligatis in imperio caesareis, foederatae copiae in Austriam se se penetrarent, victriciaque arma ibidem cum Hungaris coniungerent. His hostium suorum consiliis opportune detectis *Leopoldus* iam iam moriturus, *Iosepho* filio, atque heredi autor fuit, vt, quo Hungaros eo celerius ad obsequium reuocaret, solam iam comitiorum Posonienſium autoritatem, successionemque hereditariam tueretur, ceteris autem Rákotzianorum postulatis, quantumuis atrocibus, subscriberet, vt sic exstincto quantocyus domestico in Hungaria bello, ceteras ditiones Austriacas eo validius contra foederatos tot hostes posset defendere. Atque has inter curas pie, vt vixit, diem su-

1705 um obiit V. Maii A. 1705. cum aetatem ad quintum ſupra ſexageſimum annum adduxiſſet.

§. XXXII.

Leopoldi memoria, coniuges, et liberi.

Praefuit *Leopoldus*, a rebus geſtis *magni* nomen indeptus, (*a*) Hungaris annis omnino quinquaginta, Bohemiae quadraginta nouem, imperio Romano quadraginta ſeptem. Corpore fuit imbecilli, ſtatura mediocri, labiis aliquantum prominentibus, ceterum frons, oculi, et vultus excelſum interius animum, dignamque ſummo imperante maieſtatem indicabant. Illius vitae probitas, incenſum Catholicae religionis propagandae ſtudium, iuſtitiae rigor, clementia, et pudicitia notiora ſunt, quam vt a me pluribus explicentur. Eximiam autem illius in bene de ſe, et patria meritos munificentiam hodiedum teſtantur plurimae illuſtres in Hungaria familiae, ampliſſimis opibus, honoribusque per eumdem excultae. Animum Chriſtianis virtutibus egregie inſtructum ornabat diuinarum

(*a*) Qui plura de Leopoldi geſtis ſcire cupit, adeat eius hiſtoriam a Cl. Wagner conſcriptam.

aeque, ac humanarum disciplinarum cognitio. Diuturni regiminis tempore numquam fere pace frui potuit, nam et domi ciuilibus bellis, Parisinae aulae factione suscitatis, atque studiose alitis, octo supra viginti annos iactatus fuit, et foris cum foederatis Galliae principibus difficillima gessit bella. In his tamen singulari Dei prouidentia ita versatus est, vt de plerisque hostibus triumpharet: etsi enim bellicarum artium inexpertus numquam ipse arma induerit, praestantissimis nihilominus belliducibus constanter vsus fuit. Id illi vitio datum, quod infelici quodam fato minus perspicaces aulae ministros in sanctius suum consilium adlegerit: constat enim secretissima quaeque aulae Viennensis consilia Gallis constanter fuisse prodita, neque dissimulant scriptores, monarchiae Hispanicae iacturam aulae Viennensis erroribus adscribi oportere. Certe prodigii simile videri potest, quod *Ludouicus* XIV. post conclusam A. 1698. pacem Risuicensem biennii spa- 1698
tio, legati sui opera, non id solummodo apud Hispanos effecerit, vt vatiniano illo duorum, et amplius seculorum odio inter vtramque nationem feliciter obliterato, potior Hispanicae nobilitatis primorum pars, ac ipsi adeo aulae administri intimam cum Gallis colere coeperint amicitiam, verum etiam, vt rex ipse *Carolus* II. Habsburgicae domus inde a *Caroli* V. temporibus in Hispania regnantis postremus, vltimis tabulis die II. Octobris A. 1700. solenni ritu 1700
conditis, excluso agnato suo legitimo here-

de, *Carolo* archiduce, *Leopoldi* filio ſecundogenito, coronae Hiſpanicae ſucceſſorem, heredemque inſtituerit *Philippum Bourbonium*, hancque vltimam voluntatem ſuam pontificio qu..que calculo probari procurauerit. Ceterum quidquid ſit de perpetuis ſeditionibus, bellisque ciuilibus, quibus *Leopoldo* imperante Hungaria agitata, conuulſaque fuit, illud tamen longe maximum, aeternaque gratitudine dignum praeſtitit Hungaris beneficium, quod Budam, ac maximam ditionum Hungaricarum partem, poſt duorum prope ſeculorum ſeruitutem, e Turcarum manibus eliberauerit: vt adeo *Rákotzius*, quique eum concitauerant, turpiſſima ingratitudinis nota ſemet contaminauerint, dum ad patriae ſuae liberatorem, corona, regnoque exuendum arma ſtrinxerunt. Fatendum praeterea eſt, *Leopoldi* auſpiciis plurimas Hungariae ciuitates pene euerſas, nouis eo deductis coloniis, ſuis e ruinis reſurgere, vaſtiſſimisque quaquauerſum ſolitudinibus populi frequentiam redire coepiſſe. Eccleſia quoque Catholica diu preſſa tum reſloruit, poſtquam epiſcopi ſuis cum capitulis ab exilio reuocati, priſtinis ſuis ſedibus, iuribus, atque poſſeſſionibus ſingulari *Leopoldi* caeſaris pietate, atque munificentia poſtliminio ſunt reſtituti. E triplici connubio paucas proles reliquit ſuperſtites; ex prima coniuge: *Margaretha Thereſia Philippi* IV. Hiſpaniae regis filia, ſuſtulit filiam *Mariam Antoniam Maximiliano* Bauariae electori traditam. Secunda *Claudia Felicitas*, *Ferdinandi Caroli* archidu-

cis Tyrolis domini filia absque sobole deceſſit. Tertia autem *Eleonora Magdalena Philippi Wilhelmi* ducis Neoburgici filia ſequentes edidit: *Ioſephum* I. et *Carolum* VI. imperatores, tum vero *Mariam Annam Ioannis* V. Luſitaniae regis vxorem: *Mariam Eliſabetham* Belgii Auſtriaci, ac denique *Mariam Magdalenam* Tyrolis gubernatricem.

IOSEPHVS I.

REX XLVII.

A. C. 1705.

§. I.

Difficile Ioſephi regnum.

Quem in comitiis Poſonienſibus A. 1687. hereditario iam, ad maſculini ſexus poſteros iure, Hungarorum regem electum, et inauguratum fuiſſe diximus, hoc demum anno 1705. paterna regna vehementer perturbata, atque conuulſa pleno iure adiit *Ioſephus* I. Nam vt taceam cruentum illud bellum, quod ſucceſſionis Hiſpanicae *Carolo* archiduci aſſerendae cauſa, non modo in Hiſpania, Italia, et Belgio cum *Ludouico* XIV. verum et- 1687 1705

iam cum Bauariae electore, pluribusque aliis Galliae foederatis imperii principibus in Germania, atque in ipſis iam Auſtriacis ditionibus fortuna non adeo proſpera gerebatur, *Rákotzius*, ſi fortalitia, et ciuitates aliquot moenibus firmatas demas, potiorem Hungariae partem ſuam fecerat. Vniuerſa fere regni tributa, et vectigalia, aurum, argentum, et aes omne cum ditiſſimis Hungariae aurariis in foederatorum erant poteſtate: vnde ad nouos tirones ſtipendio conducendos, ad machinas bellicas, neceſſariumque apparatum copioſe comparandum, bellum denique in principem ſuum cum ſucceſſu proſequendum, longe ampliſſimus eis neruus acceſſerat. His igitur tempeſtatibus vndique ſe circumſeptum videns *Ioſephus*, mox a morte patris, ſolicite cum ſecretiori ſuo ſenatu deliberauit, quid ſibi eo rerum poſitu eſſet eligendum: ſatiusne foret, ſpontanea Hiſpaniae ceſſione, difficillimo cum Gallis bello finem quantocyus imponere, ac tum demum Rákotzianis debellandis, et ſub iugum mittendis, vires omnes impendere: quo ſic auguſta domus Auſtriaca nouo armorum iure in totius regni Hungarici dominatu in perpetuum conſtabiliretur: vel vero, an vtilius videretur, gentem Hungaram quibuscumque demum, honeſtis tamen, conditionibus ad quietem, et obſequium reuocare: quod ſi impetraretur, pacatis feliciter domi rebus, bellum toti viribus contra Gallos, eorumdemque foederatos poſſet non ſine optimi ſucceſſus ſpe Anglis, Hollandisque ſo-

ciis inſtaurari. Prius conſilium ipſi aulae Pariſinae miniſtri ſuggerebant, velut monarchiae Auſtriacae conſultiſſimum, quod *Ludouicus* XIV. ita animo comparatus erat, vt ſi nepoti ſuo *Philippo* Andegauenſi Hiſpania relinqueretur, illico ab armis eſſet ceſſaturus, ac foederatos etiam ſuos ad amplectendam pacem adacturus. Id ipſum non paucis aulae caeſareae miniſtris praeplacebat, quibus belli in remotiſſimis tot locis, Hiſpania videlicet, Italia, Belgio, et Germania gerendi difficultas, neceſſariorumque in tot exercitus ſumtuum penuria optime fuere perſpecta, quiue in ſolis foederatorum Anglorum, et Hollandorum copiis, aut pecuniariis ſubſidiis totam belli molem, et victoriae ſpem minime reponendam eſſe exiſtimabant: alioquin aere alieno vſque adeo iam grauata erat aula Auſtriaca, vt plurium prouinciarum reditus annui vel cenſui praeſtando vix ſufficerent, quod onus continuatis per plures annos belli ſumtibus immenſum euaſurum erat. Verum ſecretioris ſenatus aulici pars altera demortui caeſaris *Leopoldi* ſententiae mordicus inhaerendum putauit, qui *Carolum* archiducem ad conſequendam Hiſpaniae coronam totis viribus adiuuandum, neque tam illuſtris monarchiae ſucceſſionem e manibus dimittendam eſſe et viuens cenſuerat, et moriens ſanxerat. Hi itaque autores fuere *Ioſepho*, vt omnia prius cum Hungaris experiretur, ſtabilitaque ſucceſſione hereditaria, ceteris eorumdem poſtulatis, quantumuis abnormibus, liberaliter ſubſcri-

beret: affirmabant etiam pacis tractationem faciliorem nunc multo futuram, quam ſub *Leopoldo*, eo quod hic graui, diuturnaque apud vniuerſam gentem inuidia laborauerit, a qua *Ioſephus* ad eum diem immunis eſſet, eo quod palam conſtabat, hunc nullam in illis, quae patre imperante cum Hungaris euenerant, partem habuiſſe. Conſilium hoc cardinali *Kollonitſio* regni primati, *Paulo principi Eſzterházi* palatino, ceterisque antiſtitibus, et Hungariae primoribus, qui auguſtae domui Auſtriacae conſtanter ad eum diem adhaerebant, mirifice arridebat, ac idcirco, nil intentatum relinquebant, quo *Ioſephum* caeſarem ad paeem cum Rákotzianis tentandam permouerent.

§. II.

Concordia cum Rákotzianis tentatur, ſed irrito ſucceſſu.

Haec in vtramque partem diu, multumque agitata cum *Ioſephus* caeſar maturo iudicio expendiſſet, poſterius de Hungaris ad quietem reducendis conſilium probauit. Quapropter *Paulo* Eſzterházio palatino in mandatis dedit, vt datis ad omnes regni ordines, et comitatus literis generalia regni comitia, quae in noui regis ad regnum aditu celebrari et lege, et conſuetudine apud Hungaros

receptum erat, Poſonium indiceret, vniuerſis, qui coniurationem ſecuti erant, gratiam offerret, ac denique nomine ſuo polliceretur, gentis praerogatiuas, libertates, et conſuetudines quoquo modo ad eum diem laeſas, communibus votis in integrum reſtitutum iri. Verum cum palatini literis nemo obtemperaret, iubente *Ioſepho* caeſare, rurſum *Paulus* Szétsényi Colocenſis archiepiſcopus ad Rákotzium ſe contulit, idque impetrauit, vt A. 1706. vtrinque ab armis 1706
ceſſaretur, quo partis vtriusque oratores Tyrnauiae conuenirent, Anglis, Hollandisque arbitris, de concordiae conditionibus deliberaturi. Venere ex parte caeſaris: *Carolus Lotharingus* epiſcopus Oſnabrugenſis, et Olomucenſis, comes *Ioannes Wratislau*, *Paulus Szétsényi* Colocenſis archiepiſcopus, *Nicolaus* comes *Illésházi*, et *Franciscus* comes a *Lamberg*: a *Rákotzio* autem miſſus fuerat *Nicolaus* Bertsényi cum aliquot magnatibus, atque nobilibus, communi coniuratorum nomine eodem deputatis, praeterea caeſar, qui *Rákotzium*, quamdiu Viennae, ante fatalem ſuum in Hungariam diſceſſum, domicilium habebat, familiarius nouerat, atque etiam diligebat, nihil eorum, quae ad conciliandum eius animum faciebant, praetermiſit; coniugem imprimis, quae hactenus honeſta in cuſtodia detinebatur, libere ad maritum redire ſiuit, tum vero germanam ſororem *Iulianam* comiti *Aſpermontio* nuptam ad fratrem inuiſendum dimiſit, ſecretiſſimis ad pacis negotiationem inſtructam mandatis,

quae quidem, vt erat insigni in caesarem propensione, et exquisita prorsus prudentia mulier, toto illo, quo conuentus Tyrnauiensis tenuit, tempore nihil intentatum reliquit, quo fratrem ad saniora consilia traduceret: securum imprimis illum reddidit, *Iosephum* I. ea esse in illum propensione, vt cuncta, quae salua maiestate, dignitateque sua licerent, eidem velit addicere: id quidem nullo vnquam tempore, aut casu permissurum, vt Transsiluaniae dominatum, et possessionem adeat, huius tamen loco collaturum illi hereditario ad posteros iure in Romano imperio non mediocris census principatum, cum sessione, et voto, insuper autem omnia Rákotzianae domus in Hungaria bona salua illi mansura: obliterata denique praeteritorum memoria, pristino illum et honoris et gratiae loco in aula caesarea futurum, dummodo misso coniurationi nuncio, sincera voluntate ad caesaris fidem, et obsequium redire in animum inducat suum. Eadem fere et Anglus orator *Stepnei*, et comes *Wratislau*, sub principis coniugem salutandi praetextu ad *Rákotzium* a conuentu Tyrnauiensi absentem procurrentes, caesaris nomine pollicebantur. Tam honorificis, tamque vtilibus conditionibus sibi oblatis anceps aliquamdiu haesit *Rákotzius*, nec, quid tam benefico in se principi responderet, inueniebat: verum inanis illa gloria, quod se Hungaricae confoederationis ducem, caputque esse circumspiceret, hominem in transuersum egit, vt futurorum improuidus,

caesari referri iuberet, se, saluo honore, nec totius gentis Hungaricae causam deserere, nec ab inita cum Gallis societate posse recedere. Quo tempore comes *Wratislau Rákotzium* amice monuit, ne Gallis fideret, quorum causa tot iam Germaniae principes infelices essent redditi, qui postquam splendidis inducti promissis vires, opesque omnes in bellum soli Galliae vtile prodegerant, pace subinde Gallorum arbitrio confecta, nullam damnorum, sumtuumque compensationem accepere. Eamdem sortem *Rákotzio* exspectandam esse, qui reiecta nunc caesaris gratia, continuato diutius bello, et sua omnia amissurus, et procul e patria a Gallis destitutus, vitam infra principis dignitatem esset clausurus. Tristissimi huius vaticinii crebro se postea memorem fuisse fatetur *Rákotzius* ipse, tum, cum e domo extorris, apud Turcas exul in egestate vixit. Sed neque in conuentu Tyrnauiensi seu caesarei deputati, seu Anglus, Hollandusue arbitri quidquam profecerunt: iam in ipso negotiationis aditu, grauissimi ex parte coniuratorum clamores exorti sunt propterea, quod caesarei oratores eosdem *male contentos*, refractariosque caesaris subditos compellauerint, vt adeo, caesare demum assentiente, *confoederatorum statuum, et ordinum* Hungariae titulum eis dare oportuerit. Sed et postulata confoederatorum XXIII. capitibus comprehensa adeo pleraque dura erant, vt caesarem illis assensurum ne arbitri quidem ipsi sperauerint. Petebant nempe I. vt pacta foederatos inter status, atque caesarem concludenda calculo suo roborent, ac de eo-

rum fideli obſeruatione vadimonium in ſe ſuſcipiant non ſolum Angli, et Hollandi, verum etiam Sueciae, Boruſſiae, ac Poloniae reges cum Veneta republica. II. Tranſſiluania ab auguſtae domus Auſtriacae poteſtate ſubtracta liberrimam retineat principes ſibi deligendi facultatem. III. Poſonienſium comitiorum articulis antiquatis, hereditaria ſucceſſio praeſenti tractatu in quaeſtionem vocetur, atque decidatur, *Andreae* vero II. bullae aureae capita, et clauſulae omnes priſtino vigori reſtituantur. IV. Copiae extraneae e regno eliminentur. V. Palatini, bani, ceterorum regni baronum, nec non cancellariae Hungaricae autoritas, comitatuum denique, et regiarum ciuitatum iurisdictio ſalua permaneat, deinceps autem iuxta *Vladislai* II. decreti IV. articulum X. et *Ludo-*
1518 *uici* II. decret. A. 1518. art. XXXIX. et XL. ſenatus regius e quatuor praelatis, octo baronibus, et magnatibus, ac duodecim nobilibus e ſingulis regni partibus maturo iudicio delectis, Budae collocetur, caeſari, qua regi Hungariae, a conſiliis futurus. VI. Generales aliquot regni capitanei Hungari conſtituantur, rem militarem ſupremo poſt regem imperio procuraturi. VII. Reſtituto veteri theſaurariatus officio, redditus camerae veteri more, ac inſtituto adminiſtrentur, eorumdemque rationes ſemper generalibus regni comitiis examinandae conſignen-
1526 tur, quemadmodum *Ludouici* II. A. 1526. art. III. IV. et V. ſancitum erat. VIII. Sacrum regni diadema, quod Viennae iterum

asseruabatur, in Hungariam reductum, non iam Posonii, sed in arce Murány conseruetur. IX. Ius armorum, quod *Leopoldus* introduxerat, quoque domini auita bona sua caesareis armis e seruitute Turcica vindicata repetentes, certa pecuniae summa fisco numerata, sumtus a caesare in bellum profusos ex parte sarcire cogebantur, in perpetuum aboleretur, ac id genus bona citra omne litrum ad veteres dominos redeant. X. Cancellarius regni alternis vicibus iam e sacro, iam e seculari ordine constituatur, additis aliquot Hungaris consiliariis, hos solos de rebus Hungaricis in consilium adhiberet caesar, hacque sola via decreta in Hungariam expediret. XI. Tam ecclesiastica beneficia, quam seculares regni dignitates solis Hungaris conferrentur, in secularibus autem ad munia publica promouendis, nulla religionis, sed solius scientiae, virtutis, et habilitatis haberetur ratio. XII. Liberum sit Augustanae, et Helueticae confessioni addictis religionis exercitium, seuere praeterea interdictum sit, eos templis, scholis, ac beneficiis, quae possident, spoliare. XIII. Iesuitae propterea, quod confoederatorum statuum, et ordinum regni constitutionibus semet hactenus conformare neglexerint, e regno exulent, neque sine eiusdem regni consensu, vllo vnquam tempore reducantur. XIV. Iuris ordo, octaualiumque iudiciorum celebratio veteri more obseruetur. XV. Bona iam inde ab *Emerici Tökölii* temporibus ob seditionis crimen in fiscum redacta,

aut etiam aliis donata, prioribus dominis, vel eorum heredibus ſine diminutione reſtituantur. XVI. Literae donationales, priuilegiales, inſcriptionales, ac aliae huius generis praeter vſitatum olim morem, ſub *Leopoldo* caeſare cuicumque demum datae irritae, atque inualidae declarentur. XVII. Moneta cuprea per confoederatos ad duos milliones flor. procuſa eodem, quem ei indiderant, valore, porro etiam ſuum curſum obtineat, elapſis aliquot annis per aerarium regium redimenda. XVIII. Cum pax Carlouitzenſis Hungaris conditionum ibidem ſancitarum ignaris concluſa fuerit, deinceps nulla pacis cum Turcis tractatio iniri poſſit, ſaltem citra palatini, et ſenatus, ſeu conſilii regii ſcitum. XIX. Confoederati Hungari, qui arma in principem ſuum corripuerant, nullo vnquam tempore eapropter in quaeſtionem vocentur: quae bello durante e rebus mobilibus cuicumque rapuerant, impune retineant, ac bona etiam, quae interea ex *Rákotzii* donatione aquiſiuerant, libere, ac in perpetuum poſſideant, vt adeo coniuratio lucro potius cuiuis, quam fraudi ſit, ii vero, qui intemeratam ad eum diem principi ſuo fidem ſeruauerant, iniurias, et damna ſibi illata patienter ferant. XX. Sententia in *Franciscum*
1703 Rákotzium et *Nicolaum* Bertsényium A. 1703. per *Leopoldum* caeſarem lata, nulla, et illegitima fuiſſe pronuncietur, quin potius pro curis, et laboribus ciuili eo bello toleratis praemia vtrique decernantur. XXI. Nobi-

lium

lium regni, Cumanorum item, ac Iazygum priuilegia, et quidquid demum in liberis regni comitiis singulo triennio celebrandis decretum fuerit, illibate obseruetur. XXII. Cunctae gentis leges, constitutiones, pacta conuenta, regiis diplomatibus roborata illaesa permaneant, neque tributa vlla siue nobilibus, siue rusticis, citra comitiorum assensum, possint imponi. XXIII. De his capitibus si caesarem inter, et confoederatos conuentum fuerit, tabulas concordiae Anglus, et Hollandus oratores qua arbitri, et vades calculo suo roborent, tum vero magnates, ac nobiles, qui caesaris partibus hactenus adhaerebant, dignitatibus, et magistratibus publicis ad eum diem gestis se se abdicent: confoederatorum statuum, et ordinum comitia, eademque liberrima celebrentur, horum suffragiis noui regni barones, et magistratus eligantur, atque tum demum de regni reformatione, nouisque constitutionibus edendis deliberetur. Haec vbi *Iosepho* caesari relata fuissent, animaduertit illico sagacissimus princeps, confoederatos, foederis Gallicani fiducia fretos, minime sincero ad pacem ferri animo, ac nonnisi temporis compendia quaerere, quo ea, quae ad bellum prosequendum ipsis adhuc deerant, clam possent apparare: vt tamen *Iosephus* palam faceret, nil a se desideratum fuisse, quo minus Hungariae sua rediret tranquillitas, ad singula confoederatorum capita scripto respondit, nonnulla ex illis probauit, alia ad generalem regni conuentum per se

iudicendum relegauit, cetera denique, quae ſummi imperantis maieſtatem, autoritatemque penitus ſufferebant, atque ad funeſtam cuiuis ciuili ſocietati *anarchiam* in regnum introducendam tendebant, ſalua principis dignitate, et communi ciuium regnicolarum ſalute, concedi non poſſe, eu enter demonſtrauit, qua occaſione et per pacis arbitros, et per legatos ſuos paterne plane confoederatos hortatus eſt, vt diffidentia, et ſuſpicione omni abiecta, ad ſincere ſecum de pace tractandum inducerent animum, experturi, quam clementem, gentisque Hungaricae amantem in ſe nacti eſſent principem, cui hactenus non voluntas, ſed ſola animi ſui ſenſa palam faciendi defuiſſet occaſio. Verum inania tum quoque fuere *Iosephi*, et mediatorum Anglorum, Hollandorumque vota. Quamprimum, quae commemorauimus, caeſaris
1706 reſponſa die XII. Iulii A. 1706. confoederatis ſunt tradita, omnibus poſtulatis ſuis minime ſubſcriptum eſſe, aegre ferentes, ſexto poſt die, miſſo ad arbitros ſcripto, pacis impeditae inuidiam a ſe amoliri, caeſarique allinere ſunt conati, nec mora, ſoluto conuentu vtriusque partis deputati, et arbitri re infecta diſceſſerunt.

§. III.

Rákotzii ad procurandam concordiam conatus inutilis.

Etsi ex eo tempore belli curas resumpserit *Rákotzius*, ea tamen, quae seu *Iuliana* soror, seu comes *Wratislau*, seu denique Anglus orator de instabili Gallorum amicitia, et foederatos suos, vbi propria adest vtilitas, destituendi more, remotis arbitris eidem commemorauerant, ac plurium etiam principum, qui per Gallica foedera infelices redditi erant, exemplis demonstrauerant, altius eius animo infixa haerebant, quam vt illa dissimulare, aut obliuisci posset, quapropter vocatis in consilium confoederationis senatoribus, id consilii arripuit, vt communi nomine literae ad *Ludouicum* XIV. mitterentur, quibus is ad solenne foedus cum confoederatis regni ordinibus ineundum, cautionemque de numquam deserenda eorum societate dandam vrgeretur. Sensit illico *Ludouicus* XIV. quorsum coniuratorum tenderent studia, cumque, quemadmodum summum imperantem decebat, subditorum contra principem seditiones ex animo detestaretur, motusque Hungaricos nonnisi tamdiu, quamdiu rebus suis vtiles erant, fouendos putaret, aperte respondit, se cum *Rákotzio* qua hereditario Transsiluaniae principe foederis societatem haud grauate initurum, illud autem suae regis Galliae dignitati prorsus non conuenire, vt confoederatis regni

ordinibus in legitimum ſuum principem *Ioſephum* caeſarem arma ſtringentibus aliquo foedere ſemet coniungeret, ſicque nomini ſuo apud ceteros Europae principes inuidiam, infamiamque conciliaret. Inexſpectatum hoc e Gallia reſponſum tanti viſum fuit *Rákotzio*,
1707 vt anno inſequente 1707. confoederatorum comitia Onodinum ad cal. Iulias indixerit. Hic perlectis propalam Galliarum regis literis, publicae deliberationi propoſuit, expediretne genti Hungaricae, porro etiam dubiis *Ludouici* XIV. promiſſis fidere, vel potius, deſerta eius ſocietate, pacem a caeſare toties oblatam ſincera voluntate amplecti: an non vniuerſo regno vtilius eſſet, hereditariam ſucceſſionem, quae caeſari quam maxime cordi erat, idmodi conditionibus admittere, quibus priſtinae gentis immunitates, et libertates ſaluae manerent, quam bellum ciuile proſequi, mutuisque caedibus, ac populationibus patriam, ſatis alioquin iam exhauſtam, non ſine communi, priuatoque ſingulorum damno in ſolitudinem, et egeſtatem redigere. Non pauci fuere ex confoederatis, qui belli inordinate ad eum diem geſti taedio affecti, ſinceraque patriae charitate acti, tempeſtiue ad caeſaris gratiam redeundum eſſe ſuadebant, ea etiam de cauſa, quod parum ſpei in Gallorum promiſſis collocandum eſſe peruidebant, poſtquam aperte iam intelligebant *Ludouicum* XIV. ſoli *Rákotzio*, qua Tranſſiluaniae principi, non item coniuratis in caeſarem Hungariae ordinibus foedere aliquo copulari velle. Verebantur

ſcilicet, ne Galli, excluſis penitus Hungaris, concordiam, dum eis vtile videbitur, cum caeſare inirent, atque tum *Ioſephus* externo bello liber copias, viresque omnes in Hungariam traduceret: qua tempeſtate ſi bello ſubigerentur, quid aliud ab irato principe exſpectandum eſſet, quam vt veteribus ſuis libertatibus, praerogatiuis, et iuribus ſpoliati, in perpetuam redigerentur ſeruitutem. Alioquin plerique hactenus experti erant, maximas etiam confoederatorum copias diſciplinae militaris rudes a paucis caeſareis cohortibus foedum in modum ſuperari, profligarique conſueuiſſe. Neque enim apud confoederatam illam rempublicam, in qua et magnas, et nobilis quisque pro libidine imperare, nemo autem alteri ſubeſſe, obtemperareque volebat, vllus in rebus bello ſuſcipiendis ordo, aut norma obſeruabatur, ſed cuncta impetu potius, quam conſilio decernebantur, atque agebantur. Duces, praefectique militiae confoederatae, vt cuique libuit, copias inuito etiam *Rákotzio*, ſecum e caſtris abſtrahere, ac ad varias regni partes foedum in modum depopulandas abducere in more habebant: quo factum, vt diſperſa haec quaquauerſum agmina per caeſareos milites crebris cladibus atterererentur: quodſi autem vniuerſus confoederatorum exercitus vna conuenerat, idoneo capite deſtitutus, mole laborabat ſua, nec quidquam memoria dignum edidit: nam cum *Rákotzius*, *Bertsényius*, et ſummi quique confoederatorum duces militiae rudes, et inexperti eſſent,

nemo fuit, qui ex arte militari vel caſtra idoneo ſitu collocare, vel aciem noſſet inſtruere; vt adeo immenſa illa multitudo ouium inſtar ad macellum duceretur. Saepe quidem multa praeclare, vtiliterque agenda ſuadebant Galli architecti a *Ludouico* XIV. Rákotzianis ſubmiſſi: ſed horum conſilia ſequi, praeſcriptaeque per eos ſeu caſtra metandi, ſeu aciem ſtruendi normae ſemet conformare et *Bertsényius*, et ceteri magnates, atque nobiles turpe, nominique ſuo indecorum exiſtimabant, vnde euenit, vt multi Galli rerum inordinate, perturbateque geſtarum taedio affecti, pedetentim domum diſceſſerint. Ex horum igitur omnium conſideratione, et futurorum metu multos, nec imerito, pacis deſiderium inceſſit, verum potior confoederatorum pars, etiamſi nihil amplius a Gallis auxilii exſpectandum eſſet, bello nihilominus inſiſtendum, nec quacumque demum conditione oblata, ad *Ioſephi* regis ſui obſequium redeundum eſſe ferociter vrgebant. Multi ſcilicet e primoribus, vt *Rákotzius* ipſe ſuo in diario conqueritur, multo aere alieno vltra facultatum ſuarum vires oppreſſi, niſi hoc omne ſibi condonaretur, nihil e pace commodi ſibi acceſſurum perſpiciebant: alii, qui ex conciuium, immo etiam cognatorum ſuorum ſpoliis, atque rapinis immenſas opes corraſerant, aut qui illuſtrium familiarum caeſareas partes ſequentium bona, et poſſeſſiones contra fas per *Rákotzium* ſibi donari impetrauerant, a facienda rerum inique obtentarum reſtitu-

tione in perpetuum immunes pronunciari cupiebant. Plurimi denique in funesta illa hominum nullo certo fine, nulla item lege coniunctorum societate, atque *anarchia*, nullum summum imperantem habere, nullius imperiis parere, quiduis pro arbitrio agere, rapto denique viuere ipsa temporis diuturnitate vltra modum assueuerant: qui cum sua vnice commoda curarent, neque communem chariſſimae patriae felicitatem prae oculis haberent, ab omni pacis tractatione abhorrebant: vt autem obstinationem suam specioso aliquo aequitatis velo obtegerent, propalam in conuentu iactabant, *Iosephi* caesaris promissis etiam iuramento, aut quauis alia cautione roboratis minime fidem habendam esse: etsi plerisque confoederatorum postulatis nunc ille subscribat, pace tamen composita, cum sibi nil amplius timendum viderit, pristinas gentis libertates, atque praerogatiuas inuasurum, neque quieturum, quam euerso penitus veteri regni sistemate: praeterea, etsi generalem omnibus veniam, et belli contra se gesti perpetuam spondeat obliuionem, numquam tamen confoederatos, eorumdemue posteros vitae, rerumque suarum securos fore. Sic cum alii pro complectenda pace, alii contra caesarem magna animorum contentione perorarent, disceptatio in iurgia, et caedes desiit. *Bertsényio* cum suis praeualente, ea maximis etiam *Rákotzii*, et bonorum omnium ingratiis in Onodiensi conuentu perlata sunt, quae omnem omnino patriae ad quietem reuocan-

dae ſpem adimebant ; Poſonienſium enim comitiorum autoritate abolita, antiquataque hereditariae ſucceſſionis conſtitutione, decretum fuit, ſolium regni Hungarici vacare, nec cuiquam aliquid in illud eſſe iuris (*a*): Hungariam omni deinceps rege carituram, ac Hollandorum, Heluetiorumque imitatione, ad liberae reipublicae formam redigendam: gubernandam illam per ſenatum e baronibus, magnatibus, nec non e comitatuum, et regiarum ciuitatum legatis conflandum: Auguſtanam, et Helueticam confeſſionem iisdem cum Catholica religione iuribus, et praerogatiuis fruituram. Quia vero non ignorabant confoederati praelatos, barones, atque

(*a*) Deteſtando huic ſenatusconſulto ſolenni ſcripto publico interceſſit *Paulus* S. R. I. princeps Eſzterhá'i regni palatinus, euidentiſſimisque rationum momentis ex iure patrio petitis oſtendit, *Iosephum* I. verum, legitimum, ac hereditarium eſſe Hungariae regem, et dominum. Interceſſioni huic adſcripta erant nomina praelatorum, baronum, magnatum, nobilium, ac liberarum, regiarumque ciuitatum legitimi principis ſui partes tuentium: fuere autem in hac ſerie praeter Strigonienſem, et Colocenſem archiepiſcopos, conſecrati epiſcopi octo, non conſecrati duodecim, barones regni vndecim, magnates quadraginta, canonicorum capitula ſex, liberae, et regiae ciuitates tredecim, ac denique Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae banus cum praedictorum trium regnorum praelatis, baronibus, magnatibus, atque nobilibus. Ex quibus perſpicuum fit, non omnes Hungaros Rákotzianae coniurationi fuiſſe implicitos.

nobiles, qui auguſtae domus Auſtriacae partes magna conſtantia, et fortitudine ad eum diem defenderant, nouae huius reipublicae inſtitutioni, patriaeque ſuae euerſioni totis viribus obſtituros, eo audaciae proceſſerunt, vt *Paulo* principi Eſzterházi regni palatino, *Ioanni* comiti Pálfi Dalmatiae, et Croatiae bano, ac praecipuis tam e ſacro, quam e ſeculari ordine viris *Ioſepho* addictis, perpetuum e patria exilium dictauerint, quaſi vero laeſae maieſtatis crimen fuiſſet intememeratam legitimo regi ſuo fidem ſeruauiſſe. Decreta haec, et alia his conſimilia poſtquam propalam recitata ſunt, multi non acatholici minus, quam Catholici nobiles iisdem interceſſerunt, quos inter cumprimis memorandi ſunt *Melchior Rákouſzki*, et *Chriſtophorus Okolitsányi*, qui et voce, et ſcripto Turotzienſis comitatus nomine conuentui oblato, ceſſandum demum a bello ciuili, velut patriae pernicioſo, ac ad legitimi principis toties oblatam gratiam, et obſequium redeundum eſſe, grauiſſimis rationum momentis contenderunt: quod optimorum virorum ad pacem reuehendam ſtudium adeo nonnullos ſui impotes in rabiem egit, vt vtrumque e comitiorum loco eiectum, multis conciderint vulneribus, ac ille quidem continuo ibidem animam egit, *Okolitsányius* autem etſi lethaliter ſaucius, haud diu ſuperſtes fore videbatur, triduo tamen poſt propalam carnificis manu obtruncatus fuit (*a*). Ceteri demum

(*a*) Caroli VI. decreti I. art. XLVI.

ſaniorum conſiliorum autores, aut conſcii cuſtodiae dati, vel in careeres coniecti, bonis omnibus ad aliquid pro communi ſalute deinceps loquendum, aut agendum animos ademerunt. His Onodini actis, *Rákotzium* adegere confoederati, vt in Tranſſiluaniam, cuius princeps a factioſis quibusdam electus fuerat, ſe conferret, plenamque prouinciae illius poſſeſſionem adiret. Verum conſilium hoc peſſimum exitum habuit, *Rákotzius* enim per Germanum militem, Tranſſiluanosque caeſari adhaerentes eodem adhuc anno tota ea prouincia eiectus, profligatusque fuit.

§. IV.

Noua caeſaris ad pacem procurandam ſtudia.

Ioſephus caeſar de Onodienſis conuentus decretis rite edoctus, datis ad omnes regni comitatus literis, luculentiſſima ſua in regnum Hungaricum iura egregie tuitus, omnia ibidem contra maieſtatem ſuam, regnique ſui ſalutem, et libertatem acta, atque concluſa pro ſummo iure ſuo proſcripſit. Nouum ex aduerſo peculiaris ſuae in gentem Hungaram beneuolentiae, atque clementiae ſpecimen edidit, dum confoederatos omnes ad haben-
1708 da anno inſequente 1708. generalia regni comitia Poſonium ad diem XXIX. Februarii inuitauit, fide regia ſancte pollicitus,

ſe omnibus, quae hactenus ſubditos a principe diuiſerant, diſſidiis fontem obſtructurum. Aderant ibi ad praeſtitutum diem cum palatino *Eſzterházio* partium caeſaris antiſtites, magnates, atque nobiles magno ſane numero, quin tamen vllus e confoederatis aduenerit. Caeſar comitiorum nomine Poſonium inuitatus geminos ſui loco deſtinauit commiſſarios, qui vna cum regni ordinibus per plures menſes Rákotzianos incaſſum poſtea exſpectarunt, vſquedum funeſta peſtis contagio pluribus Hungariae locis graſſari incipiens, comitia ſolui coegiſſet. Multae nihilominus de ordinanda, ac ad meliorem ſtatum redigenda vltra modum perturbatae, ac labefactatae iam gubernationis Hungaricae forma, diſceptationes per id tempus habitae ſunt, plurimaeque leges deſcriptae, quae ſubinde comitiis A. 1715. Poſonii terminatis 1715
normae inſtar deſeruiuere: neque paucae tum de exſtinguendi belli ciuilis ratione, deque confoederatorum animis caeſari conciliandis inſtitutae fuerunt deliberationes. Cetera inter illud caeſari maiorem in modum commendatum fuit, vt datis ad belliduces ſuos mandatis, ſeuere interdiceret, ne confoederati bello capti, aut in carceres coniicerentur, aut ſuppliciis afficerentur, quin potius ea prorſus illorum, quae alterius nationis militum captiuorum, ratio haberetur: quod ipſum *Eugenius* quoque caeſari ſuadebat, atque vna autor erat, vt, ſi quos e belliducibus Germanis ob inhumanitatem in Hungaros aliquando exercitam, genti inuiſos ha-

beret, ab adminiſtrando in Hungaria bello ſine mora remoueret. Qua in re cum *Ioſephus* recte monentibus morem geſſiſſet, multi ex confoederatis ea clementia permoti, caeſareis partibus fauere coeperunt. Neque parum huc contulit clades die III. Auguſti
1708 A. 1708. confoederatis ad Trentſinium illata, vbi trigeſies mille Rákotziani a ſex millibus caeſareis foedum in modum profligati caſtris, impedimentisque omnibus ſpoliati ſunt. Sub idem tempus *Clemens* XI. Romanus pontifex de Hungariae ſe ipſam atterentis calamitatibus edoctus, breue die XVII.
1709 Auguſti A. 1709. ſignatum ad *Chriſtianum Auguſtum* Saxoniae ducem Hungariae primatem dedit, in quo eum exhortatur, vt confoederatos, praeſertim eccleſiaſticos, ac religioſos ad legitimi regis ſui obedientiam reuocare ſatageret, ſententiamque excommunicationis in eos promulgaret, qui a confoederatorum ſocietate nollent diſcedere. Quae pontificis mandata cum primas diligenter executus fuiſſet, multique ſacerdotes ea de cauſa Rákotzianis, niſi confoederationem ex animo deſerere vellent, ſacramentalem abſolutionem denegaſſent, plurimis Catholicis religio iniecta fuit, vt praecipui quique cum *Rákotzio* ipſo concordiae cum caeſare ineundae vias omnes ſollicite circumſpicerent.

§. V.

Caesar Ioannem Pálfi pacis arbitrum constituit.

Sic praeparatis confoederatorum animis, tempore vtendum [illegible]atus *Iosephus*. vulgatis per regnum literis, promissa omnibus sponte ad obsequium redituris gratia, supremum iam *Rákotzianis* obtulit pacis tractationem. Vt autem facto ipso declararet, quam sincero ad fauendum genti Hungaricae ferretur studio, comiti *Ioanni* Pálfi Dalmatiae, et Croatiae bano pacis arbitrium detulit, plenamque concordiae sanciendae fecit potestatem. In arcanis mandatis haec duo solummodo, a quibus nullo pacto ausit recedere, eidem commendata sunt, vt hereditaria domus Austriacae in Hungaria successio, generalium regni comitiorum autoritate stabilita, tum vero articuli XXXI. bullae aureae abolitio salua in perpetuum manerent: quod autem ad cetera confoederatorum postulata pertinet, annuit caesar, si modo omnes, et singuli solenne fidelitatis sacramentum legitimo regi suo nuncupare in animum inducerent, vt aliis pro arbitrio suo subscriberet Pálfius, alia ad generalia regni comitia, primo quoque tempore habenda, reiiceret. Talibus igitur instructus mandatis *Pálfius* sub exitum A. 1710. aliquot mensium inducias cum confoederatis pepigit, tum vero data, et accepta securitatis fide, seorsim cum *Rákotzio* in vico *Vaia* dicto conuenit. Post mutua salu- 1710

tationum officia, noctem integram remotis arbitris colloquendo transegerunt. Hic *Pálfius Rákotzio* explicuit, summam adesse concordiae, quam caesar vltimo offerebat, et opportunitatem, et necessitatem, quae si respueretur, caesarem iusta correptum indignatione, quauis honesta conditione pacem cum *Ludouico* XIV. sanciturum, vt vires suas omnes frangendis confoederatis posset impendere, qua tempestate nullam eos prorsus caesareae militiae resistendi spem habere posse, vt qui ab exigua regularis militis manu, toties tam turpiter se caesos, debellatosque vidissent. Quodsi porro caesareorum armorum vi aliquando adacti sub iugum mitterentur, actum omnino fore de omnibus iuribus, praerogatiuis, et libertatibus gentis Hungaricae, ad quas postrema hac adhuc pacificatione conceuendas, *Iosephus* adeo prono, liberalique esset animo. Tum enimvero Hungaros iure armorum subactos non iam veteribus suis moribus, sed illis, quas victor caesar dictaturus esset, legibus in perpetuum victuros. Assentirentur itaque confoederati hereditariae successioni, solenni comitiorum constitutione stabilitae, a qua nil prorsus iuribus, praerogatiuis, libertatibusque suis timendum haberent, quod haec omnia caesar in integrum restituturus esset: finerent aboleri funestum illum, ac apud nullam rite constitutam ciuitatem tolerandum *Andreae* II. art. XXXI. qui toties ciuilibus bellis non sine patriae excidio occasionem praebuisset, iis denique legibus viuere de-

inceps in animum inducerent, quibus et ſummi principis iura ſalua manerent, et vna perpetua ſubditorum felicitas conſtabiliretur. Affirmauit praeterea *Rákotzio*, *Ioſephum* propenſo adhuc in eum eſſe ſtudio, dempto Tranſſiluaniae principatu, nullo pacto amplius a regis Hungariae iuriſdictione auellendo, nihil ei honoris, aut dignitatis negaturum, ac inſuper auita Rákotzianae domus bona omnia integra fide reſtituturum: id vnum ageret, plenis ſubmiſſionis, ac fiduciae literis veniam ab optimo caeſare deprecaretur, id quod ille etiam poſtea inſciis confoederatis praeſtitit. His *Pálfii* ſermonibus non mediocriter compunctus *Rákotzius* candide confeſſus fuit, dudum ſe iam confoederatam illam rempublicam, in qua quiuis imperare, obedire nemo vellet, in qua rapinae, caedes, ac grauiſſima quaeque crimina impunita manerent, ex animo faſtidiuiſſe, non fuiſſe tamen ſuae poteſtatis quidquam hactenus et pro ſua, et pro communi patriae ſalute cum caeſare tranſigere, quod citra confoederati ſenatus ſcitum nihil ei conſtituere licebat: acturum ſe tamen apud eos, ne inſignem hanc caeſaris clementiam reſpuerent, expunctisque enormibus ſuis poſtulatis, aequitati conformes, ſummique imperantis maieſtati nequaquam contrarias concordiae conditiones proponerent, queis caeſar ſalua dignitate ſua poſſit ſubſcribere.

§. VI.

Difficultates a confoederatis comiti Pálfi obiectae.

Dimiſſo colloquio, ad confoederatos reuerſus *Rákotzius* eorum, quae cum *Pálfio* egerat, rationem reddidit, appoſitaque oratione omnes ad amplectendam caeſaris gratiam, pacemque demum honeſtis conditionibus ſanciendam excitare conniſus fuit: ac vt ipſe praeclaro ceteris exemplo praeiret, coram Tranſſiluanorum legatis, eo in conuentu praeſentibus, omni illi iuri, quod ex quorumdam electione in Tranſſiluaniam habere videbatur, propalam renunciauit. Verum non eadem confoederatis ceteris, quae duci mens fuit, multi optimae *Ioſephi* caeſaris voluntati per *Pálfium* ſibi declaratae diffidentes, exterorum principum vadimonium expetendum eſſe contendebant, quae res pacis tractationem in longius tempus dilatura erat. Anglus enim, et Hollandus oratores, inutiliter toties tentatae negotiationis taedio correpti, dudum iam ex Hungaria diſceſſerant, mediationisque officio aularum ſuarum iuſſu valedixerant, alii autem Europae principes tam cito conueniri non poterant: alii, qui confecta pace ad res inique ablatas legitimis ſuis dominis reſtituendas, ſe vi legum regni condemnandos eſſe praeuidebant, aut qui rem ſuam familiarem omnem peſſumdederant, nec quidquam priuati lucri e pace ſe conſecuturos ſperabant, bellum porro etiam continuandum

tinuandum vrgebant, turpe esse iactantes, fine, quem sibi praefixerant, non obtento, ab armis discedere: cumque et *Rákotzius*, et alii saniora cogitantes inordinate, pessimeque hactenus gesti belli damna oggererent, nullamque ea, quam hactenus tenuerant, pugnandi ratione, caesaris debellandi, Hungariaeque a dominatu domus Austriacae abstrahendae, spem esse posse, multis rationum momentis explicarent, non defuere, qui copiosa Russorum auxilia propediem confoederatis suppetias latura somniabant, ac, si neque haec tempori adessent, gloriosius multo fore, vitam pro libertate ponere, quam se se caesaris obsequio submittere contendebant. Sic distractis confoederatorum ordinum voluntatibus, cum nihil concludi videret *Rákotzius*, singulos ad hyberna discedere iussit, primo vere anni insequentis 1711. Husztum Marmarosiensis prouinciae 1711
arcem ad habenda iterum comitia redituros, ipse vero a *Bertsényio*, ceterisque, qui eum a fiducia in caesarem, ac ab omni cum comite *Pálfi* congressu prohibere nitebantur, inductus, Scholam, Poloniae oppidum, se recepit.

§. VII.

Pálfius Alexandri Károlyi opera optatam pacem conficit.

Nihil hoc *Rákotzii* in Poloniam diſceſſu acerbius accidere poterat *Pálfio*, quod creberrimis a *Ioſepho* nunciis, mandatisque vrgeretur, vt finem demum fatali bello quantocyus imponeret; quapropter cum videret nil amplius cum abſente *Rákotzio*, per *Bertsényium*, aliosque eiusdem ſenſus confoederatos obſeſſo, poſſe tranſigi, *Alexandrum* Károlyi, qui diſperſis per hyberna ſumma cum poteſtate praeerat, facile partibus ſuis conciliatum eo permouit, vt is fidem dederit, ſe operam omnem ad accelerandam pacem collaturum. Itaque cum *Alexander* Károlyi, et quos ille in conſilium delegerat, confoederatorum primores nonnulli aliquot vicibus cum *Pálfio* conueniſſent, concordiae cum caeſare ineundae ratio mutuo conſenſu in certa capita digeſta, deſcriptaque fuit, quibus et communibus totius gentis iuribus, et *Rákotzii* quoque commodo abunde cautum erat. Tabulas has *Károlyius* ipſe non ſine capitis diſcrimine in Poloniam ad *Rákotzium* detulit, maiorem in modum orans, vt quoniam pax et ei ipſi, et toti patriae vtilis, honeſtaque eſſet, ſuomet eam calculo roboraret, ſpondens fore, vt quotquot in Hungaria reſtiterant confoederatorum primores, eius exemplum ſine mora ſequerentur.

Rákótzius, etſi nihil, quod prudenter opponeret, inueniret, ſpem tamen inter, ac metum diu anceps haeſit, quod *Bertsényius* ſuſpectam illi caeſaris fidem reddere conaretur, ac, ſi ad obſequium rediret, rurſum ex inſidiis intercipiendum, carcerique mancipandum vaticinaretur, quin etiam autor fuit *Rákotzio*, vt *Alexandrum* Károlyi, quod cum *Pálfio* clam colludere videretur, in vincula coniiceret: verum *Rákotzius*, qui viri integritatem optime perſpectam habebat, ab omni in eum maleficio abſtinuit, libereque in Hungariam redire permiſſum *Pálfio* non tam ex ſuo, quam ex Bertsényii, aliorumue ſenatorum ibidem praeſentium ſenſu, renunciare iuſſit, ſe primo vere, vt conſtitutum erat, Huſzti adfuturum, habitoque illic pleno confoederatorum ſenatu, ſtabiliendae concordiae conditiones communi conſilio deſcripturum. Noua haec mora vehementer diſplicuit *Pálfio*, vtqui de felici negotiationis exitu ſpem exiguam concipiebat, ſi ea comitiorum fluctibus agitanda proponeretur. Hac cura anxio, noua ab *Eleonora* auguſta imperatrice redduntur pacis accelerandae mandata, vnaque clam nunciabatur, *Ioſephum* caeſarem fatali morbo ad extrema deductum, citra longioris vitae ſpem decumbere. Eo nuncio ad rem maturandam commotus *Pálfius*, *Alexandro* Károlyi maiorem in modum autor fuit, vt quoniam *Rákotzio*, *Bertsényio*que in Polonia abſentibus, ſumma apud confoederatos pollebat autoritate, delectos ex iis primores nulla interpoſita mora conuenire

iuberet, quibuscum quantocyus de pace transigeretur. Paruit *Károlyius*, ac non exspectato Huſztenſis conuentus termino, confoederatos Nagy-Károlyinum conuocauit: ex his porro pauci, iudicio *Károlyii*, delecti ſunt ſenatores, qui habitis cum *Pálfio* Szathmarini commorante aliquot conſultationibus, propoſitas ſibi caeſaris nomine conditiones
1711 die XXIX. Aprilis A. 1711. prona voluntate ſunt amplexi. Quas tum *Pálfius* pacis arbiter caeſaris nomine ſubſcripſit, ac ſubinde *Eleonora* auguſta imperatrix, quam *Ioſephus* moriens omnium hereditariarum prouinciarum plena cum poteſtate gubernatricem inſtituerat, ac *Carolus* frater in Hiſpania tum abſens, confirmauerat, ſolennibus literis acta omnia rata habuit. Atque hunc in modum citra Angli, et Hollandi oratorum, aut aliorum exterorum principum vadimonium, *Ioannis* Pálfii, et *Alexandri* Károlyi, clariſſimorum eius aeui virorum, opera Hungaros inter, et auguſtam domum Auſtriacam pax coaluit, nullis vnquam machinis, nullone tempore abrumpenda.

§. VIII.

Praecipuae quaedam conditiones pacis Szathmarinenſis.

Vt *Ioſephi* caeſaris in proponendis pacis conditionibus aequanimitatis, atque clementiae magnitudo eluceſcat, praecipua quaedam

eius capita hic referemus. De *Francisco* Rákotzio ita constitutum, vt intra dies XV. seu per se, seu per legatum plena agendi potestate scripto instructum, aut, si iustis de causis id tam cito praestare prohiberetur, serius etiam concordiae tabulis subscriberet, solenneque fidelitatis iuramentum legitimo regi suo nuncuparet. Quo subiectionis officio defunctus, non modo pro se, filiisque suis vitae gratiam, verum etiam pristinos honores, et bona omnia reciperet, ea tamen adiecta lege, vt Munkátsinum, Sárosinum, ac in alias aliquot munitas ditionum suarum arces caesarei militis e publico regni aerario alendi, praesidium admitteret. Quodsi autem vel pudore, vel inani quodam metu absterritus, in Hungariam redire abnueret, liberum illi esset in vicina Polonia, aut alibi, vbi mallet, stabile domicilium figere, bonorumque suorum redditibus absque omni diminutione vti, modo ne quid vnquam aduersus iuratam fidem in regem, et patriam moliretur. Ad gratiae cumulum obtulit ei caesar vtrumque filium *Franciscum*, et *Georgium*, qui aliquot abhinc annis in eius venerant potestatem: ac istud quidem ad *Rákotzii* personam pertinuit, quo, haud scio, an benignius aliquid cogitari potuerit. Quod ad ceteros magnates, nobilesque ciuili eo bello implicitos attinet, his pariter, praestito prius fidelitatis sacramento, data vitae gratia, et bonorum omnium, ante ciuile bellum possessorum, tametsi ea iam alienis in manibus versarentur. Clementia haec etiam

ad captiuos, quin et defunctorum confoederatorum posteros extensa fuit. Securi insuper redditi omnes, et singuli, nemini eam secessionem fraudi, damnoue fore, neque vllum eapropter vnquam in ius vocandum; intestini enim huius motus vel memoriam ipsam adeo aboleri voluit caesar, vt seuerarum poenarum, et perpetuae infamiae sanctione interdixerit, ne quis seu ciuilium magistratuum, seu militarium praefectorum, secessionem hanc cuicumque demum Hungaro per contumeliam ausit obiicere. Fidem quoque dedit caesar, se Hungarorum aeque, ac Transsiluanorum iura, et immunitates, patriis legibus, vel comitiorum generalium decretis roboratas sancte obseruaturum, ciuiles non minus, quam militares, ac ecclesiasticas in regno dignitates solis indigenis collaturum, acatholicis demum lege stabilitum religionis exercitium concessurum: quod si quae singulares, aut toti genti communes, aut priuatorum supereſſent querimoniae, iis in proxime habendis regni comitiis satisfactum iri. Quo tempore certi essent confoederati, *Iosephum* caesarem nihil eorum, quae pro gloria, vtilitate, et solatio gentis Hungaricae viderentur, denegaturum. Tanta caesaris clementia, et aequanimitate mirifice exhilarati ordines confoederati, calen-
1711 dis Maii eiusdem anni, iuxta praescriptam sibi a comite *Pálfi* formulam, fidem suam non iam solum *Iosepho* caesari, verum etiam legitimo eius in regno Hungariae successori Szathmarini obligarunt. Non abs re ea

in formula ſucceſſoris mentio facta. *Ioſephus* enim tertio decimo abhinc die, videlicet XVII. Aprilis Viennae obierat, germano fratre ſuo *Carolo* omnium ditionum Auſtriacarum herede, ſucceſſoreque relicto, mors tamen eius nemini apud Hungaros, niſi *Pálfio*, *Károlyio*que nota fuit, quod ea ſtudioſe celaretur, dum eius nuncium ad *Carolum* in Hiſpaniam poſſet perferri. Tabulae concordiae *Ioannis* Pálfi ab Erdöd Dalmatiae, ac Croatiae bani, generalis campi mareſchalli, qua caeſaris plenipotentiarii, nec non *Alexandri* Károlyi, et ceterorum confoederatorum ſenatorum nominibus, ſigillisque munitae, ſine mora ad *Rákotzium* in Poloniam ſunt transmiſſae, quibus adiunctae erant complurium amicorum literae, maiorem in modum orantium, vt pulcherrima hac cum caeſare in gratiam redeundi, resque ſuas recuperandi occaſione vterentur. Verum ille redeunte idemtidem periculi, quod ſub *Leopoldo* adierat, et carceris Neoſtadienſis memoria, inanes de minus ſincera in ſe *Ioſephi*, totiusque aulae caeſareae voluntate ſuſpiciones, timoresque vt poneret, induci non potuit, ac *Nicolai* Bertsényii, ceterorumque eiusdem ſenſus ſenatorum apud ſe praeſentium conſiliis in transuerſum actus, paci ſubſcribere per ſummam imprudentiam recuſauit, quin eo demum ſe induci paſſus fuit, vt ampliſſimorum, quae ſibi *Ludouicus* XIV. ſi bello ciuili ſuccumberet, olim ſpoponderat, promiſſorum ſpe ſe ſe lactans, ſpontaneum ſubinde ſuis cum ſociis apud Turcas elegerit

exilium, vbi parce admodum ſubminiſtratis ſibi a Pariſina aula ſtipendiis vſus, vitam
1735 vſque ad diem VIII. Aprilis A. 1735. produxit, culpa ſua infelix; nam cum oblatam ſibi tam a *Ioſepho*, quam a *Carolo* VI. gratiam amplecti ſat longo tempore neglexiſſet, generalium comitiorum autoritate A.
1715 1715. vt patriae hoſtis, bonorum publicatione, et perpetua infamia notatus fuit (*a*). Ceterum mox a confecta Szathmarini pace, nihil antiquius habuit *Pálfius*, quam vt confoederatum militem, accepto prius fidelitatis iuramento, ſine mora ad arma deponenda, laresque ſuos repetendos adigeret: in binis quippe caſtris prope quinquaginta armatorum millia in vnum collecta numerabantur, quos inter duodecies mille delecti pedites *Rákotzii*, armis affatim inſtructi, arteque militari egregie exercitati eminebant, vt adeo non tam copiarum paucitati, aut apparatus bellici penuriae, quam ducum imperitiae adſcribendum fuerit, quod confoederati tam florente cum exercitu exiguas caeſaris in Hungaria copias toto eo bello ſuperare, profligareque nequiuerint. Quapropter cum *Pálfius*, nec immerito, vereretur, ne dicta forte *Ioſephi* caeſaris obitus fama, *Rákotzius*, et *Bertsényius* in Hungariam reuolantes exercitu illo, vna adhuc collecto, abuterentur, ruptaque nullo negotio pace, bellum recrudeſceret, prudente ſane conſilio

(*a*) Caroli VI. decreti I. art. XLIX. LII. et LIII.

milites, queis porro in armis seruiendi erat animus, caesareis signis, copiisque adscripsit: ceteros autem omnes, nulla interposita mora, domum redire iussit.

§. IX.

Iosephi obitus, et memoria.

Hunc in modum diuturna illa tempestas, quae armis frangi non potuit, optata demum, gentique Hungaricae vtilissima pace dissipata fuit. Tametsi autem tranquillitatis restitutae laudem iure sibi vendicet *Iosephus* imperator, fructibus tamen illius frui non potuit, e malignis variolis in ipso aetatis flore die XVII. Aprilis A. 1711. exstinctus. Pri- 1711
usquam animam ageret, *Mariam Eleonoram* augustam matrem, vitae probitate, prudentiaque spectatissimam ditionum omnium gubernatricem constituit, quam ei dignitatem *Carolus* quoque in Hispania absens, calculo suo roborauit, atque domum redux, et pacem Szathmarienſem ab eadem subscriptam, et cetera omnia a morte *Iosephi* per eamdem acta solenni ritu confirmauit. Mors porro *Iosephi* caesaris eo acerbior accidit omnibus, quo breuiore tempore rerum potitus fuit, vt ostensus potius terris, quam concessus videretur. Fuit is statura mediocri, vultu autem, et totius corporis conformatione adeo

elegante, vt omnes ante se principes Austriacos formae praestantia superasse diceretur. Maiestatem rara comitate, ac in omne hominum genus facilitate temperabat, vt magis amaretur a suis, quam timeretur. Ingenii, iudiciique vi tanta pollebat, vt grauissima, et maxime inuoluta negotia, quam celerrime ad fundum vsque penetraret, aptissimaque et locis, et temporibus in promptu responsa daret. Aliena consilia audiebat perlibenter, regere tamen malebat, quam regi: vt adeo aulae administri non ea, quae vellent, sed quae summo imperanti placuerant, agere cogerentur. Iustitiam fere semper benignitate leniebat, grauiter etiam offensus numquam implacabiles concepit iras: ab omni partium, aut nationum studio alienus, candido, apertoque in commune subditorum populorum bonum ferebatur studio. Ad disciplinarum, quae principibus etiam necessariae sunt, cognitionem, plurimarum linguarum notitiam adiecit, vt cum singulis subditis gentibus proprio loqui nosset idiomate. Decimo octauo aetatis anno Latine, Germanice, Hungarice, Bohemice, Italice, Hispanice, Gallice promte et scribebat, et loquebatur. Tantus igitur cum esset *Iosephus*, merito ab Hungaris deploratus fuit, qui toto sexennalis regiminis tempore, ciuili bello implicitum, nonnisi ab eius obitu, quantum principem amisissent, sentire coeperunt. Coniugem habuit *Wilhelminam Amaliam*, *Ioannis Friderici* Hannouerani ducis filiam, ex qua geminas sustulit filias: alteram *Iosepham Au-*

guſto II. electori Saxoniae, et Poloniae regi nuptui traditam: alteram *Mariam Amaliam Caroli* Bauariae electoris, et huius poſtea nominis VII. imperatoris coniugem.

CAROLVS III.

REX XLVIII.

A. C. 1711.

§. I.

Regni Hungarici hereditariam poſſeſſionem adit.

Stabilita iam apud Hungaros auguſtae matris *Eleonorae* opera pace, *Carolus* huius nominis III. hereditarius Hungariae rex conſcenſa naui Anglica die XVI. Septembris A. 1711. Barcinone ſoluit, atque Hiſpaniam, 1711
cuius hereditarium ius decem ipſos annos contra *Philippum* Andegauenſem, *Ludouici* XIV. Galliae regis nepotem, ſucceſſu minus proſpero perſecutus erat, aeternum deſeruit. Facto per Genuam, Mediolanum, et Tyrolim itinere, Francofurtum delatus, die XXIV. Decembris a. e. Romani imperii coronam ſuſcepit. Inde Viennam die VIII. Februarii an-

1712 no inſequente 1712. reuerſus, poſtquam hereditariarum ditionum omnium gubernacula pleno iure ſuſcepit, eo ſtatim principem curam vertit, vt quaſſatae ſuperiorum bellorum motibus Hungariae ſuam tranquillitatem, felicitatemque redderet. Generalia igitur comitia in diem III. Aprilis a. e. Poſonium conuocari iuſſit, non ſolum vt inaugurationis ſolennia veteri more, ac inſtituto ibidem peragerentur, verum etiam, vt quemadmodum pace Szathmarinenſi cautum fuerat, domeſticorum diſſidiorum cauſae, ac communes toti genti querimoniae examinarentur, ac per opportunas leges tollerentur. Priusquam coronatio perageretur, ordines Hungari quinque capita hereditario regi ſuo ſcripto porrexere, orantes, vt de iis deinceps obſeruandis per ſolennes literas cautionem daret (*a*). I. Vt veteri regis eligendi iure ſublato, atque articulo XXXI. bullae aureae in perpetuum abolito, ceterae gentis immunitates, et priuilegia ſalua remanerent. II. Vt ſacrum diadema cuſtodum magnatum fidei creditum in Hungaria aſſeruaretur. III. Vt ditiones olim ad Hungariam ſpectantes, armorumque caeſareorum vi feliciter iam recuperatae, aut deinceps recuperandae ceu membra reliquo corpori monarchico reſtituantur, regnique iurisdictioni, ac gubernationi ſubiiciantur. IV. Vt ſi *Caro-*

(*a*) Dedit has Poſonii die XXI. Maii A. 1712. in codice iuris patrii Caroli VI. decret. I. art. II.

lum citra ſobolem maſculam decedere contingeret, liberum eſſet Hungaris priſtinum regis eligendi ius. V. Vt hereditarii reges tempore inaugurationis ſuae de horum capitum obſeruatione, et ſolenni diplomate, et iureiurando ordines regni ſecuros redderent. (*a*). Haec vbi *Carolus* rata habuiſſet, coronatio die XII. Maii A. 1712. per *Chriſtianum* 1712
Auguſtum Saxoniae ducem S.R.E. cardinalem, Strigonienſem archiepiſcopum ſincera cum vniuerſorum regni ordinum laetitia, atque gratulatione peracta fuit. Hac occaſione *Carolus* conſuetum iusiurandum nuncupauit de gentis Hungaricae immunitatibus, iuribus, priuilegiis, antiquis item bonis, et approbatis conſuetudinibus obſeruandis. Qua generali cautione ne ad omnes veteres praerogatiuas, leges, et conſuetudines absque diſcrimine obſtringeretur, eam, quam *Ioſephus* I. A. 1687. iuramenti formulae inſe- 1687
ruerat, exceptionem, explanationemque adiecit his verbis: *prout ſuper eorum intellectu, et vſu, regio, ac communi ſtatuum conſenſu dietaliter conuentum fuerit.* Coronationis honos biennio poſt obtigit auguſtae caeſaris coniugi, *Eliſabethae*, quo tempore *Carolus*, vt inſignia cardinalis Saxonis in Auſtriacam domum, et rempublicam merita remuneraretur, cunctis eiusdem in archiepiſcopatu Strigonienſi ſucceſſoribus S.R.I. principum titulos diplomate die IX. Decembris A. 1714. e- 1714

(*a*) Ibidem.

dito contulit, ob quod auguſto caeſari publicae ab ordinibus regni gratiae actae ſunt (*a*).

§. II.

Quaepiam in re ciuili conſtituta.

Per eamdem comitiorum opportunitatem optabat *Carolus*, vt mala omnia, quae inteſtinorum motuum tempore vniuerſas adminiſtrationis partes foedum in modum coruperant, communibus conſiliis tollerentur, ac tota regni gubernatio ſapientiſſimis conſtitutionibus inſtauraretur: verum lue peſtifera ſubito exorta, conuentum ſolui tum oportuit, biennio autem poſt rurſum conuocati ordines priores curas reſumſere, protractisque vſque
1715 ad A. 1715. deliberationibus, multa in communem patriae ſalutem decreta pertulere, quae caeſar die X. menſis Iunii eodem anno ſuprema ſua autoritate roborauit. Nos eorum, quae in vtriusque reipublicae commodum ibidem ſancita fuere, nonniſi praecipua capita ſeorſim explicabimus. Ad ciuilem regni gubernationem pertinent ſequentia: Comite *Nicolao* Pálfi ab Erdöd in *Pauli* S.R.I. principis Eſzterházi paulo ante comitia de-

(*a*) Citati decret. art. CXI.

mortui locum ad palatini dignitatem euecto, et huius et iudicis curiae, et bani denique autoritas, ac iurisdictio certis legibus conſtabilita ſunt (*a*). Confirmatis pactis Szathmarinenſibus, illis, qui mox miſſo confoederationi nuncio ad legitimi principis ſui obſequium redierant, vitae gratia, ac bonorum inſuper, certis tamen legibus, reſtitutio decreta: *Rákotzio* autem, et *Bertsényio*, qui oblatam ſibi veniam ad praeſtitutum tempus amplecti detrectabant, publicatis bonis, perpetua infamia, ac aeternum e patria exilium dictatum (*b*). Quorum decreta in patriae, et priuatorum perniciem, variis locis, et temporibus edita, ne cuiquam fraudi, damnoue aliquando eſſent, vniuerſa conuentuum, a confoederatis celebratorum acta, et facta pro irritis declarata, proſcriptaque ſunt (*c*). Vt porro ſeditionibus, domi ciendis, omnis deinceps opportunitas tolleretur, neue priuilegio illo, quo nobilem, cuiuscumque criminis noxium legitime prius citari oportebat, nefarii homines abuterentur, prouide ſancitum, vt omnes laeſae maieſtatis, et perduellionis rei, (*d*) ſeu per accuſationis, ſeu per denunciationis viam proditi ſine mora absque praeuia citatione compre-

(*a*) Citati decreti art. V. CX. XXI. XXXIII. XXIX. et CXIV.
(*b*) Art. XLIX.
(*c*) Art. XXXII.
(*d*) Vide decreti S. Stephani libri II. cap. LI. Colomanni libri II. cap. VI.

henderentur, ac siue intra regnum, siue extra per delectos regis arbitrio iudices Hungaros ad legum praescriptum iudicarentur (*a*). Quemadmodum autem priuilegium hoc diu apud Hungaros vsitatum propterea, quod saluti, securitatique tam principis, quam patriae aduersari experientia docuerat, iure tunc abolendum censuerunt regni ordines, ita cum vna viderent in patriis constitutionibus, aut vetusta aetate, aut intestinorum bellorum tempore editis, plurimas reperiri, quas minime iam seruari posse et rectus iustitiae ordo, et sana ratio suadebat, placuit viros iuris peritissimos e quouis ordine eligere, qui mox a terminatis comitiis, leges patrias aequitati minus consonas, praeposteramque iudiciorum seu habendorum, seu ferendorum rationem ad eum diem in regno obseruatam diligenter examinarent, quaeue in iis emendanda, quae item pro recta iustitiae in tribunalibus administratione, noua instituenda communibus consiliis censuissent, in futuro generali conuentu referrent, quo eadem propalam illic reuideri, ac subinde ad perpetuam stabilitatem obtinendam, regia autoritate possent roborari (*b*). Haud absimiliter cum clare perspicerent regni ordines, nullam adhuc certam, ac determinatam haberi normam, iuxta quam non minus res militaris,

(*a*) Citati decreti Caroli VI. art. VII, et IX.
(*b*) Art. XXIV, et CXXIV.

ris, quam politica, et oeconomica in regno procuraretur, vt adeo multa ad eum diem perperam non sine multorum priuatorum iniuria, et communi patriae damno acta fuerint, clarissimi quique viri delecti sunt, qui cum nominandis a caesare commissariis considerent, mutuisque consultationibus nouum militare, politicum, et oeconomicum systema elaborarent, in proximis regni comitiis exhibendum (*a*). Quamuis hac quoque occasione pro regni, eiusdemque finium defensione insurrectionem vltro obtulerint Hungari, longo tamen vsu edocti, clare iam sentire incipiebant, per solam insurrectionem non satis patriae securitati prospectum esse, ac idcirco stabilis legionariae tam Hungaricae quam Germanicae militiae, iusto numero in Hungaria alendae, necessitatem agnouere, ne itaque sua militi huic deessent stipendia, tributum stabiliter deinceps dependendum toti regno impositum fuit. Quod militaris tributi onus vt ex aequo diuidi posset, sancitum est, vt vniuersum regnum in suos circulos diuisum conscriberetur, atque ne fraudi, vel fauori locus esset, delecti vnius circuli magistratus alterum circulum iuxta ideam iisdem in comitiis probatam conscriberent (*b*). Ne denique miles in salutem patriae excubans grauis, molestusque regnicolis fieret, eiusdem licentia certis legibus coercita, atque illud nomi-

(*a*) Art. LIX.
(*b*) Art. VIII. LVII. et CXV.

natim cautum, ne in nobilium curiis, caſtellis, et arcibus, parochorum, aliorumue beneficiatorum aedibus, aut ſcholis hoſpitium caperet (*a*). Turcis duorum prope ſeculorum interuallo in Hungaria dominantibus, multae illuſtres olim familiae temporum iniquitate auitis bonis ſuis ſpoliatae erant, multi ex aduerſo ſeu Turcarum conniuentia, ſeu vi, aut dolo aliena rapuerant: illos, eiectis iam ex Hungaria Turcis, in integrum poſtliminio reſtitui, hos autem rebus non ſuis deturbari, et *Carolo* caeſari, et comitiis quam aequiſſimum videbatur. Quem in finem tribunal ex Hungaris conſtans iudicibus, quod *commiſſionem Neoaquiſticam* appellare placuit, Poſonii, Caſſouiae, et Zagrabiae conſtitutum fuit, cuius muneris erat, poſſeſſionum in quaeſtionem vocatarum iura, titulosque diſcutere. Qui ius ſuum argumentis lege praeſcriptis demonſtraſſet, auita bona recuperabat, ea tamen conditione, vt partem aliquam ſumtuum, quos auguſta domus Auſtriaca in bellum Turcicum profuderat, perſoluta aerario caeſareo determinata pecuniae ſumma, ſarciret, quo ſic immenſo aere alieno, quod tam diuturni belli feliciter geſti cauſa contrahi oportuerat, ſenſim ſemet aula Viennenſis expediret (*b*). Pro teſtatorum, heredum, aut legatariorum ſecuritate, variis iuris communis ſolennitatibus, quae multis litibus oc-

(*a*) Art. XLIII.
(*b*) Art. X.

caſionem praebuerant, antiquatis, ſancitum, vt ad valorem teſtamenti ſatis eſſet, ſi illud teſtator, et quinque teſtes per eum requiſiti, inſimul praeſentes, nobilitari tamen, aut aequipollenti praerogatiua gaudentes, vel in caſu neceſſitatis alii etiam honeſtae conditionis, ſubſcriptione ſua, et ſigillis corroborarent, ac nonniſi teſtatoris, ſcripturae ignari, vices ſextus teſtis pariter requiſitus, et praeſens obiret. Ad codicilli autem ſolennitatem nonniſi tres teſtes ſufficerent, ſublata inſuper ad valorem teſtamenti requiſita iure communi heredis inſtituendi neceſſitas. Statutum praeterea, vt priuilegiata teſtamenta, vt ſunt: ad legata pia, inter liberos, apud milites, aut tempore peſtis condita valerent, ſi vel propria teſtantis manu ſcripta, et ſubſcripta, vel nuncupatiua coram duobus teſtibus facta ſint. De cetero teſtamenta in locis authenticis, vt ſunt capitula, conuentus, iudices regni ordinarii, &c. condi ſolita priſtino ſuo in vigore ſunt relicta (*a*). Vt impia exaggeratarum foenerationum licentia coerceretur, ſub capitalis ſummae amiſſione interdictum, plus quam ſex a centum cenſus nomine, aut exigere, aut oblatum admittere (*b*). Cancellariae Hungaricae autoritas vſitatis antea commiſſionibus omnibus, quae ad faciliorem diuerſarum materiarum pertractationem inſtitutae erant,

(*a*) Art. XXVII.
(*b*) Art. LI.

penitus abolitis, perpetuam his comitiis ſtabilitatem obtinuit, non ſecus, ac camera regia Hungarica, quae vt eo maiori cum aerarii regii vtilitate, bona coronae, vniuerſosque prouentus regios deinceps poſſet procurare, et caeſari, et comitiis placuit introductum, obſeruatumque ſub *Leopoldo* caeſare ſiſtema oeconomicum abolere, quapropter peculiaribus adminiſtrationibus cameralibus, quae Budae, Eſzekini, Aradini, Szegedini pluribusque aliis in locis collocatae erant, publica conſtitutione ſublatis, vniuerſa res oeconomica camerae regiae moderationi, iurisdictioni, adminiſtrationique eſt concredita (*a*). Porro cum Rákotziani confoederati non vna vice vrſerint, vt cancellarius aulicus Hungaricus alternis vicibus tam e ſacro, quam e ſeculari ordine nominaretur, idipſumque pace Szathmarinenſi cautum fuerit, ſub hoc tempus poſt longam annorum ſeriem, primus e ſeculari ordine ad munus hoc euectus fuit C. *Nicolaus* Illésházi. Demum nequid ad publicum regni commodum inſtitutum praetereamus, veredariae ſtationes
1681 iam A. 1681. per *Leopoldum* caeſarem introduci coeptae, noua conſtitutione confirmatae ſunt. Quo autem et itinerantium, et rerum, ac literarum ſecuritati eo amplius proſpiceretur, ſapienter decretum, ne veredariae ſtationes aliis, quam poſſeſſionatis regni nobilibus, deinceps conferantur (*b*).

(*a*) Art. XVII. et XVIII.
(*b*) Art. XXII.

§. III.

Nonnulla in re eccleſiaſtica decreta.

Res eccleſiaſticas et ſub Turcarum dominatu, et poſtremo ciuili bello non mediocriter conuulſas peculiari ſtudio complexus *Carolus*, vt honorifici illius tituli, quo Diuus *Stephanus* ſucceſſores ſuos Hungariae reges exornatos, obſtrictosque eſſe voluit (*a*), *Summi* videlicet *eccleſiarum Dei in apoſtolico hoc regno patroni* officia ad amuſſim expleret, ſolenne illud votum, quo ſe A. 1693. 1693
propalam in baſilica Diui *Stephani* ad auitam religionem orthodoxam priſtinae dignitati reſtituendam, ad eccleſias ſub Ottomannica ſeruitute deſolatas, aut penitus euerſas reſtaurandas, ad congruam ſubſiſtentiam parochis, animarumque curatoribus ſubminiſtrandam, ad priſtina denique iura poſſeſſionaria ſub Turcis amiſſa praelatis reddenda, *Leopoldus* M. obligauerat (*b*), ſe primo quoque tempore ſoluturum fidem dedit. Quem in finem cetera inter decreuit, vt tam eccleſiaſtici, quam religioſi, obtenta prius a ſe venia, ſua, eccleſiarumque ſibi creditarum bona, ſeu in fiſcum, ſeu ad priuatorum manus iniquitate temporum deuoluta, via iuris poſſint vindi-

(*a*) Decret. S Stephani lib. II. cap. I. et Tripart. part. I. tit. XI.

(*b*) Timon in epitome chronol. ad annum 1693.

care, in ceteris autem piiſſimi eius voti partibus, effectui mandandis, adiutores ſibi eſſe voluit praelatos, quos et ſacri canones, et deceſſorum regum decreta, nominatim S. *Ladislai* libri I. cap. VIII. *Ferdinandi* decreti XII. art. XIII. ad ſedulam, indefeſſam, munificamque operam prouehendae ſacroſanctae religioni impendendam, ſatis, ſuperque obſtringunt (*a*). Etſi dudum iam tam a *Ferdinando* I. quam huius nominis II. caeſaribus libera de rebus mobilibus teſtandi facultas praelatis conceſſa, ac etiam vi conuentionis cum cardinale *Kolonitſio* Strigonienſi archiepiſcopo factae, per *Leopoldum* caeſarem roborata fuerit, quia tamen fiſcus regius non raro grauem eapropter praelatis faceſſiuerat moleſtiam, ſtabili deinceps lege, et memorata *Kolonitſiana conuentio*, et liberum teſtandi ius ſtabilitum fuit, ea tamen conditione, vt praelati teſtandi facultatem praeuie ſibi a principe impetrarent (*b*). Cum multi ex Hungaris, illuſtri etiam loco nati, perfectioris vitae ſtudio varios religioſorum ordines ingrederentur, nonnullique eapropter vereri inciperent, ne per locupletiores candidatos immenſae opes, non ſine graui fratrum, aut propinquorum iactura, monaſteriis inferrentur, ne canale hoc ſeculari ordini iuſto plus facultatum in perpetuum

(*a*) Caroli VI. decret. I. art. LX. et decret. II. art. LXXI.
(*b*) Caroli VI. decreti I. art. XVI.

decederet, ſtatutum, ne ordinem aliquem ingreſſuri ſeu viri, ſeu feminae ex auitis bonis plus, quam decimam hereditatis ſuae, non tamen vltra quinquaginta florenorum millia aeſtimandae, partem, eamque aere parato ſecum auferre auſint: de aquiſitis nihilominus libera diſponendi poteſtas parentibus eſt relicta (*a*). Quia vero plurima iam in Hungaria cleri iunioris ſeminaria, aut nobilis, pauperioris praeſertim, iuuentutis contubernia antiſtitum potiſſimum munificentia erecta, atque dotata, poſt reſtitutam domi pacem maiore numero frequentari, floreque coeperant, ne pia haec inſtituta a fundatorum voluntate aliquando deflectere, labefactarique poſſent, *Carolus* VI. pro ſuo *apoſtolici regis munere* ſibi ſoli eadem inſpiciendi, rationes exigendi, ac, vtrum fundationi ſatisfiat, inueſtigandi ius reſeruatum voluit (*b*). Quod ad acatholicos demum attinet, vt hi quoque pacis domi reſtitutae fructibus fruerentur, ſinceraque cum catholicis voluntatum conſenſione in commune bonum conſpirarent, liberum eis religionum ſuarum exercitium, priſtinaque iura legibus conceſſa denuo ſtabilita ſunt. Quem in finem *Leopoldi* decreti III. art. XXV. et XXVI. item decreti IV. art. XXI. *in genuino ſuo ſenſu* porro etiam obſeruari iuſſi ſunt. Quodſi autem acatholici iura, libertatesque religio-

(*a*) Ibidem art. LXXI.
(*b*) Ibidem art. LXXIV.

nis ſuae a quoquam opprimi, violariue deinceps ſentirent, vetitum quidem fuit, ne eapropter communem cauſam facerent, communique omnium nomine libellos ſupplices porrigerent, data nihilominus eis facultas, vt ſinguli laeſi ſeorſim querimonias ſuas ſummo imperanti proponerent. Praeterea, vt ſiniſtris ſuſpicionibus omnis praecideretur occaſio, interdicta eis, citra caeſaris aſſenſum, quaeuis conuentuum, ſynodorumque in poſterum celebratio (*a*). Haec fere ſunt, quae *Carolus* caeſar primis comitiis in ipſo regni aditu celebratis, in ſacrae non minus, quam ciuilis reipublicae vtilitatem prouide, ſapienterque decreuerat.

§. IV.

Primi belli Turcici origo.

Hungariae ad meliorem ordinem reuocandae curas intercepit bellum Turcicum, cuius hae fuere cauſae: Veneti Auſtriacae domus bello, paceque foederati, quos tractatu Car-
1699 louitzenſi A. 1699. ſub *Leopoldo* inito, comprehenſos ſuo loco meminimus, quod Turcas, pyraticam exercentes pro eo, ac par erat, caſtigaſſent, denunciato ſibi praeter o-

(*a*) Ibidem art. XXX. XXXI. et CVXV.

mnem exſpectationem ab *Achmete* III. bello, multisque in Peloponneſo locis, et ditionibus vno impetu amiſſis, non mediocriter perculſi, praeter ceteros Chriſtianos principes, *Carolum* quoque caeſarem ad ferendam ſibi ex foedere opem interpellarunt. Ipſe *Clemens* XI. pontifex Italiae, totiusque reipublicae Chriſtianae ſaluti tempeſtiue proſpecturus, Venetorum cauſam *Carolo* maiorem in modum commendauit. Caeſar pro eo, ac par erat, foederatos protecturus, *Anſelmo* Fleiſchmanno ſuo apud portam Ottomannicam oratori negotium dedit, vt *Achmetem* Turcarum imperatorem tractatus Carlouitzenſis admoneret, ſponderetque ſimul, ſi Veneti iniuriae aliquid imperio Ottomannico intuliſſent, caeſarem ex aequo arbitraturum, offenſasque, et damna omnia ex aſſe ſarciri procuraturum: quodſi Turcae id abnuerent, foederis Venetos inter, et auguſtam domum Auſtriacam initi pacta, armorum quoque ſocietatem exigere denunciaret. Haec oratoris caeſarei denunciatio, vt inopinata, ita etiam permoleſta accidit portae Ottomannicae, quod Venetos iam ad ictum deſtinauerat, certoque ſibi perſuaſerat, durante tum adhuc Gallos inter, et *Carolum* VI. bello, nobiliſſimam rempublicam caeſareis auxiliis deſtitutam facili negotio debellandam. Quapropter A. 1715. 1715
miſſus fuit Viennam *Ibrahimus* Aga, qui praeter alia arcana mandata, vulgo tum incognita, in id toto ſtudio incumbere iuſſus fuit, vt peculiaribus Veneti belli cauſis rite expoſitis aulam Auſtriacam et firmae pa-

cis ſponſione, et aliorum emolumentorum ſpe oblata, ab omni auxilio Venetis ferendo abſtraheret. Verum caeſar, hortante cumprimis *Eugenio* principe, in propoſito firmus, reiectis pollicitationibus omnibus, *Ibrahimo* aperte edixit, ſe cum Anglis, et Hollandis tractatus Carlouitzenſis, quo Veneti pariter comprehenſi erant, vadem eſſe, ſe proinde arbitro, lites omnes amice componerentur, ſecus ſe ex foederis religione coactum iri, vt totis viribus laboranti reipublicae ſuccurreret. Eo reſponſo accepto *Ibrahimus* negauit ſibi, litis cum Venetis Viennae componendae poteſtatem factam, nouorumque hunc in finem mandatorum ſibi Bizantio ſubmittendorum praetextu, diutius Viennae moras agere coepit: qua tempeſtate ex literis quibusdam caſu interceptis, nunciisque allatis reſcitum fuit, nuncium Ottomannicum ea maxime de cauſa Viennam fuiſſe ablegatum, vt caeſaris vires, apparatumque bellicum per otium diligenter exploraret. Quam ob rem cautius deinceps cuſtoditus *Ibrahimus* non multo poſt ad ſuos remiſſus fuit. Interea Turcae ſiue quod caeſarem diutius adhuc bello Gallico detinendum putarent, ſeu ex *Ibrahimi*, aliorumue relatione, milite, bellicoque apparatu non ſatis adhuc inſtructum crederent, monitis, comminationibusque caeſaris proterue contemtis, praeter omnium opinionem bellum in Venetos terra, marique proſecuti, vniuerſam Moream e. a. ſub iugum miſerunt, ac palam iam declararunt, quanti foederis Carlouitzenſis ſanctitatem facerent.

§. V.

Optatus belli ſucceſſus.

Ea re commotus *Carolus* nouum cum Venetis inſequente anno 1716. foedus iniit, ſolennesque tabulas die XIII. Aprilis ſignauit. 1716
Foederis huius fama poſtquam Bizantium peruenit, adeo exiguam eius rationem habuere Turcae, vt caeſareum oratorem progentis ſuae more in carcerem coniicere non dubitauerint, atque illico hoſtilitates in limitibus exercere coeperint, quo tempore *Achmetes* ſultanus Mahometem armis ſuis propitium redditurus, inhumano prorſus, ac barbaro voto ſe obſtrinxit, ad Chriſtiana mancipia per vniuerſum imperium Ottomannicum occidenda, ſi ex imminente bello de Venetis, et caeſare victor euaderet, a cuius tamen voti obligatione, maximo Chriſtianorum commodo, per *Eugenium* principem poſtea abſolutus fuit. Haec cum in oriente agerentur, caeſar quoque nihil eorum, quae ad apparandum ſumma celeritate bellum facerent, deſiderari paſſus fuit, principique *Eugenio*, fauſtiſſimo plane omine, bellum adminiſtrandum ſummo cum imperio, plenaque pro arbitrio agendi cum poteſtate commiſit, qui exeunte vere eiusdem anni Futakinum, quo Chriſtianas copias omnes conuenire iuſſerat, delatus, tanta ducum, militumque laetitia, atque fiducia acceptus eſt, tamquam ſi captiuam campi dominam fortunam ſecum ad caſtra deduceret. Luſtrato ibidem exer-

citu, cum Turcas ſuperato Sauo ad Petro-Varadinum oppugnandum tendere comperiſſet, ipſe pariter traiecto Danubio copias eodem traduxit, ac in eius vrbis vicinia caſtra, vallis communita, die III. Auguſti ſubiit. Paucis poſt horis adfuit et vezirius, occupatisque noctis beneficio proximis collibus, immenſas CC. millium copias, et *Eugenii* caſtris, et vrbi circumfudit, tantaque fuit de futura victoria vezirii praefidentia, vt literis faſtu, et arrogantia plenis mox in vrbem datis, *Löffelholtzio* gubernatori deditionem imperarit, internecinam obſeſſis omnibus cladem comminatus, niſi prius, quam bellica machina in Turcarum caſtris ſolueretur, vrbem dederet. Superba ea denunciatio vbi ad Eugenii aures peruenit, vezirio renunciari iuſſit, ſe eiusmodi reſponſum poſtridie redditurum, quod Bizantini ipſi exaudituri ſint. Nec ſecus euenit, die enim V. Auguſti orto iam ſole, ſigno dato, principe *Wirtembergio*, et *Ioanne* Pálfio ducibus, tanta vi in Ottomannos inuectae ſunt caeſareae copiae, vt ruptis fulminis inſtar hoſtilis aciei ordinibus, poſt atrox, cruentumque certamen hoſtes multa cum caede in fugam egerint. Vezirius deſperatis iam rebus, cum fugientes ſuos nec minis nec precibus ſiſti amplius poſſe cerneret, concitato in conſertos noſtrorum ordines equo illatus, multa edita ſtrage, dimicans occubuit. Praeter hunc, ianitsarorum Agam, et XV. primi nominis purpuratos, XXX. Turcarum millia eo die cecidiſſe perhibentur. Praeda victo-

ri exercitui ceſſit immenſa: V. caudae equinae, praecipuum exercitus Ottomannici decus, ſigna militaria CLIX. L. millia tentoriorum, CXXXIX. machinae bellicae, pulueris nitrati, et globorum vis ingens, cameli bis mille, bubalorum plures greges, ſabarum denique Turcicarum, vulgo *Coffé* immenſa copia in victorum venere poteſtatem. Terminata feliciter pugna, *Eugenius* vaſtiſſimum, ditiſſimumque vezirii tabernaculum circiter meridiem ingreſſus, inter militares concentus, tormentorumque fragorem, plaudente victore exercitu, victoriarum largitori Deo immortales egit gratias, tum vero praecipuos belliduces lautiſſimo acceptos prandio, meritis quemque laudibus excoluit. Victoriae eo die partae magnitudinem auxit captum eodem anno die XIII. Octobris Temesuarinum poſt menſis vnius, et XII. dierum oppugnationem, cui vrbi cum caeſo ad Petro-Varadinum vezirio, alteroque exercitu Turcico, quem Belgradenſis gubernator obſeſſis auxilium laturas adduxerat, virtute *Eugenii* internecione deleto, nihil amplius ſuppetiarum a Turcis ſubmitteretur, praeſidiarii commota ſeditione praefectum ad faciendam deditionem adegerunt. Duodecies mille Turcae vrbe egreſſi, ac ſuis cum facultatibus ſine armis, ſignisque militaribus diſcedere permiſſi, currus mille, quibus tam nobiliores, quam aegri, ſauciique Belgradum deportarentur, *Eugenii* humanitate accepere, armis, machinis, omnique apparatu bellico in vrbe relictis. Te-

meſuarini capti fructus fuit, ampliſſima ea ditio, quae Maruſio, Tibiſco, Danubio, nec non Tranſſiluaniae, et Valachiae limitibus intercepta, Temeſienſis banatus nomine veniebat, regni Hungarici finibus reſtituta, atque tum primum regnum Hungariae Turcicam penitus exuit ſeruitutem. Regio haec ex eo tempore peculiari adminiſtrationis forma, diſtinctisque ab Hungaria legibus gubernata, multis nouis coloniis eodem de-
1778 ductis egregie exculta fuit, quam A. 1778. auguſta *Maria Thereſia* regni Hungarici finibus, iurisdictionique poſtliminio reſtitui, ac in comitatus diuidi curauit. Cuius operis, non ſine communi patriae vtilitate ad exitum deducti, gloriam iure ſibi vendicat *Chriſtophorus* C. Nitzki, vir a praecipuis in regno magiſtratibus, grauiorisque momenti negotiis praeclare geſtis conſpicuus, primus poſt cladem Mohatſianam comitis Temeſienſis titulis, et dignitate exornatus, hodie tauernicorum regalium magiſter, et excelſi conſilii locumtenentialis regii actualis praeſes.

§. VI.

Noui vtrinque ad bellum apparatus, et Belgradi oppugnatio.

Quamuis bellum tanta cum gloria coeptum felices ſucceſſus ſpondere poterat, *Eugenius* tamen exercitu opportunis locis per hiberna

diſpoſito, Viennam reuerſus, vt prouidum oportebat ducem, autumnum, et hyemem omnem nouis tironum ſupplementis vbiuis per hereditarias prouincias conſcribendis, apparatuique bellico copioſe comparando impendit. *Achmetes* pariter Turcarum imperator ſuperiore clade perculſus, in id primum incubuit, vt opera Gallici oratoris aulam Pariſinam a pace abſtractam ad bellum contra caeſarem proſequendum permoueret. Verum cum Gallicus orator pacis cum Anglis, Hollandis, et caeſare tractationem eo iam adductam aſſeueraſſet, vt ſaluo regis Galliae honore, et commodo abrumpi amplius nequiret, neque ſpes vlla appareret, vt caeſar in medio victoriarum curſu a bello deſiſteret, honeſtasque pacis conditiones concederet, ipſe quoque hyemem totam bello apparando inſumpſit. Ex Aſia, Aegypto, Syria, Macedonia, ceterisque vaſtiſſimi imperii angulis milites ſeueris mandatis ſub ſigna euocati: erectae pro Bizantii portis equinae caudae, legendis tironibus ſigno futurae: prouinciarum praefectis, ſubiectisque dynaſtis vectigalia ſolito maiora imperata; Alba Graeca, ſiue Belgradum, vbi Chriſtianorum fortuna allidi poterat, XXX. millium praeſidio, ſexcentis machinis bellicis, omnique apparatu quam copioſiſſime communitum fuit. Has inter belli vtrinque apparandi curas *Carolus* caeſar, quemadmodum Chriſtianum decebat principem, animo reputans, nec in ſola ducum ſeu peritia, ſeu felicitate, nec in copiarum multitudine ita vnice ſpem victoriae

collocandam esse, vt non etiam Dei, cuncta arbitrio suo moderantis, opus sit auxilio, solenni edicto ad omnes prouincias dato praecepit, vt subditi sui Christianae vitae probitate cumprimis, tum vero publicis, priuatisque precibus diuinam exercitui caesareo benedictionem implorarent: quem in finem choreas omnes, lusus, cunctaque legibus, moribusque Christianis aduersantia conuenticula seuere interdixit: discedenti denique Vienna *Eugenio* Saluatoris humani generis de cruce pendentis effigiem auream dono dedit, monens: vt hoc duce bellaret, vinceret, triumpharet. *Eugenius* tam donum, quam omen felicissimum venerabundus accipiens respondit: se neque muneri, neque exspectationi defuturum, modo coelestis dux auxilio adsit, caesar autem pugnantem fauore prosequatur, protegat autoritate. Rebus omnibus hunc in modum dispositis, *Eugenius* Vienna digressus, Futakinum, vbi florentissimus Christianorum exercitus iam vna
1717 collectus erat, die XIX. Maii A. 1717. peruenit. Centum armatorum millia in castris numerabantur, quos inter quinquagenis plures partim regii sanguinis, partim regnantium per Europam principum e domibus orti adolescentes, et viri censebantur, qui *Eugenii* summi eo aeuo ducis fama ex omni gente exciti, militiae rudimenta alii, alii multis iam conspicuam palmis virtutem tanti herois auspiciis illustraturi, sub signa caesarea confluxerant. Lustrato exercitu, profectio in diem X. Iunii indicta, Belgradumque

que gloriae auido militi ad oppugnandum propoſitum. Transmiſſis Tibiſco, ceterisque fluuiis interfluentibus breui ad Pantsouam ventum. Vnde praemiſſa in aduerſam Danubii ripam delecta copiarum manu, Turcis, qui obſiſtere auſi erant, magna cum caede in fugam actis, ponte demum perfecto, vniuerſum exercitum per vaſtiſſimum flumen die XIX. Iunii inſpectante hoſte traduxit. Explorato mox ſumma diligentia Belgradi ſitu, poſtridie copias vrbi circumfudit, et locum omnem, qui Danubium inter, ac Sauum intercedit, caſtris occupauit, quae ducto protinus vſque ad vtriusque fluminis ripas duplici iuſtae magnitudinis vallo communiri curauit: quorum altero vrbs vndique occluſa, altero autem caſtrorum terga aduerſus Turcarum copias, ſi forte obſidione durante auxilio mitterentur, prouide non minus, quam fortiter firmata ſunt. Eo deinde curas conuertit *Eugenius*, vt fluuium vtrumque in poteſtate haberet: quare propius vrbem, naualem in Danubio pontem adduci iuſſit, ad cuius cuſtodiam plurimae aliae naues, anchoris affixae, ſunt additae. Ad Temeſiae in Danubium influentis oſtia claſſem collocauit, quae hoſtes, ne quid a tergo ponti officerent, prohiberet. Duae inſuper aliae claſſes ſupra Belgradum conſtitutae ſunt: Sauus denique, vt et illac liber caeſareo exercitui eſſet commeatus, naualem pontem aduerſus vim hoſtium egregie et terra, et flumine communitum accepit: quibus omnibus prouide, ſapienterque conſtitutis, vrbis ar-

ctiſſime vndique concluſae moenia immenſa machinarum bellicarum vi quaſſari coepere. In ipſam etiam vrbem tantus mox globorum numerus iniectus eſt, vt vix quisquam tuto ex aedibus ſuis egredi auderet. Ad calamitatem hanc illud etiam acceſſit, quod a triginta praeſidiariorum millibus potiore iam annonae parte conſumta, fame laborari coeptum ſit, cui cum ob aditus omnes caeſareo milite interceptos, nulla ratione ſuccurri poſſet, iam tum deditionem facturi erant praeſidiarii, niſi certis ſignis comperiſſent, nouum vezirium, virum bellicoſum, propediem ad ſoluendam obſidionem aduenturum.

§. VII.

Turcis profligatis Belgradum receptum.

Et reipſa die XXVIII. Iulii in conſpectum venit immenſus Turcarum exercitus CC. millibus armatorum conſtans, propiusque ſemper accedens caſtris, inde a Danubio ad Sauum vſque protenſis, tertio poſt die *Eugenii* caſtra circumuallauit: vt adeo Chriſtiani exercitus a fronte vrbe munitiſſima, ad latera Danubio, et Sauo fluminibus, a tergo denique immenſa Turcarum multitudine circumdati fama per Europam dilata, trepidatione ſuſpenſos principum, ac populorum animos tenuerit. Maxima tamen curarum pars ad

Carolum caesarem pertinuit, fortunae viciſſitudinum, bellique caſuum non ignarum: quod cum *Eugenius* non ignoraret, per nuncios, et literas certiorem eum reddidit, ſecuritati exercitus Chriſtiani optime eſſe proſpectum, firmiſſimas eſſe munitiones, plena commeatuum caſtra, ac denique, ſi forte fortuna iniquiorem ſe praeberet, geminos pontes Danubio, Sauoque fluminibus inſtratos in ſua eſſe poteſtate, per quos, ſi ita res ferat, exercitus ad tutiora reducatur. Ceterum res non vacabat periculo; vezirius enim cum videret, nulla prorſus via laborantibus obſeſſis annonam inferri poſſe, noſtros igne perdomare in animum induxit, quare e CXXX. grandioribus machinis tantam globorum tempeſtatem in *Eugenii* caſtra effudit, vt multi fortiſſimi viri inulti caderent, cumque nec ſic ſeu vigilantiam noſtrorum deludere, ſeu fortitudinem poſſet frangere, id demum conſilii iniit, vt conſtituto die, vno, eodemque tempore, et praeſidiarii a fronte, et ipſe a tergo caeſareos ex improuiſo inuaderent, quod cum ex literis a vezirio ad praefectum vrbis datis, et nuncii, qui eas clam in vrbem perferendas habuit, narratione didiciſſet *Pálfius*, *Eugenio*que retuliſſet, hic diem praelio deſtinatum ſibi quantocyus anteuertendum putauit. Quapropter et decretorii certaminis ineundi, et rerum omnium gerendarum idea maturo iudicio apud ſe deſcripta, die XV. Auguſti ſub noctem arcana ducibus mandata conſignauit: *Viadro*, et *Brounio* cum parte exercitus in caſtris remanere iuſſo, *Camuſio*

rei tormentariae praefecto praecepit, vt accepto ſigno, ſolito pluribus tormentis, indeſinenter exploſis, vrbem quatiat, obſeſſosque a facienda eruptione abſterreat, tum vero exercitum, vezirii caſtra aggreſſurum, ita diuiſit, vt peditatui princeps *Wirtembergius*, equitatui autem *Ioannes* Pálfius praeeſſet. In prima acie dextrum cornu *Stahrembergius*, ſiniſtrum *Harrachius* duceret, ſecundam autem aciem *Beueranus* princeps moderaretur. Equitatu poſtea ad vtramque alam diſpoſito, dextra *Ebergenyio*, *Merſio*, et *Batteo*: ſiniſtra *Nádasdio*, *Martignio*, et *Montecuculo* regenda obtigit: *Seckendorfius* denique cum ſubſidiariis copiis lente ſubſequi, ac, ſi qua parte acies noſtra inclinaret, ſuppetias ferre iuſſus. Vt autem miles refectis tantisper viribus eo expeditior die poſtero ad praelium conſurgeret, vel potius, vt occultiora manerent pugnae poſtridie ineundae conſilia, ſingulos ſolito citius quieti ſe dare, ſomnumque capere iuſſit *Eugenius*. Curatis itaque noctu corporibus, et equis, cunctisque ſummo ſilentio rite diſpoſitis, *Eugenius* ſuorum ordines obequitans, et praeſentia ſua, et paucis verbis tanto ſingulos ardore inflammauit, vt aegre iam contineri miles intra valla poſſet: nec mora, ſub tertiam noctis vigiliam, ſilentibus ſignis, exercitui profectio imperata. Et vero, ſi vnquam alias, tum certe fauentiſſimam ſibi habuit fortunam *Eugenius*, nam cum cuncta eo, quo praeceperat, ordine, a ducibus, militibusque agerentur, ii primum Turcae, qui

extra caſtra collocati erant, ex improuiſo obruti noſtrorum virtute multa cum caede in fugam acti ſunt. Eodem pugnandi ardore ſuperato hoſtilium caſtrorum vallo, caeſarei mediis in caſtris redintegrato praelio, ac per quinque horas producto, profligatis vbique hoſtibus, lucente iam ſole inſignem victoriam reportarunt. Vezirius etſi et militis, et periti imperatoris partes toto eo praelio egregie exequeretur, caeſareorum nihilominus impetum ferre non valens, fugam et ipſe arripuit, caſtris, impedimentis, ac theſauris omnibus victori relictis. Cecidere partim in praelio, partim in fuga XXX. Turcarum, ac potiſſimum ianitsarorum, millia. Profligato hunc in modum vezirio, victor *Eugenius* caſtra ſua illico repetiit, ac illuſtriores captiuos aliquot Turcas in vrbem dimiſit, qui triſtiſſimam cladem, cuius ipſi teſtes erant, loci gubernatori referrent: quid enim foris ageretur cum vezirio, ignorabant obſeſſi, quod et denſiores nebulae, et ignium fumus viſum, auditum autem continui tormentorum in vrbem fulminantium fragores interceperint. Cum itaque, quos diximus, captiui cladis magnitudinem viuis coloribus in vrbe depinxiſſent, incredibile dictu, quantum obſeſſorum animi conciderint. Itaque poſtquam *Eugenius* miſſo in vrbem nuncio, deditionem imperaſſet, gubernator ne victorem tergiuerſatione ſua irritaret, liberum ſibi, ſuisque diſceſſum pactus, ſine mora vrbem, arcem, apparatum bellicum, ac claſſem denique omnem in Danubio ſitam

caeſareanis die XVII. Auguſti tradidit. Exceſſere ex vrbe praeter imbellem turbam, XX. millia armatorum, ceteri enim variis eruptionibus necati, aut vulneribus, morbisque confecti interea obierant. Hunc in modum fractis orientis viribus, Belgrado recepto, *Eugenius* dimiſſis ſolito maturius in ſtatiua militibus, inter fauſtas, quacumque iter habebat, populi acclamationes Viennam die XIX. Octobris rediit: cui caeſar miſſo obuiam extra ſuburbia legato, gratulatus, gladium auro, et gemmis diuitem muneris loco tradidit, ac venientem paulo poſt velut Chriſtiani imperii vindicem, et conſeruatorem pro ſolio laudauit (*a*).

§. VIII.

Pax Paſſarouitzenſis.

Achmetes III. Turcarum imperator maximis aliquot exercitibus, firmiſſimis arcibus, Temeſienſi banatu, Seruia, et pluribus aliis ditionibus biennii ſpatio amiſſis, vt vltimam imperii ſui ruinam tempeſtiue prohiberet, pacem a victore caeſare petere coepit. Va-

(*a*) Res ab Eugenio praeclare, fortiterque geſtas elegante calamo deſcripſit Guido Ferrarius tribus libris comprehenſas, quae typis Tyrnauiae A. 1765. ſunt recuſae.

ria' tum erant de ea vel concedenda, vel neganda Viennenſium miniſtrorum conſilia; ſub idem enim tempus *Philippus* V. Andegauenſis rex Hiſpaniae, numeroſa claſſe in Italiam transmiſſa, Neapolim, et Siciliam, velut partem hereditatis Hiſpanicae, *Carolo* VI. eripere conſtituit, cuius quidem belli cauſam plerique attribuunt *Eliſabethae* Parmenſi, quam *Philippus* A. 1714. ſecundis nuptiis 1714
ſibi copulauerat, cum enim haec *Caroli* VI. tum adhuc pro Hiſpanica ſucceſſione decertantis, nuptias ambiuiſſet, nonnullorumque aulicorum Viennenſium factione repulſam paſſa *Eliſabetham* Chriſtinam Brunſuicenſem, ſibi A. 1708. per *Carolum* praelatam, nequa- 1708
quam poſſet digerere, vindictae ſtudio correpta, in id totis poſtea viribus incubuit, vt Italicas ditiones omnes, domui Auſtriacae detractas, prolibus ſuis aſſereret: id quod reipſa etiam poſtea in effectum deduxit. Fruſtra fuere Romani pontificis, regis Galliae, pluriumque aliorum Europae principum ſtudia, quibus *Philippum* regem ab inferendo id temporis domui Auſtriacae bello abducere conabantur. Sed neque copioſa claſſe, quam Angli, caeſaris foederati, Neapolim transmiſerant, a ſuſcepto ſemel in coniugis reginae gratiam propoſito dimoueri potuit. Hoc igitur rerum Auſtriacarum poſitu, *Eugenius* autor erat, vt Italica regna Anglis, Hollandisque foederatis aduerſus Hiſpanorum claſſem defendenda crederentur, aut certe ditionum aliquarum ceſſione, pax cum *Philippo* conſieret: vrgebat ex aduerſo proſequendum

esse in Turcas victoriarum cursum, deletis tot iam exercitibus eneruatam, ac panico quodam terrore correptam gentem Ottomannicam, minime amplius caesareis armis posse resistere, continuato superis fauentibus bello, caesareas copias nemine resistente Bizantium vsque vincendo progressuras, victoriaeque trophaea breui in vrbe hac defixuras, qua occupata, *Carolum* VI. occidentali imperio orientale posthliminio coniuncturum. Quodsi euenisset, tum profecto augusta domus Austriaca tot populorum, regnorumque sub iugum missorum amplitudine, et cuiusuis generis commerciorum frequentatione omnium opulentissima, florentissimaque euasura erat. Verum haec *Eugenii*, aliorumque militarium virorum consilia displicebant ciuilium rerum administris, qui Neapolim, et Siciliam, quam tamen fato postea amisimus, incertae orientalis imperii expugnationi anteferendam putauere, atque idcirco pacem Turcis haud grauate concedendam, viresque postea omnes ad tuendam contra Hispanos Italiam quantocyus traducendas suadebant. Id ipsum suggerebant Angli, et Hollandi oratores, ne continuato in Turcas bello, totum Austriacas in Italia partes sustentandi onus eorum pecuniis, militibusque incumberet. Post multa in sanctiore consilio pro, et contra agitata, caesar ipse demum ad pacem Turcis concedendam flexit animum, eiusdemque conficiendae arbitrium Anglis, Hollandisque oratoribus commisit. Quem in finem delectum fuit Passarouitzium, oppi-

dulum in orientali fluminis Morauae ripa haud procul a Danubio ſitum, quo vtriusque partis legati conuenirent. Vt tamen Turcae nouis terroribus admotis ad ea, quae caeſarei voluere, cedenda eo facilius adigerentur, *Eugenius* dux Belgradum profectus tanta diligentia res omnes curare coepit, tamquam ſi acerrimum bellum inſtaret, quin etiam miſſo interdum ad arbitros nuncio, ſciſcitari iuſſit, eſſetne victore caeſare dignae pacis ſpes, vel ſecus? vt ipſe abrupta illius tractatione, paratas iam copias protinus Bizantium verſus poſſet promouere. Itaque *Eugenii* potiſſimum Belgradi praeſentiae, et bellico apparatui tribuendum eſt, quod Turcae in omnia fere, quae caeſarei oratores petebant, conſenſerint, tabulasque pacis die XXI. Iulii A. 1718. ſubſcripſerint; earum haec fere ſumma fuit: pax in XXIV. annos firma eſto. Temesuarinum, toto cum banatu, Belgradum cum adiacente Seruia, pars Valachiae ad Alutam vſque: Boſniae item pars iuxta conſtitutos limites, *Carolo* Hungariae regi cedat. Captiui omnes intra duorum menſium ſpatium reſtituantur. Caeſarei ſubditi liberam habeant commercia cum orientalibus prouinciis exercendi poteſtatem. Chriſtianis quoque omnibus libera Hieroſolymas pietatis cauſa peregrinatio concedatur. Venetis tota Peloponneſus reddatur. Pax demum Paſſarouitzii confecta Viennae, Bizantii, et Venetiis intra dies XXX. principum ipſorum calculo confirmetur. Illud hic minime praetereundum: pacis cum Turcis acce- 1718

leratae cauſas paulo poſt deſiiſſe. Nam cum eodem anno die XXII. Iulii caeſar ſolenne foedus cum Gallis, Anglis, et Hollandis aduerſum Hiſpanos Londini pepigiſſet, *Philippus* V. rex belli cum tot potentiſſimis hoſtibus terra, marique gerendi difficultate abſterritus, ad pacem aſpirare coepit, quae etiam, Neapoli, et Sicilia Carolo VI. reli-
1720 cta, A. 1720. vtrinque coaluit.

§. IX.

Hereditaria ſucceſſio feminina in Auſtriacis, Hungaricisque ditionibus introducitur.

Quem ex illuſtribus tot victoriis, et ſecundiſſimis armorum ad eum diem ſucceſſibus capere caeſar poterat voluptatis ſenſum, non mediocriter temperabat dolor ille, quem
1716 ex vnici filii ſui *Leopoldi* A. 1716. die XIII. Aprilis nati, ac mox properato funere die IV. Nouembris e. a. ſublati iactura hauſerat. Ea orbitas eo acerbior accidebat caeſari, quod complura eſſent indicia, nullam fere amplius prolem ex auguſta coniuge ſuſcipi poſſe, vt adeo ne Auſtriacae, Hungaricaeque ditiones aliquando a morte caeſaris non ſine multa ſanguinis effuſione per varios Europae principes diſcerperentur, ad hereditariam ſuperſtitum duarum caeſaris filiarum *Ma-*

AD NOTITIAE RER. HVNG. PARTEM III.

Franciscus I. Lotharingiae, et Barri Dux † 1545
Vxor Christierna Christierni Daniae, et Sueciae Regis filia.

Carolus II. Dux Loth. et Barri. † 1608
Vxor Claudia e Regia Domo Gallica † 1574

Henricus Dux Loth. et Barr. † 1624
Vxor Catharina Bourbonia † 1604

Nicolaa et Claudia *filiae*

Franciscus II. Dux Loth. et Barri. Comes Vademontis † 1632
Vxor Christina Comes a Salm

Carolus III. Dux Loth. et Barr. † 1675
Vxor Nicolaa Henrici Loth. et Bar. Ducis filia 1657

Nicolaus Franciscus Dux Loth. et Barr. † 1670
Vxor Claudia Henrici Loth. et Barr. Ducis filia † 1643

Carolus IV. vulgo V. *Turcarum Domitor* Dux Loth. et Barr. † 1690
Vxor Eleonora Maria A. A. Ferdinandi III. Imp. filia † 1697

Leopoldus *Beneficus* Dux Loth. et Barr. † 1729
Vxor Elisabetha Carolina Ducis Aurel. filia † 1744

Carolus Loth. Episc. Osnabrug. Olomucensis, et Elector Treuirensis

Iosephus Dux Loth. et Barr. Caesus in pugna ad Casanum † 1705

Franciscus III. Stephanus Loth. et Barri Dux Rom. Imp. † 1765
Vxor Maria Theresia Caroli VI. Imp. filia, Austriacarum ditionum omnium vi Sanctionis pragmaticae heres.
Horum posteros vide Tabella VI.

Carolus Loth. et Barri Dux Belgii Gubernator † IV. Iulii 1780
Vxor Anna Maria A. A. Caroli VI. filia † 1744

riae Thereſiae, et *Mariae Annae* ſucceſſionem conſtabiliendam, curae, conſiliaue omnia traducenda fuerint. Hunc in finem cum fratris ſui *Ioſephi* filiam *Mariam Ioſepham Friderico* Auguſto Saxoniae duci die XX. Auguſti A. 1719. nuptui *Carolus* daret, id 1719
ante ſponſionem nuptialem ab ea, eiusque ſponſo exegit, vt cunctis in hereditarias ditiones Auſtriacas iuribus ſolenni ritu, voce, ſcriptoque renunciarent: quam dubiae tum adhuc ſucceſſionis iacturam vt *Carolus* aliqua ex parte ſarciret, triennio poſt *Fridericum* Auguſtum ad obtinendam Polonici regni coronam valido exercitu, efficacibusque armis contra *Stanislaum* Letſinſzki Gallorum ſuppetiis regno reſtitutum, valideque diu defenſum, adiuuit, non ſine irreparabili tamen ſuo damno; ea enim opportunitate vſi Hiſpani, ſociis Gallis Poloniae cauſa in caeſarem concitatis, in Italiam irrumpentes, Neapoli, Sicilia, et parte ducatus Mediolanenſis eum ſpoliauere. Porro hereditaria ſucceſſio hunc in modum a caeſare deſcripta erat, vt, ſi ipſe absque virili ſobole obiret, filiarum primogenita *Maria Thereſia*, hac deficiente altera *Maria Anna*, harumque poſteri in omnibus ditionibus citra vllam prouinciarum partitionem ſuccederent: quibus fato exſtinctis, *Ioſephi* primum fratris filiabus, ac denique *Leopoldi* filiarum heredibus ius eſſet ad regna Auſtriaca, ſemper, et vbique religioſe obſeruato primogenituraе iure. Hanc igitur femininae ſucceſſionis rationem cum omnes Auſtriacarum ditionum populi prona volun-

tate A. 1720. adoptaſſent, Hungari, ne fide, gratitudine, et ſtudio in auguſtam domum Auſtriacam ceteris populis eſſent inferiores, collatis inter ſe conſiliis, opportunitatem ſolummodo praeſtolabantur, qua ſolenniori quodam ritu promtitudinem ſuam optime de ſe merito caeſari teſtarentur. Itaque cum vniuerſi regni ordines pro habendis generalibus regni comitiis Poſonium ad diem XXII.
1722 Iunii A. 1722. euocati fuiſſent, illis, quae
1715 ad coeptam in conuentu A. 1715. regni reformationem perficiendam pertinebant, tantisper ſepoſitis, vnanimi voce deſcriptam paulo ſuperius hereditariam ſucceſſionem femininam ſponte, ac beneuole adoptauere: his praecipuis conditionibus adiectis, vt ſeruato primogenitorum iure idem, qui ceteris Auſtriacis terris potiretur, Hungariam quoque ſimul poſſideret, tum vero, vt hereditarii reges Romano-Catholicam religionem profiterentur, ac ea prorſus ratione, qua *Carolus* in aditu regni vſus erat, tempore inaugurationis ſuae, ad gentis immunitates, et leges obſeruandas peculiari diplomate, et iureiurando ſe obſtringerent, cuncta denique tam *Caroli*, quam Ioſephi, ac *Leopoldi* caeſaris filiarum poſteritate penitus demortua, priſtina reges eligendi libertas ad Hungaros recideret. Re hunc in modum vnanimi omnium conſenſu in conuentu ſtabilita, miſſi ſunt communi totius regni nomine Viennam oratores, qui hanc ſucceſſionis Hungaricae in feminas transferendae voluntatem *Carolo* caeſari referrent, ab eodemque acceptari, con-

firmarique flagitarent. Caeſar prouidas deſtinationes ſuas per Hungaros ſponte ſua occupatas eſſe vehementer gauiſus fuit, ea maxime de cauſa, quod filiarum ſuarum in regno Hungarico ſucceſſionem, quam maxime firmam, ſtabilemque fore confidebat, vt cui nullis pollicitationibus, aut minis circumuenti, ſponte, ac libere aſſenſum praebuiſſent Hungari. Quapropter non ſine intimo voluptatis ſenſu ſinceram hanc eorum in ſe voluntatem, vt petebant, ratam habuit, autoritateque ſua roborauit. Firmata iam hunc in modum feminina domi ſucceſſione, cogitationes ſuas tranſtulit caeſar ad ſponſum primogenitae filiae ſuae *Mariae Thereſiae* deligendum. Diuerſi e regnantibus per Europam domibus occurrebant principes, ac, vt erant aulae miniſtrorum ſtudia varia, ita conſiliis quoque differebant. Ad extremum ii praeualuere, qui ſereniſſimae domus Lotharingicae in Auſtriacos principes meritorum rationem habendam ſuaſerunt. Lotharingiae quippe duces, longa annorum ſerie Habsburgicae domui foederati, vtiliſſimam ſemper praeſertim contra Gallos bello nauauerant operam, nullisque ſeu promiſſis, ſeu calamitatibus ſibi per Gallos illatis adduci vnquam poterant, vt deſertis Auſtriacorum partibus Pariſinae aulae ſe ſe conſociarent. Recens praeterea erat *Caroli* Lotharingi, ducis inuictiſſimi memoria, cui Viennam a Turcarum obſidione liberatam, Hungariam a diuturna duorum prope ſeculorum ſeruitute vindicatam, ſicque vniuerſam hereditatem Auſtriacam partim reſtitu-

tam, partim ſeruatam in acceptis referri oportere, a nemine in dubium reuocari poterat. Sed et ipſa ducum Lotharingiae familia, et dignitate, et generis antiquitate ſpectata, tanto connubio digniſſima videbatur, vt quae iam inde a dimidio ſeculo vndecimo hereditario iure Lotharingis praefuit, ſanguinis, affinitatis, et foederum communione maximis caeſaribus, et Europae regibus copulata (*a*). His itaque, aliisque ad perpetuam Auſtriacae monarchiae felicitatem facientibus de cauſis, *Carolus* VI. *Leopoldi* Lotharingiae ducis filios principes *Franciſcum*, et *Carolum* Viennam acciuit, in aula ſua, ſe moderatore ad ſcientias, artesque principibus dignas erudiendos, ac in auguſtarum nuptiarum ſpem educandos.

(*a*) Vide ſpecimen progonologico-genealogicum auguſtae domus Habsburgo-Lotharingicae, quod Vindobonae A. 1774. typis Trattnerianis edidimus in folio. Vnde lectores noſtri et genealogiam ducum Lotharingiae ſumma fide, et exactitudine concinnatam, et res ab eis praeclare geſtas, ſuccincta narratione ad noſtram vſque aetatem deductas diſcere poterunt.

§. X.

Nouum ſiſtema introducitur in politica regni adminiſtratione.

Haec eadem comitia, quibus feminini ſexus generatim, ſpeciatim autem *Mariae Thereſiae* auguſtae in Hungaria ſucceſſio definita, roborataque fuit, maximam praeterea celebritatem, ac ad poſteros memoriam conſecuta ſunt eo ex capite, quod multis veteribus legibus, moribus, placitis, conſuetudinibusque per eam occaſionem abrogatis, nouam gubernatio Hungarica, eamdemque longe vtiliorem formam vnanimi caeſaris, ordinumque regni conſenſione acceperit: ex quo intelligas, eius aetatis patres patriae maiores noſtros multarum, quibus olim firmiter inhaerebatur, rerum in ciuitate Hungarica innouandarum neceſſitatem clare perſpexiſſe, atque idcirco ſinceriſſimae *Caroli* VI. ad veram, perpetuamque felicitatem procurandam voluntati auxiliatrices manus vltro porrexiſſe: quo quidem exemplo ſuo palam demonſtrabant, mutatis temporum, et rerum rationibus, cum nempe euidens patriae vtilitas id exigit, a veteribus moribus, placitisque tuto poſſe recedi. Quam in rem in promptu ſunt complurium Europae populorum exempla, qui cum vicinorum principum ſe ambientium monarchias, aliam a priore diuerſam, ſibique formidabilem faciem pedetentim induere viderent, tam communis domeſticae vtilitatis, quam etiam ſecuritatis

cauſa, mature obuiam ſibi eundum, et res ſuas in meliorem ordinem redigendas putauere: nihil nempe in humanis ita perfectum eſt, vt labente aetate nihil ei amplius addi, demiue poſſit. In celeberrimis itaque his comitiis, illi, quibus volente ita caeſare,
1715 ſuperiorum A. 1715. comitiorum decreto noui ſiſtematis politici, militaris, et oeconomici elaborandi prouincia demandata erat, nec non illi, qui leges municipales, iudiciorumque rationem corrigendam ſuſceperant, ea, quae diuturna, maturaque plurium annorum deliberatione mutuis conſiliis priuatim deſcripſerant, ordinum regni iudicio examinanda, ac caeſaris ſubinde calculo probanda, propalam exhibuerunt. Sed neque illud ſilentio praetereundum eſt, cum caeſar maiorem in modum Hungaris ſub ipſa iam regni initia, ac nunc etiam commendaſſet, vt quidquid pro gentis Hungaricae cultura, commodo, atque gloria facere videretur, candide ſibi, tamquam patri, proponerent, certosque vna feciſſet, quidquid ipſe calculo ſuo ſemel confirmaſſet, perpetuum, ſanctum, ſtabileque fore, multi multa iis in comitiis propoſuerunt, ex quibus inſignem illorum in principem ſuum fidem, ſinceram in patriam charitatem, et futurorum prouidentiam licet intelligere. Haec, quae hucvſque aliquanto diffuſius praefari neceſſe habuimus, vberius ex ipſis comitiorum horum conſtitutionibus poſſunt intelligi, quae quidem omnia longum, ac ſuperuacaneum foret recenſere: praecipua itaque ſolum capi-

ta,

ta, in ordinem digesta, hic loci commemorabimus, atque ab iis, quibus res regni politica nouam accepit formam, ordiemur. Haec inter primum sibi vendicat locum principis illius in regno senatus, quod *consilium regium locumtenentiale* appellatur, erectio, qua in re *Carolus* Diuum *Stephanum* monarchiae Hungaricae conditorem imitatus fuit, a quo *senatum regalem* e grauissimis vtriusque ordinis viris conflatum, regi semper praesto futurum, institutum fuisse suo loco meminimus (*a*). Senatus huius pro rerum, temporumue ratione, pro regum item, ac ordinum regni arbitrio, varia sors fuit, ac imperante quidem *Vladislao* II. adeo illius autoritas iam euiluerat, vt primores regni eidem vel assistere dedignarentur. *Ludouico* II. autem rerum potiente, cum monarchia Hungarica tota in ruinam inclinata efficacibus adminiculis iuuanda, sustentandaque videretur, idem hic *senatus regius* Batsiensium comitiorum decreto restitutus (*b*), mox per cladem Mohátsiensem dissipatus fuit. Ex eo tempore etsi primores regni crebrius Posonium conuenirent, de republica consilia habituri, id tamen nulla stabili lege, neque constanter fiebat, vt adeo in tristissima hac regum periodo, passim conquererentur Hungari, numquam se a principibus suis in cou-

(*a*) Notitiae nostrae parte I. pag. 222.
(*b*) Ibidem parte II. pag. 548.

filium adhiberi, se inſciis, inconſultisue mandata pleraque in Hungariam expediri: querimoniae hae ſingulis propemodum in comitiis repetitae non ante deſierunt, quam poſtquam communi ordinum regni voto, et caeſaris autoritate dicaſterium hoc perpetuitatem obtinuit. Mens quidem iam tum erat caeſaris, vt illud in regni Hungarici centro, Budae collocaretur, at cum tot illuſtribus *ſenatus* huius membris commode capiendis opportuna ibidem adhuc deeſſent hoſpitia, dum ea pararentur, Poſonii interea ſubſiſtere iuſſus fuerat, verum quod tum in effectum dari non poterat, feliciter iam perfecit, gentisque Hungaricae vota cumulate expleuit *Ioſephus* II. auguſtus rex noſter, qui dum
1784 haec ſcriberemus A. 1784. conſilium, et cameram regiam cum ſuprema per Hungariam armorum praefectura Poſonio Budam tranſtulit. In ſenatum hunc lecti fuere praelati, magnates, et nobiles e diuerſis vaſtiſſimi regni plagis acciti duo ſupra viginti, qui praeſide palatino, aut iudice curiae, regi ſuo in moderanda Hungaria ſint a conſiliis ea lege, vt ſenatores ad minimum duodecim conſtanter praeſentes adeſſent, quorum conſilia, vt rerum temporumue adiunctis eſſent accommodata, comitatibus, ciuitatibusque regiis lege publica impoſitum, vt fideles, exactasque ſingulis de negotiis informationes ſtatis temporibus eo ſubmitterent: quo ſic ſummi hi viri cunctis de rebus certiores redditi, et malis mature proſpicere, et ea, quae ad communem felicitatem faciunt, efficacius poſ-

ſint promouere. Ne ſua principi huic dicaſterio deeſſet autoritas, ſancitum, vt a nullo alio tribunali aulico, ſed a ſolo rege dependeat, ſuas huic opiniones ſcripto ſubmittat, et ſcripto pariter ab eodem reſponſa accipiat: quae ſemel potioribus votis in ſenatu hoc decreta eſſent, nemini immutare liceat: eius fidei, integritatique commiſſa eſt legum patriarum cuſtodia, et accurata conſtitutionum in publicis regni comitiis perlatarum obſeruantia per vniuerſum regnum procuranda: illi denique tota rei politicae per Hungaricas ditiones adminiſtratio cum poteſtate concredita, vt hic praecipuus eſſet canalis, per quem ſummus imperans toti corpori vigorem, ſalutemque inſpiraret (*a*). Porro cum recta totius regni gubernatio ab accurata partium ſingularum adminiſtratione pendeat, comitatuum magiſtratibus opportunae leges, praeſertim de negotiorum ſibi creditorum fideli pertractatione, de recto ordine, diſciplinaque cuſtodienda, de ſua cuiuis ſecuritate, iuſtitiaque praeſtanda, de infima plebe, cui publicorum tributorum onus ferendum incumbit, aduerſus cuiusuis oppreſſionem tuenda, de generalium congregationum celebrandarum ratione, et rerum illic concluſarum autoritate, ac de idoneorum denique virorum ad publica comitatus munia obeunda delectu, ſunt praeſcriptae;

(*a*) Caroli VI. decret. II. art. XCVII. XCVIII. CI. CII. CVI et CXII.

poſtremum hoc ad veterem morem reuocari placuit: vt nempe procomitis, iudicis nobilium, aliique magiſtratus non aliis, quam nobilibus, ingenio, et doctrina conſpicuis, ab omni partium, priuati commodi, aut lucri ſtudio alienis, nulli clientela obnoxiis, ac copioſa denique re familiari prae ceteris locupletibus crederentur, quo ſic eo maiore cum libertate, munus ſuum obire, ſummi imperantis mandata executioni dare, ius denique, ac iuſtitiam ſummis aeque, ac infimis ſpe, metuque ſepoſito, poſſint adminiſtrare. Vt autem ea, quae comitatibus praecepta, creditaque ſunt, eo diligentius, accuratiusque peragerentur, quemadmodum a D. *Stephano* inſtitutum, pluribusque ſeculis apud Hungaros vſitatum erat, ſupremi comites, niſi cum publicis regis, regnique muneribus auocantur, ſuis in comitatibus ſtabile domicilium figere, magiſtratus comitatenſes conſiliis ſuis in commune bonum dirigere, resque omnes per ſe ipſos moderari inſſi ſunt (*a*). His omnibus ad rectam totius regni gubernationem ſumma cum prudentia, ſapientiaque diſpoſitis, quodſi grauiſſimorum negotiorum cauſa generalia comitia aliquando celebrari oporteret, in his deliberandi, mentemque ſuam omni cum moderatione promendi ratio deſcripta, omnisque de priuatis ſingulorum negotiis diſceptatio interdicta; ne autem diuturnior domo abſentia multis, prae-

(*a*) Decreti cit. art. XVIII. LVI. LVIII. et LXXIII.

ſertim egentioribus, grauis, moleſtaque accideret, ſapienter perlatum, ne comitia, niſi maximis de cauſis, atque ex principis voluntate, vltra bimeſtre protraherentur (*a*). Quo tam principis, quam priuatorum ſaluti, ſecuritatique proſpiceretur, neque vlli ſpes impunitatis ad crimina ciuili praeſertim ſocietati noxia perpetranda, audaciam praeberet, nobilibus non minus, quam ignobilibus idmodi criminum reis grauiſſimae poenae ſunt conſtitutae (*b*). His iisdem in comitiis cum ordines regni clare perſpicerent, Hungaricae gentis futuram felicitatem, et gloriam, a recta iuuentutis inſtitutione pendere, partem hanc peculiari ſtudio ſibi curandam exiſtimauere. Negotium itaque datum comitatuum magiſtratibus, vt diligenter inuigilent, num a tutoribus pupilli, a parentibus autem filii, nobili loco nati, debitam, generique ſuo conuenientem accipiant inſtitutionem. Caeſar vero maiorem in modum rogatus fuit, vt quemadmodum ſuperioribus iam comitiis pias fundationes omnes ſibi, qua regi apoſtolico, ſubiecerat, ita peculiari prorſus cura conuictus, pia multorum munificentia in nobilis, egentioris praeſertim, iuuentutis commodum erectos, proſequeretur, ſoliciteque inſpici iuberet, num piae fundatorum menti iuuentutis in iisdem inſtitutio reſpondeat, quae cura ſpeciatim conſilio re-

(*a*) Ibidem art. VII.
(*b*) Ibidem art. IX. X. XI. et XII.

gio demandata fuit. Porro cum reſtituta haud ita pridem Hungariae pace in naſcente tum domi republica literaria, praeter manſuetiores literas, nonniſi theologia, philoſophia, et patrium ius conſuetudinarium traderetur, comitiorum patres ſupplices fuere caeſari, vt aliarum quoque diſciplinarum tam ciuili, quam militari ordini neceſſariarum, ac omnium denique ſcientiarum, in celebrioribus Europae vniuerſitatibus explicari ſolitarum, magiſtros conſtitueret, quorum ductu gens Hungara, armis fere ad eum diem dedita, eruditionis etiam gloriam aliquando conſequeretur. Ea res mirifice placuit caeſari, atque idcirco ordinibus regni praecepit, vt communicatis inuicem conſiliis, deſideratarum diſciplinarum in Hungariam introducendarum, cathedrarumque ſtabiliendarum modum, rationemque diligenter deſcriberent, ac ſubinde conſilii ſui regii iudicio ſubmitterent. Quid poſtea pro re literaria ad ſummum florem in Hungaria deducenda excogitarum, elaboratumque fuerit, nobis non conſtat. Ceterum ne iuuentus nobilis ea, quae in conuictibus, aut ſcholis publicis vtiliter didicerat, domeſtico in otio peſſumdaret, ac inſtitutionem, quam optimam a moderatoribus acceperat, aliquando corrumperet, committi placuit comitatibus, vt diſcolos quidem autoritate publica coercerent, de iis autem iuuenibus, qui praeclara ingenii, doctrinae, et probitatis darent ſpecimina, conſilio regio accuratam informationem ſubmitterent, vt ex his ſubinde accedente prin-

cipis annutu, delecti, ad publica regni munia tempestiue possint admoueri. Magnatum autem filiis amplissimus discendi campus apertus est, cum potestas eis facta, praestito praeuie iuramento, consilii regii de republica consultationibus absque voto assistendi (*a*). Erat quiddam adhuc, nec leue illud, quod Hungaris de pacis domesticae perpetuitate solicitis cordi tum erat: cum enim optime meminissent magnatum filios olim in regum Hungariae aula educari consueuisse, morem hunc non minus vtilem, quam genti suae honorificum porro etiam obseruari, nobiles ex aduerso adolescentes ad primorum regni magnatum domos assumi, ibidemque ad publica negotia tractanda erudiri optabant: sagaciter nempe hi perspiciebant, inueteratam illam duorum prope seculorum dissidiis principes inter Austriacos, et Hungaros diffidentiam non alia facilius via tolli, eradicarique posse, nec quidquam certius futurum existimare poterant, quam vt adolescentes magnates in aula regia educati, sincerum in principem suum amorem, fidemque condiscerent, ac ipsi subinde ad magistratus, dignitatesque euecti, nobilium viciſſim animis inspirarent (*b*). Qua in re et *Carolum* caesarem magnatibus, et hos nobilitati fauisse exploratius est, quam vt probari oporteat.

(*a*) Ibidem art. LXX. CV. et CXI.
(*b*) Ibidem art. CV.

His fere legibus res Hungariae politica ad meliorem ordinem reuocata, perpetuam regno ſpondere poterat ſtabilitatem.

§. XI.

Iudiciorum ratio innouata.

Quae olim apud Hungaros tribunalium, et iudiciorum ratio obtinuerit, quoties ea variata ſit, ſat perſpicue a nobis iam alibi explicatum eſt (*a*). Sub Auſtriacis principibus inde a *Ferdinando* I. etſi et iudicia octaualia, et tabula regia haberentur, haec tamen tribunalia ob crebra cum Turcis bella, aut ob domeſticas ſeditiones, aut aliis interdum de cauſis impedita, paulo diutius nonnumquam ſilere cogebantur: vt adeo annoſae lites plurimae a patribus ad filios, nepotesque transmitterentur, quin vnquam optatum ſortirentur exitum. Malo huic ſane quam grauiſſimo, quo illuſtres olim, locupletesque familiae ad vltimam redactae erant egeſtatem, dum iniqui poſſeſſores interea ad maximas opes, potentiamque eluctabantur, efficax praeſentibus in comitiis remedium allatum fuit, tribunalibus, iudicibusque per regnum multiplicatis. Praeterquam enim,

(*a*) Notitiae parte I. pag. 136.

quod ſua nobilium iudicibus, comitatuum item, ac regiarum ciuitatum magiſtratibus iudicandi autoritas relicta ſit, ad eas cauſas, quae olim per protonotarios cognoſcebantur, dirimendas, tabulae diſtrictuales, praeſide, et quatuor iudicibus conſtantes, pro quatuor regni plagis inſtitutae, atque Tyrnauiae, Ginſii, Eperieſini, Debrecinique collocatae ſunt (*a*). Pro Dalmatiae, Croatiaeque regnis banalis tabula, cui banus ipſe, vel certe is, qui eius locum tenet, praeeſſet, porro etiam ſtabilita (*b*). His omnibus altius forum non tam recens introductum, quam ad certam, derminatamque formam redactum fuit, quod tabulam regiam appellamus. Haec conſtanter deinceps, excepto feriarum, lege praeſcriptarum, tempore (*c*), conſidere, cauſasque ad iuris patrii placita decidere iuſſa, ea cum cautione, ne perſonalis praeſentiae regiae in iudiciis locumtenenti praeſidi, nouem iudicibus e cleri, baronum, et nobilium ordine delectis, pauciores vnquam pro tribunali aſſiſterent (*d*). Supremum denique regni tribunal, quo cauſae omnes per appellationem deuolutae, decretoriam demum acciperent ſententiam e iuris peritiſſimis ſeptemviris ſuperiorum comitiorum voluntate cogi iam coeptum, vt eo facilior, ſecuriorque

(*a*) Caroli VI. decreti II. art. XXX. XXXI. et XXXII.
(*b*) Ibidem art. XXXVII.
(*c*) Ibidem art. XXIX.
(*d*) Ibidem art. XXV.

eſſet iuſtitiae adminiſtratio, nouis octo iudicibus augeri placuit: quem in finem duo e clero, totidem e magnatibus, quaterni ex equeſtri nobilium ordine prioribus additi ſunt iudicibus, ſtabilique lege ſancitum, vt palatino locumtenente, aut iudice curiae praeſidibus, vt minimum iudices vndecim conſiderent (*a*). Vtrumque hoc poſtremum tribunal Peſtini collocatum, poſtquam ſexaginta annos ibidem exegit, eodem cum conſilio regio locumtenentiali, camera regia tempore, pro habendis menſe Auguſto iudiciis in vrbem Budenſem commigrauit. Quae porro ſiue in litium tractandarum ordine, ſiue in poenis, mulctisue irrogandis, ſeu denique in vniuerſa re iudiciaria e veteribus legibus antiquata, nouaque tum introducta, ſtabilitaque ſint, ex ipſis comitiorum conſtitutionibus lectores noſtri nullo negotio arbitrari poterunt. Quia vero patribus quam maxime cordi erat cauſarum acceleratio, quotidianiaque docuerat experientia, aduocatorum potiſſimum artibus, multiplicatis exceptionibus vltra modum prolixis, atque a ſcopo ſaepe aberrantibus diſceptationibus mutuis cauſas non ſine partium ſumtibus protelari, ſeuere praeceptum, vt non alii aduocati, quam iureiurando prius obſtricti, cauſas agerent, praeciſis omnibus verborum ambagibus ſuccincte, ac breuiter legibus, rationibusque legi conformibus pugnarent, ne-

(*a*) Ibidem art. XXIV. et XXVI.

que tribus plures, easdemque ratione nixas exceptiones facere permitterentur (*a*).

§. XII.

Res militaris correcta.

Res militaris non optime ad eum diem conſtituta, ac publica etiam regni oeconomia nouam *Caroli* curis formam coepit induere. Saepius in opere noſtro meminimus atrocium ſimultatum, quae ciuilem inter, ac militarem ordinem interceſſerunt, ac toto fere Auſtriacae periodi tempore perduranere, vt adeo vix quodpiam comitiorum decretum reperias, quod non querimoniis, legibusque aduerſum militem ſeu legionarium, ſeu confiniarium latis, ſit refertum. Inueterati huius odii, feliciter ſublati, gloria ſeruabatur piiſſimo principi *Carolo*; is enim, cum ſapienter perſpiceret, numquam ſtabilem in regno quietem, tranquillitatemque obtentum iri, niſi ciuilis ordo intima amicitia, voluntatumque conſenſione cum militari coniunctus in commune bonum conſpiret, vt erat iuſtitiae cultor eximius, poſtquam totius gentis querimonias veritate niti comperiſſet, annoſarum diſſenſionum cauſas radicitus euel-

(*a*) Ibidem art. XXXVIII.

lere coepit. Longa annorum ſerie mos inualuerat, vt arcium, fortalitiorumque praefecti militares ea emolumenta, quae regalia dicimus, vt ſunt educilla, macella, naula, et alia his ſimilia, ciuitatibus, aliisue dominis ablata ſibi aſſererent, lucraque inde venientia in priuatam vtilitatem ſuam conuerterent: incaſſum eapropter querelae, praeſertim ſub *Leopoldo* caeſare, ad tribunal bellicum deferebantur propterea, quod in ſummis aerarii publici anguſtiis idmodi lucra ſtipendiorum, praefectis militaribus debitorum, vicem obirent. *Carolus* ius ſuum cuique tribuere certus, beneficia ea omnia ſine mora ſuis dominis reſtitui, iacturamque reddituum annuorum militaribus fortalitiorum praefectis ex aerario publico ſarciri iuſſit (*a*). Porro cum ii, quibus dudum iam negotium datum erat, vt modum, rationemque reperirent, qua legionarius miles citra gentis Hungaricae incommodum ſtabiliter deinceps in regno degeret, nondum opus ſuum abſoluiſſent, rogatus caeſar fidem dedit, ſe primo quoque tempore ſiſtema militare deſcripturum, quo coercita militis licentia, inueteratis querimoniis optatus finis imponeretur. Neque ſecus praeſtitit, edito die VI. Apri-
1730 lis A. 1730. diplomate, ac per vniuerſum regnum promulgato. Cetera inter conſtitutum, vt donec ſingulis in comitatibus aedes militum habitationi deſeruiturae erigantur, prae-

(*a*) Decreti II. art. XXI.

fecti militares cuiuscumque demum ſtirpis, aut dignitatis ruſticis domibus ſibi per magiſtratum comitatenſem aſſignatis contenti ſint, neque propria autoritate ſua ſtationem mutare, minus autem nobilium caſtella, curias, parochias, ſcholas, aliasue publicas aedes pro habitatione ſua deligere audeant, definita ſingulis ſtipendia, lignorum item, foeni, auenae, ceterarumque rerum neceſſariarum quantitas, quarum loco, vt ante fieri conſueuerat, paratum aes a colonis extorquere nefas eſſet. Quodſi ſeu milites gregarii, ſeu eorumdem praefecti plus, quam a caeſare praeſcriptum erat, a quoquam exegiſſe conuincerentur, illatum damnum perſoluto aere compenſare iuſſi. His, aliisque legibus circumſcripta militum licentia, non iam ſoli ſecuritati regni, verum etiam tranquillitati domeſticae opportune proſpectum fuit, vt adeo intolerabile illud prius legionariae militiae in regno alendae onus non facilius modo, verum etiam vtiliſſimum incolis euaſerit, quod tributa non ſola pecunia, verum etiam induſtriae ſuae fructibus poſſint perſoluere, milites quoque ipſi praeſcripta ſibi ſorte contenti, manus deinceps ab inferendis iniuriis abſtinere coeperunt (*a*). Legionariae

(*a*) Caroli VI. ſiſtema militare nouis legibus partim correctum, partim innouatum fuit per Mariam Thereſiam auguſtam diplomate die XXVIII. menſis Decembris A. 1747. edito, quod vide in codice iuris patrii ad calcem partis II.

huius militiae ad communem ſecuritatem in perpetuum deinceps e publicis regni tributis alendae onus his quoque comitiis ſtabilitum fuit, quod vt inter omnes comitatus, comitatuumque incolas ſingulos ex aequo diuidi poſſit, noua totius regni conſcriptio ad mentem caeſaris inſtituenda, noua item *portarum*, quo nomine integra olim ſeſſio colonicalis veniebat, partitio decreta fuit (*a*). Vt autem ſtipendiorum militarium e tributis tam colligendorum, quam diſtribuendorum ratio recto procedat ordine, in quatuor regni plagis totidem *commiſſarii*, quos *prouinciales* vocant, inſtituti ſunt, quibus vnus e magnatibus directoris nomine praefectus eſt (*b*). Denique cum nobiles, ceterique nobilium iure gaudentes Hungariae ordines, non ſolum a legionarii militis intertenendi obligatione, verum etiam a quouis tributi pendendi genere, confirmatis veteribus praerogatiuis, porro etiam immunes a caeſare pronunciati ſint, congenitam ſibi pro principis, patriaeque defenſione inſurgendi, militandique prouinciam publica comitiorum conſtitutione pariter in perpetuum ſtabilitam voluerunt, quoties principi viſum fuerit, arma correpturi (*c*).

(*a*) Caroli VI. decreti II. art. LXIII. et LXVII.
(*b*) Ibidem art C.
(*c*) Ibidem art. VI.

§. XIII.

Res oeconomica ordinata.

Camerae quoque, et regiorum ſacrae coronae prouentuum adminiſtratio, nec non communis toti regno oeconomiae reformatio iisdem in comitiis in quaeſtionem vocata fuit: quia vero caeſar in ſuperiori conuentu fidem dederat, ſe habita cum adminiſtris ſuis, Hungarisque deliberatione, certas leges, quibus camera regia ſtabiliter deinceps vteretur, deſcripturum, maiorem in modum ab ordinibus regni exoratus fuit, vt, quod promiſerat, quantocyus perfici procuraret (*a*). Quod vero ad publicam regni oeconomiam pro communi omnium, et priuata etiam ſingulorum vtilitate in meliorem, quam vnquam antea, ordinem reuocandam attinet, cum opus id et longiorem moram, et multas oeconomiae peritorum conſultationes exigere videretur patribus, neque generalia regni comitia tamdiu poſſent protrahi, conſilio regio negotium datum, vt eiusdem ſiſtema diligenter elaboret, caeſarisque iudicio poſtea examinandum ſubſternat (*b*). Neque tamen caput hoc ita tum praeteritum fuit, vt non aliqua in communem patriae vtilitatem facientia ſint perlata. Frequentia olim in Hungaria oppida, et pagi cum alias, tum

(*a*) Caroli VI. decreti II. art. XVI.
(*b*) Ibidem art. XV.

vero poſtremis tam ciuilibus, quam Turcicis bellis, metu dilapſis incolis, in triſtem abiere ſolitudinem: reſtituta nunc feliciter pace, cum coloni priſtinas ſuas ſedes repeterent, nonnulli domini terreſtres, qui deſertorum eorum locorum terras omnes in vtilitatem ſuam conuerterant, adeo duros ſe ſe praebuerant, vt eos poſtliminio reduces a natali ſuo ſolo prohibere ſint conniſi: quo facto cum publico etiam aerario non leuis tributorum, ab idmodi locis olim pendi ſolitorum, portio decederet, lege publica cautum, vt ſuae colonis priſtinae ſedes redderentur, comitatenſisque magiſtratus ſedulo inuigilare iuſſus, ne tam hi, quam alii etiam ſubditi vltra vrbarii praeſcriptum a dominis ſuis premerentur (*a*); praeterea ſub diuturna ſeruitute Turcica, multis Hungaricarum prolium millibus quouis anno in ditiones Ottomannicas translatis, continuis item duorum propemodum ſeculorum bellis exhauſto, diminutoque populi numero, foeda vbique ſucceſſerat ſolitudo, vt vnius, aut plurium etiam dierum itinere vix pagus aliquis conſpiceretur. Tot igitur deſertis Hungariae plagis frequentiam procuraturi regni ordines ſanxere, vt nouae coloniae e diuerſis praeſertim Germanici imperii regionibus euocatae in Hungariam deducerentur: id quod vſque adeo ratum habuit *Carolus*, vt etiam nouos colonos ſexennio integro a cuiusuis tributi

(*a*) Ibidem art. XVIII.

tributi onere exemtos fore pronunciauerit. (*a*) De eo etiam ſolliciti fuere patres, vt Hungaria artibus mechanicis, ciuili ſocietati hoc potiſſimum reſurgentis regni tempore neceſſariis, quamprimum excoleretur. Qua in re, ita eorum votis fauit caeſar, vt mechanicos exteros domicilium in Hungaria figere volentes, annorum XV. a tributis immunitate donauerit, ea tamen lege, ne idmodi artificibus fundi, terraeque concederentur, ne per harum culturam a ſuis opificiis auocarentur (*b*). Vnum adhuc deerat, quo publica non minus, quam priuata Hungarorum res oeconomica in immenſum creſceret, quoue exterorum populorum opes, ac diuitiae domum deriuarentur, ſicque pacis, bellique neruus ſtabili fluxu aliunde accerſeretur, cum vicinis nempe, remotisque populis rerum in Hungaria naſci, aut induſtria parari ſolitarum commercium. Multa iis in comitiis eum in finem de vario quaeſtu inſtituendo, de maximis regni fluuiis per canales nauium capaces coniungendis, de exteris mercibus, quibus ipſi abundamus, a regno prohibendis, aliisue ſimilibus acta ſunt: at cum vniuerſalis commercii, eiusdemque patriae vtilis ſiſtema, opus paulo difficilius appareret, eius elaborandi prouincia conſilio regio commiſſa fuit (*c*). Equidem *Carolo* VI. cae-

(*a*) Ibidem art. CIII.
(*b*) Ibidem art. CXVII.
(*c*) Ibidem art. CXVI. CXVII. CXIX. CXXI. et CXXII.

ſari nihil aeque in votis fuit, ac vt rem commercialem, quae hactenus Auſtriacae monarchiae defuit. in ditionibus ſuis erigeret, atque conſtabiliret: nam et longa deceſſorum, et ſuamet propria didicerat experientia, domeſticos prouentus, tributa item, ac vectigalia e ſolo ſubditorum labore, ſudoreque collecta numquam bellis gerendis ſuffeciſſe, vt adeo, ſi diuturnius bellum fuit, aes alienum contrahere, veteraque debita nouis accumulare oportuerit. Itaque quamprimum pace Raſtadienſi, die VI. Martii A. 1714 1714. ſignata, Belgii Hiſpanici poſſeſſionem adiit, Oſtendanum portum quaeſtui faciendo aperuit, mercatoriamque ſocietatem autoritate ſua ibidem conſtituit, quae paucorum annorum ſpatio ad eam potentiam peruenit, vt et quaeſtus magnitudine, et nauium bellicarum copia Hollandicae reipublicae vmbram facere coeperit; qua de cauſa grauiſſima Hol- 1719 landos inter, et caeſarem A. 1719. diſſidia ſunt enata. Quo tempore, cum Galli, Angli, et Hiſpani minime ſibi admittendum putantes, vt auguſta domus Auſtriaca maritimis diteſceret commerciis, Hollandorum partes tuerentur, *Carolus* VI. ne ſe difficili bello implicaret, Oſtendanum portum maximis ſuis ingratiis occludere, florentemque iam non ſine aerarii ſui emolumento mercatoriam ſocietatem diſſoluere coactus fuit. Hunc in modum iniectos tum commercio Auſtriaco compedes diſrumpere, interceptosque aui ſui *Caroli* VI. conatus magno animo noſtra aetate renouare coepit *Ioſephus* II. auguſtus,

cui optatiſſimos ea in re perficienda ſucceſſus ex animo vouemus. Tergeſtinus quoque portus ſua *Carolo* debet initia, in quo conſtituendo Venetos cumprimis aduerſarios expertus fuit, quod hi pariter toto ſtudio prohibere niterentur, ne domus Auſtriaca vllam in commerciis, toti prope Europae communibus, partem haberet; verum caeſar Venetorum molimina parui pendens, coeptum opus magnis ſumtibus proſecutus eſt, ſucceſſoribusque ſuis viam commonſtrauit ad tentanda paulo grandiora, ac ad ea adiumenta monarchiae procuranda, per quae illa non ſola iam virorum, armis gerendis idoneorum, multitudine floreret, verum etiam certiſſimo belli neruo locupletaretur.

§. XIV.

Res eccleſiaſticae.

HAs inter pro patriae tranquillitate, et felicitate curas, religionis quoque ſacroſanctae ad priſtinum ſplendorem reuocandae, cultusque Diuini inſtaurandi ratio habita: quem in finem praelatis, ac beneficiatis vniuerſim omnibus publica conſtitutione ſub graui regiae animaduerſionis comminatione praeceptum, vt ad legum ſacrarum praeſcriptum, ſinguli in dioeceſibus, eccleſiisque ſuis, niſi publicis ſummi imperantis, aut regni offici-

is impediantur, conſtanter reſideant: vt ibidem pro muneris ſui ratione verbo, et exemplo diſcolos quidem ad rectam frugem reducere, probos autem ad Chriſtianarum virtutum exercitium efficaciter excitare ſatagant. Ex eadem reſidentiae cauſa vetitum, ne cuiquam plura, quam vnum, beneficia conferantur, niſi idmodi perſona ſit, cui iuſtis, grauibusque de cauſis plurium beneficiorum collatione neceſſario eſſet proſpiciendum. Quemadmodum autem praelatis porro etiam canonicatus diſtribuendi poteſtas ſtabilita fuit, ita priuatis pariter dominis ius patronatus, legitimo titulo aquiſitum, ea lege aſſertum fuit, vt ad vacantia beneficia perſonas idoneas, bene meritas, neque alteri alicui eccleſiae obſtrictas praeſentent (*a*). Quo parochorum, qui in animarum ſibi creditarum cura dies, noctesque deſudant, a quorum potiſſimum inſtitutione recta populi fides, moresque Chriſtiani immediate dependent, congruae ſuſtentationi efficaciter proſpiceretur, tam epiſcopis, quam eccleſiarum patronis impoſitum voluit caeſar, vt ea omnia, quae eisdem per parochianos pendi, praeberique debent, exacte, et fideliter praeſtari procurent: quem etiam in finem vbiuis locorum decimarum ſedecima, octaua autem, vbi eius vſus hactenus viguit, Catholicis parochis iuxta leges patrias eſt confirmata. Eliminatis iam feliciter e tota Hungaria Tur-

(*a*) Caroli VI. decret. II. art. LV.

cis, praelati dioeceſibus, bonisque ſuis reſtituti, non leue onus adiere, cathedrales eccleſias, aedesque ſuas epiſcopales, partim temporum iniuria, partim hoſtium furore ſolo aequatas, poſtliminio reſtaurandi: qua in re pro eccleſiae incremento, ſucceſſorumque commodo aggredienda, proſequendaque ſi qui ſegniores eſſent, rogatus fuit caeſar, vt qua *ſummus eccleſiarum Dei patronus* negligentium eiusmodi beneficiatorum prouentus autoritate ſua ſequeſtrari, ac in aedium, vel eccleſiarum inſtaurationem conuerti procuraret (*a*). Quae de capitulis, conuentibus, quorum fidei inſtrumenta literaria ſunt credita, ad communem iurium ſecuritatem ſunt praeſcripta, quae ſeu circa cuſtodiam inſtrumentorum, ſeu circa eadem extradandi rationem, ſeu denique circa relationes per exmiſſos capitulares faciendas leges hac tempeſtate perlatae ſunt, ſuperuacaneum foret, ac lectoribus ipſis taedioſum hic loci explicare: id aliquid refert nouitatis, quod cum ante nonniſi procuratorias in rebus, cauſisque ſuis propriis capitula, et conuentus dare conſueuerint, praeſentium comitiorum decreto plenipotentiarios quoque pro ſe conſtituendi poteſtatem obtinuerint, ea tamen conditione, vt plenipotentiales ſuas literas nonniſi coram aliis locis authenticis poſſint reuocare (*b*). Haec, quae quinque capitibus

(*a*) Ibidem art. LXXI.
(*b*) Ibidem art. XCI.

candide, fideliterque lectoribus nostris explicare conati sumus, praecipua sunt innouati, ac in meliorem ordinem reuocati sistematis Hungarici, in cuius diuersis partibus elaborandis, *commissiones* ex Hungaris vtri-
1715 usque ordinis conflatae iam A. 1715. publica autoritate institutae pluribus annis operam suam locauerant, quaeque in praesentibus comitiis per ordines regni anni vnius spatio summa diligentia, et accuratione examinata, accedente *Caroli* VI. assensu publicae, perpetuaeque legis autoritatem sunt consecuta. Quae omnia etsi prouide, sapienterque essent disposita, quia tamen et piissimus caesar, et ordines regni optime perspectum habuerunt, ad summi imperantis, subditorumque securitatem, et salutem, sola humani ingenii, et prudentiae consilia minime sufficere, nisi Dei supremi populorum omnium moderatoris fauore, et auxilio protegantur: idcirco diuorum Hungariae regum imitatione conatibus, institutisque suis caelestem benedictionem procurandam censuerunt. Hunc in finem lege sancitum, vt religiosi ordines, seu olim, seu recenter in regnum admissi, in signum gratitudinis, et pietatis *singuli XII. sacrosanctae missae sacrificia pro suae maiestatis sacratissimae, et successorum Hungariae regum, regnique huius apostolici incolumitate, incremento, et prosperitate singulis annis, et in perpetuum dicere, et celebrare, moniales autem celebrari facere teneantur*

(a). Repetitis toties ſacrificiis diuinam placari maieſtatem, ac tam principi, quam populo propitiam reddi, quis eſt, qui in dubium reuocet?

§. XV.

Quae inde in patriam commoda.

Celeberrimis his comitiis, quae ſiſtematica audiunt, die XIX. Iunii A. 1723. abſolutis, poſtquam illa, quae ſapienter conſtituta ſunt, vbiuis in vſum deduci coepere, noüam mox Hungaria, eamque meliorem formam induit. Sublatis feliciter veterum odiorum, et ſeceſſionum cauſis, euulſa ex animis funeſta principem inter, et ſubditos diffidentia, ſui, rerumque ſuarum ſecuri Hungari ſtudia ſua non ad priuatam tantummodo felicitatem, verum etiam ad communem patriae ſuae ſalutem, et gloriam procurandam conuertere. Res politica duorum prope ſeculorum agitationibus labefactata, in pulchrum reuocari ordinem, fraudes, inueterati abuſus, et noxia ciuili ſocietati crimina corrigi, omnia denique innouari, atque reuiuiſcere. Creſcebat 1723

(a) Ibidem art. XCVI.

pedetentim apud *Carolum* Hungarorum exiſtimatio, qui per tot dicaſteria, et tribunalia, velut totidem theatra, diſtributi, luculenta fidei in regem, ingenii item, ſapientiae, ac prudentiae edebant ſpecimina, cum antea plurimi et natalium ſplendore, et opibus conſpicui, ab omni reipublicae adminiſtratione excluſi, domi in otio torpeſcerent, vitiisque inde naſci ſolitis vacarent. Iuuentus Hungarica nouis tot muneribus, et officiis a *Carolo* inſtitutis, et palaeſtram, in qua pro communi bono operam nauaret, et laborum ſuorum praemia ſibi propoſita videns, alacrius iam, diligentiusque in diſciplinas, bonasque artes, quibus vtiles patriae ciues formantur, incumbere coepit, vnde plurimi illuſtres, clariſſimique viri prodiere, quorum intemeratam fidem, et operam rebus, conſiliisque ſuis vtiliſſimam et *Carolus* VI. et, quae eum in regno excepit, auguſta *Maria Thereſia* ſunt experti, quorum nomina huc adſcribere ſuperuacaneum cenſemus, quod eorum memoria etiamnum omnium ore celebretur. Obliterato ſenſim exterarum nationum odio, Hungari cum ceteris Auſtriacae domus populis ſinceram colere amicitiam, ſummaque voluntatum conſenſione totius corporis monarchici ſalutem, et gloriam quaerere ſuum eſſe putauerunt. Inter militarem ordinem, certis legibus coercitum, et incolas concordia reſtituta, et copioſior legionarii militis numerus, et conſtans illius in regno praeſentia expetebatur, quem ante hoſte ipſo acerbius oderant, ad quem ex o-

mnibus regni finibus exterminandum, iam inde a *Ferdinandi* I. temporibus ad ſanguinem vſque interdum decertatum fuit. Refloreſcente hunc in modum Hungaria, potiſſima laetitiae pars ad *Carolum* VI. pertinebat, vt qui prudentia, clementiaque ſua paucorum annorum ſpatio, eam rerum in gubernationis forma commutationem apud Hungaros introduxit, et ſtabiliuit, quam maiores ſui nullis artibus, nullaue etiam vi adhibita, vnquam in effectum deducere poterant, tamque ſolida, innouati a ſe regni Hungarici iecit fundamenta, quae numquam deinceps ſunt labefactata. Hoc rerum Hungaricarum poſitu, vt quanti gentem ſibi chariſſimam faceret, illuſtri aliquo ſpecimine declararet, demortuo *Nicolao* e comitibus Pálfi ab Erdöd, *Franciſcum Stephanum* Lotharingiae, et Hetruriae ducem, deſtinatum iam generum, cum ampliſſima locumtenentis ſui poteſtate A. 1732. eidem praefecit, quo ille in optime iam conſtituta re Hungarica dirigenda difficillimam gubernandi artem, ſe duce moderatoreque, condiſceret. 1732

§. XVI.

Belli Italici improſper exitus.

Gloria, quam *Carolus* a profligatis olim ex Hungaria Turcis, a reſtituta Hungariae tranquillitate, ac tota denique monarchia Auſtri-

aca optime conſtituta, non immerito collegerat, non leuiter deinceps obſcurari, imminuique coepit. Bellum illud, cui *Stanislaus* Letſinſzki a Polonico ſolio excluſus, ac in eiusdem locum *Fridericus* Auguſtus elector Saxoniae caeſareis armis ſuffectus A.
1733 1733. occaſionem praebuerat, cum potentiſſimis duobus hoſtibus Hiſpanis, et Gallis ſucceſſu non optimo in Italia gerebatur: Hiſpano Neapolim, et Siciliam ſecundo genito filio ſuo *Carolo* Gallo autem Lotharingiae, et Barri ducatum, cui iam a ſeculo, et amplius omnibus artibus inhiabat, coronae Gallicae aſſerere cupientibus. Ac reipſa vterque demum voti damnati ſunt, pace Vien-
1738 nae A. 1738. die XVIII. Nouembris concluſa, atque ſubſcripta. Eius hae praecipuae fuere conditiones: Neapolis, et Sicilia *Carolo* infanti Hiſpaniae pleno iure cederet, hic viciſſim Parmam, Placentiam, ac inſuper tam ſuum, quam genitricis ſuae *Eliſabethae* Parmenſis ius omne in magnum Hetruriae ducatum *Carolo* VI. caeſari tranſcriberet. Ducatus Lotharingiae, et Barri *Stanislao* Letſinſzki, exuli Poloniae regi, ad obitum vſque relinqueretur, hoc exſtincto, ad Galliae dominatum deuoluendus. Haec auitarum, ac a ſeptem ſeculis poſſeſſarum ditionum iactura vt ſereniſſimae domui Lotharingicae ſarciretur, iis item tabulis cautum fuit, vt poſt *Ioannis* Gaſtonis poſtremi magni ducis obitum Lotharingi duces Hetruriae poſſeſſionem hereditario iure adirent. Denique ſanctio illa pragmatica, qua *Caro-*

lus VI. caeſar Auſtriacarum ditionum ſucceſſionem ad *Mariam Thereſiam* filiam tranſtulerat, quaeque a *Friderico* Auguſto Saxone, pluribusque aliis cognatis Germaniae principibus ſubſcripta erat, ab Hiſpanis quoque, Gallis, totaque domo Bourbonica acceptaretur. *Franciscus* Lotharingus tum Hungariae locumtenens volente ita auguſto ſocero, auitis ſuis in Lotharingiam, et Barrum iuribus ſolenni ſcripto Poſonii die XIII. Februarii A. 1737. renunciauit, mortuoque anno inſequente die IX. Iulii *Ioanne* Gaſtoni magni ducatus Hetruriae poſſeſſionem continuo per legatum ſuum adiit. Ex quibus facile quisque intelliget, quo iure auguſta domus Lotharingo-Auſtriaca magno ducatui Hetruriae hodiedum imperet. 1737

§. XVII.

Alterius belli Turcici occaſio.

Nondum litibus cum domo Bourbonica finis impoſitus erat, cum nouo iterum, eodemque prorſus improſpero cum Turcis bello implicari coepimus. Primam huic dedere cauſam *Annae* Ruſſorum imperatricis cum porta Ottomannica diffidia: cum enim Tartari Crimaeenſes, aliiue Turcarum dominatui obnoxii Aſiae populi crebris incurſionibus ſuis, compluribus imperii Ruſſici ditionibus

funeſtam intuliſſent vaſtitatem: neque porta Ottomannica, ſaepius licet interpellata, iniurias has pro poteſtate prohiberet, nec illata damna ſarcire aut vellet, aut poſſet, *Anna*, Ruſſorum imperatrix, vt finium, populorumque ſuorum ſecuritati efficaciter proſpiceret, ſimul Crimaeenſes Tartaros ſub iugum mittere, ſimul autem Turcas bello caſtigare decreuit. Itaque ſupremo belliduce *Münichio* ad ſubiugandam Crimaeam, duce autem *Laſcio* ad celeberrimum id temporis fortalitium, Aſſou dictum, oppugnandum A.
1736 1736. dimiſſis, ſolenni ſcripto vbiuis diuulgato, belli in Turcas ſuſcepti cauſas explicuit, ea tamen cum declaratione, ſe ab hoſtilitatibus deſtituram, humanoque ſanguini perlibenter parcituram, modo lites idmodi pace terminentur, qua ſuae, imperiique ſui dignitati condigna praeſtaretur ſatisfactio (*a*). Principio haud magnopere hoc Ruſſorum in ſe apparatu commoti fuere miniſtri Turcici, quod cum ſolis illis negotium ſibi fore exiſtimarent, neque dubitarent, *Carolum* VI. caeſarem, difficili cum domo Bourbonica bello adhuc tum implicitum, prohibitum iri, quominus XXX. millia ſubſidiarii militis ex foe-
1726 dere A. 1726. cum aula Petropolitana inito,

(*a*) Vide memoire Hiſtorique, Politique, et Militaire ſur la Ruſſie par le General de Manſtein pag. 116. et ſequ. Item Hiſtoire des negotiations pour la Paix conclue a Belgrad par Mr. l'Abbé Laugier Tom. I. pag. 21. et ſequ.

Ruſſis poſſit ſubmittere. At cum orator Gallicus marchio de *Villanoua* fide digne retuliſſet, praeliminares Auſtriacam inter, et Bourbonicam domum pacis articulos vtrinque iam ſignatos eſſe, non immerito vereri coeperant, ne continuato diutius cum Ruſſis bello, caeſaris quoque eisdem foederati iras, viresque in ſe concitarent. Quod vt efficaciter impedirent, litium ſe inter, et *Annam* imperatricem componendarum arbitrium *Carolo* caeſari detulere: quod ſi ille in ſe ſuſciperet, pro certo confidebant, quamdiu ſpes aliqua eſſet concordiae reſtituendae, eum qua pacis arbitrum nil aduerſum ſe hoſtile tentaturum. Haud grauate eam prouinciam in ſe aſſumſit caeſar, nullaque interpoſita mora ſuo apud portam Ottomannicam internuncio baroni *Thalmanno* plenam agendi poteſtatem tranſmiſit. Ad deſtinatum negotiationi habendae et locum, et diem eodem anno 1736. conuenere cum oratore caeſareo 1736
deputati Bizantio purpurati, ac quatuor propemodum menſibus mittendos ab aula Petropolitana ad pacem conficiendam miniſtros incaſſum praeſtolati ſunt. Ea res grauiter accepta fuit a Turcis, praeſertim cum certiſſimis nunciis comperiſſent, ſecundiſſimos Ruſſicorum armorum in Crimaea ſucceſſus, vnde grauiſſimas de minus ſincera *Annae* imperatricis ad pacem conficiendam voluntate, ſuſpiciones concepere, ſed et de *Caroli* VI. caeſaris fide, ac aduerſum ſe amicitia addubitare coeperunt, poſtquam intellexerant, *Ioanne Pálfio* Dalmatiae, et Croatiae bano

funeſtam intuliſſent vaſtitatem: neque porta Ottomannica, ſaepius licet interpellata, iniurias has pro poteſtate prohiberet, nec illata damna ſarcire aut vellet, aut poſſet, *Anna*, Ruſſorum imperatrix, vt finium, populorumque ſuorum ſecuritati efficaciter proſpiceret, ſimul Crimaeenſes Tartaros ſub iugum mittere, ſimul autem Turcas bello caſtigare decreuit. Itaque ſupremo belliduce *Münichio* ad ſubiugandam Crimaeam, duce autem *Laſcio* ad celeberrimum id temporis fortalitium, Aſſou dictum, oppugnandum A.
1736 1736. dimiſſis, ſolenni ſcripto vbiuis diuulgato, belli in Turcas ſuſcepti cauſas explicuit, ea tamen cum declaratione, ſe ab hoſtilitatibus deſtituram, humanoque ſanguini perlibenter parcituram, modo lites idmodi pace terminentur, qua ſuae, imperiique ſui dignitati condigna praeſtaretur ſatisfactio (*a*). Principio haud magnopere hoc Ruſſorum in ſe apparatu commoti fuere miniſtri Turcici, quod cum ſolis illis negotium ſibi fore exiſtimarent, neque dubitarent, *Carolum* VI. caeſarem, difficili cum domo Bourbonica bello adhuc tum implicitum, prohibitum iri, quominus XXX. millia ſubſidiarii militis ex foe-
1726 dere A. 1726. cum aula Petropolitana inito,

(*a*) Vide memoire Hiſtorique, Politique, et Militaire ſur la Ruſſie par le General de Manſtein pag. 116. et ſequ. Item Hiſtoire des negotiations pour la Paix conclue a Belgrad par Mr. l'Abbé Laugier Tom. I. pag. 21. et ſequ.

Ruſſis poſſit ſubmittere. At cum orator Gallicus marchio de *Villanoua* fide digne retuliſſet, praeliminares Auſtriacam inter, et Bourbonicam domum pacis articulos vtrinque iam ſignatos eſſe, non immerito vereri coeperant, ne continuato diutius cum Ruſſis bello, caeſaris quoque eisdem foederati iras, viresque in ſe concitarent. Quod vt efficaciter impedirent, litium ſe inter, et *Annam* imperatricem componendarum arbitrium *Carolo* caeſari detulere: quod ſi ille in ſe ſuſciperet, pro certo confidebant, quamdiu ſpes aliqua eſſet concordiae reſtituendae, eum qua pacis arbitrum nil aduerſum ſe hoſtile tentaturum. Haud grauate eam prouinciam in ſe aſſumſit caeſar, nullaque interpoſita mora ſuo apud portam Ottomannicam internuncio baroni *Thalmanno* plenam agendi poteſtatem tranſmiſit. Ad deſtinatum negotiationi habendae et locum, et diem eodem anno 1736. conuenere cum oratore caeſareo 1736
deputati Bizantio purpurati, ac quatuor propemodum menſibus mittendos ab aula Petropolitana ad pacem conficiendam miniſtros incaſſum praeſtolati ſunt. Ea res grauiter accepta fuit a Turcis, praeſertim cum certiſſimis nunciis comperiſſent, ſecundiſſimos Ruſſicorum armorum in Crimaea ſucceſſus, vnde grauiſſimas de minus ſincera *Annae* imperatricis ad pacem conficiendam voluntate, ſuſpiciones concepere, ſed et de *Caroli* VI. caeſaris fide, ac aduerſum ſe amicitia addubitare coeperunt, poſtquam intellexerant, *Ioanne Pálfio* Dalmatiae, et Croatiae bano

duce, caeſareas copias Futakinum confluere, maximosque in limitibus Hungariae ad bellum apparatus fieri. Ac reapſe caeſar, vt Turcas belli, ſua etiam ex parte vi foederis gerendi, metu aliquantum percelleret, ac ad Petropolitanae aulae poſtulatis ſubſcribendum eo certius adigeret, *Annae* imperatricis Ruſſorum rogatu copias in limitibus colligi, bellumque apparari, atque etiam inſe-
1737 quentis anni 1737. principio, Turcis aperte bellum declarari iuſſerat, niſi foederatae ſuae imperatricis Ruſſiae votis quantocyus ſatisfacerent. Itaque interrupta prius pacis negotiatio, Turcis enixe petentibus, rurſus eodem anno reſumta fuit. Conuenere in oppido Poloniae Nemirou et Ruſſici, et Turcici miniſtri coram caeſareis arbitris: comite de *Oſtein* caeſareo apud aulam Petropolitanam id temporis oratore, comite de *Valſzeck*, et barone *Thalmann* de pace acturi. Datum conſultationibus initium die XVI. Auguſti. At cum belligerantes aulae ne latum quidem vnguem a poſtulatis ſuis vellent diſcedere, rebus infectis die XIV. Octobris eiusdem anni congreſſui finis eſt impoſitus. Hoc rerum poſitu cum *Carolus* VI. caeſar ob factam, vt ſupra meminimus, belli declarationem, et vi foederis Ruſſici, et quia eius copiae reipſa iam *Seckendorfio* duce hoſtilitates in limitibus exercere coeperant, bellum Turcicum euitari amplius non poſſe cerneret: ex aduerſo autem plurium iam annorum bellis vires ſuas vehementer exhauſtas, rei diutius gerendae minime ſuffecturas clare

perſpiceret, comitem *Oſtein* ſuum Petropoli oratorem admonuit, vt his, aliisque rationum momentis Annae imperatrici expoſitis, eamdem ad validas copias per Valachiam ſibi quantocyus in Hungariam transmittendas permoueret, quo ſic neceſſariis auxiliis refectus, ad bellum, quod nullo ſuo lucro, ſed ſolius Ruſſiae iuuandae cauſa, ſibi attraxerat, non modo ſuſtinendum, verum etiam fortiter propulſandum par redderetur. Hunc in finem marchionem quoque de *Botta* Petropolim ſub idem tempus ablegauerat, eadem poſtulata iteraturum. At mareſchallus *Münichius* per eam opportunitatem, qua hyemis tempore e caſtris tantisper Petropolim deceſſerat, pro implacabili ſuo in Auſtriacam domum odio, ſpecioſis rationibus in medium adductis, eo demum et aulae ſenatores, et imperatricem ipſam perſuaſit, vt petita auxilia *Carolo* VI. reipſa denegarentur. Ne tamen is viribus ſuis difficiliore bello premeretur, neue Turcae iuſto maiorem copiarum partem ad oppugnandam Hungariam poſſint tranſmittere, Ruſſos geminis, iisdemque maximis exercitibus duce *Münichio*, et *Laſcio* ſeorſim poſthac rem acturos, ſicque Turcarum vires trifariam neceſſario diuidendas, caeſaris oratori ab aulae Petropolitanae miniſtris reſponſum fuit. Quo quidem tempore, ſi caeſari tam ſibi fideli, promtoque foederato, fideliter pariter aſſiſtere voluiſſent, deſideratasque ſuppetias transmiſiſſent Ruſſi, et ipſi bellum, cetera glorioſe geſtum, longe maiore cum imperii ſui emolumento confeciſſent, et caeſar a tam dura,

vt Belgradenſis poſtea fuit, pace cum Turcis ineunda fuiſſet liberatus. Neque hoc ſolo argumento ſuum in Auſtriacos odium declarauerat *Münichius*; anno enim inſequente cum infelici bello premeretur, ac vniuerſas propemodum orientis vires vezirio ipſo duce contra ſe conuerti videret *Carolus*, atque idcirco rurſum ſibi debita ex mutuo foedere
1739 XXX. armatorum millia pro anni 1739. expeditione ſuppetias dari ab *Anna* imperatrice maiorem in modum flagitaſſet, eiusdem iterum artibus effectum eſt, vt aequiſſimi poſtulati repulſam pateretur: atque illud vniuerſim obſeruatum fuit, *Münichium* ſiue in belli contra Turcas adminiſtrandi ratione, ſiue in ſecretiore aulae conſilio, nullam Auſtriacis nocendi occaſionem praetermiſiſſe: vt adeo, ſi diuturniore tempore rem Ruſſiae bellicam ſummo cum imperio curaſſet, priſtinoque et dignitatis, et autoritatis loco, vnde poſtea excidit, perſtitiſſet, ſagaciores vaticinati fuerint, impotentis hominis factione, intimam Petropolitanae cum aula Viennenſi amicitiam in atrociſſima odia, bellaque deſituram fuiſſe (*a*). Ex quo intelligas, arctiſſima etiam mutuae amicitiae, foederumque inter ſummos imperantes vincula, vnius interdum hominis, priuatis ſtudiis agitati, factione facile labefactari, diſſoluique poſſe.

§. XVIII.

(*a*) Vide Manſtein ibidem pag. 251. et 278.

§. XVIII.

Eius ſiniſtri ſucceſſus, et funeſtus exitus.

Hanc aulae Petropolitanae repulſam graui-
ter, moleſteque tulit *Carolus*, ſed et illud
nequibat digerere, quod etſi pluries, et
iuſte apud eamdem conqueſtus erat, *Mün-
chium* non tam pro communi foederatorum
vtilitate, quam ad gloriae ſolius oſtentatio-
nem bellum praepoſtere adminiſtrare, impe-
trare tamen nequiuerit, vt is ab inſtituto
expeditionis tramite recederet, ac vel diſer-
tis *Annae* imperatricis mandatis ea in re mo-
rem gereret. Neque leuis erat dolor ille,
quod fato quodam ſiniſtram toto eo bello
fortunam conſtanter experiretur (*a*), quam
neque mutato ſingulis annis belliduce, pro-
pitiam ſibi amplius reddere poterat. Vere
anni 1737. *Franciſcum* Lotharingum addito 1737
legato comite *Seckendorfio* copiis ſummo cum
imperio praefecerat: verum cum *Seckendor-
fius*, vir cetera artis militaris peritiſſimus,
multos, eosdemque grauiſſimos in bello ad-
miniſtrando errores admiſiſſet, ac praeterea
ab auaritiae, priuatique lucri cupiditate no-
tatus, communi in caſtris inuidia laboraret,
domum reuocatus, Brunaeque cuſtodiae da-

(*a*) Vide poſt ceteros hiſtoriam arcanam belli Bel-
gradenſis a Schmetauio, teſte oculato conſcriptam,
et a Cl. viro Michaele Hornáth latinitate dona-
tam.

1738 tus, anno insequente 1738. successorem acceperat comitem *Königsseckium*, huius quidem auspiciis Turcae ad Meadiam die IV. Iulii profligati sunt, sed cladem hanc non sine foenore mox repararunt, Vsitza, Mehadia, Orsoua, Semendria, Pantsoua, et Vipalanka caesareorum manibus erepta. Sub hoc tempus *Francisco* Lotharingo et valetudinis reparandae, et Hetruscae successionis post vltimi magni ducis obitum adeundae causa, ineunte eiusdem anni autumno Viennam reuerso, caesar summum in copias imperium *Oliuerio* comiti Vallisio commisit, sed neque hic profligatam semel fortunam reuocare amplius potuit, commissoque die XXIII.
1739 Iulii A. 1739. ad Grotzkam infelici praelio, X. suorum millibus desideratis, res caesaris penitus afflixit. Biduo post cum vezirius nostros iterum cedere coegisset, *Vallisius*, qui copias ad Belgradensia castra, egregie olim per *Eugenium* communita, quaeque vtriusque fluminis Danubii, et Sani aquas in potestate habebant, reducere debuerat, panico terrore correptus, transmisso Sauo Salankemenum vsque exercitum reduxit. Vezirius eo copiarum caesarearum discessu sibi vtendum ratus, eadem castra nemine resistente subiit, ac praeter spem, opinionemque suam Belgradum obsidere coepit. Firmissima vrbis, et arcis, annona, apparatuque omni prouisae moenia tam obsessis, quam *Vallisio* belliduci tolerandae quam diutissime oppugnationis spem indubiam facere poterant, ita nihilominus *Succouius* loci gubernator

trepidare coepit, vt quamuis vezirius, nondum ita prope acceſſerit, vt collineatis ictibus moenia verberari potuerint, datis die XV. Auguſti ad *Valliſium* literis, diſiectis muris, magnisque hiatibus, quibus ſe ſe hoſtes inferre queant, factis, vrbem abs ſe diu defendi non poſſe ſignificauerit. Eo nuncio vehementer perculſus *Valliſius*, miſſo ad vezirium tribuno *Groſſio* pacem, cuius conficiendae poteſtate a caeſare inſtructus erat, offerri iuſſit iis, quas praecipuus aulae Viennenſis tunc adminiſter comes *Sinzendorf* intempeſtiuo plane conſilio praeſcripſerat, conditionibus: vt nempe Belgradi moenibus prius ſolo aequatis, tota Seruia, et Valachia Auſtriaca Turcis cederet. Verum quia vezirius, vt maiorem *Valliſio* terrorem incuteret, fauentioresque adhuc pacis conditiones ab aula Viennenſi extorqueret, niſi prius integrae vrbis, et arcis Belgradenſis claues traderentur, de pace ſe acturum negauiſſet, paulo iam vehementius in caſtris, ac aula etiam Viennenſi trepidari coepit, cum enim crebris interea nunciis, et literis, Belgradum acerrime oppugnari, proximum illius amittendi imminere diſcrimen, copias caeſareas multiplicibus cladibus, et contagioſis morbis ad exiguum numerum redactas, ac alia plura exaggerato plane ore, et calamo Viennam perlata fuiſſent, caeſar nullam auxiliorum a Ruſſis obtinendorum ſpem affulgere videns, vererique incipiens, ne Turcae expugnato Belgrado, bellum in Hungariam, idoneo apparatu, militeque id

temporis deſtitutam, transferrent, habito cum adminiſtris conſilio, pacem etiam cum aliqua imperii ſui finium iactura ſine mora ſancire decreuit, neue negotio huic mora aliqua iniici poſſet, *Guilielmo* comiti de Neuperg, ampliſſimam illius, arbitro oratore Gallico, componendae poteſtatem fecit, ea tantummodo cautione adiecta, ne vllam eiusmodi conditionem ingredi pateretur, quae domus Auſtriacae cum aula Petropolitana amicitiae, priſtinaeque foederum ſocietati, porro etiam continuandae, vel in minimo poſſet aduerſari. Hac inſtructus poteſtate *Neupergius*, impetrata prius a vezirio ſecuritate publica, die XVIII. Auguſti caſtra Turcica ſubiit, ac quemadmodum in arcanis a comite *Sinzendorf* mandatis ſibi transmiſſis habebat, Belgradum vna cum Sabatſio, vtrumque moenibus ſuis prius nudandum, cum tota Seruia, et Valachia Auſtriaca, nouo item fortalitio Orſouenſi pro futurae pacis fundamento primo ſtatim alloquio obtulit. Vrgebat aliquamdiu vezirius, minasque etiam admouit, vt Belgradum ſaltem moenibus integris, Mehadia praeterea, et Vipalanka cum vetere Orſoua, in banatu Temeſienſi ſita, imperio Turcico reſignaretur, at quia *Neupergius* omnia, quae aula Viennenſis offerri iuſſerat, abs ſe primo iam alloquio oblata, nec quidquam amplius citra capitis ſui periculum a ſe offerri poſſe, conſtanter aſſeueraret, inſuper autem pacem, vt a C. *Sinzendorfio* iuſſus erat, vehementer vrgeret, orator Gallicus, iniecto opportune Turcis metu, ne Ruſ-

forum victoriis ſuis tumidorum factione, abrupta pacis tractatione, bellum, cuius exitus incerti, recrudeſceret, eo demum flexit vezirium, vt conditiones a *Neupergio* propoſitas, tamquam nomini Ottomannico honorificas, absque vlla tergiuerſatione admiſerit. Habitis igitur dierum aliquot conſultationibus, praeliminaribus quinque pacis articulis die I. Septembris vtrinque ſignatis (*a*), induciisque ſtabilitis, hoſtilitas omnis ad Belgradum vtraque ex parte conquieuit. Interea dum haec in caſtris Turcicis per *Neupergium* inſciis caeſareis ducibus agebantur, *Valliſius* moenia Belgradi explorari iuſſit, quae cum integra, vitiique omnis expertia et ex nunciis didiciſſet, ac ipſe ſubinde eodem profectus, oculis ſuis inſpexiſſet, *Succouium* grauiter obiurgauit, eidemque in vrbis praefectura ſuffecit *Schmetauium* equitatus magiſtrum. Habito deinde praecipuorum ducum conſilio, conſtitutum fuit, vt caeſareus exercitus Belgradum deduceretur, captataque opportunitate in Turcarum caſtra aggreſſio ex improuiſo inſtitueretur. Verum ſera iam fuere belli proſequendi conſilia, quod *Neupergius* miſſo calendis Septembris ad *Valliſium* nuncio, confectas iam eo

(*a*) Haec quinque capita eadem fere ſunt cum primis quinque articulis Belgradenſis tractatus, quem paulo poſt recitaturi ſumus, vt videri poteſt apud cit. Mr. l' Abbé Laugier tom. II. pag. 59.

die cum Turcis inducias, praeliminariaque pacis ſubſcripta nunciauerit. Belgradi hoſtibus conſignandi fama in vrbem perlata *Schmetauio* gubernatori, ac fortibus quibusue viris acerbiſſimum attulit dolorem, quod nomini Chriſtiano probroſum eſſe exiſtimarent, vrbem munitiſſimam, praecipuum totius imperii Chriſtiani propugnaculum, bellico apparatu optime prouiſam, moenibus adhuc integris, ne tentato quidem aſſultu, hoſtibus tradere: neque dubitarent, tolerata fortiter aliquamdiu oppugnatione, pacem ſaluo etiam Belgrado potuiſſe a Turcis impetrari, quod hi quoque difficili alioquin per Ruſſos bello preſſi, multisque cladibus attriti, eamdem ſuſpirarent: praeſertim poſtquam clandeſtina conſilia ſua, quibus ſeorſim cum aula Petropolitana de pace paciſci nitebantur, in irritum abiiſſe ſenſerunt. Tantae iacturae fama vbiuis diuulgata, cum ceteris omnibus ditionum Auſtriacarum populis, tum vero Hungaris ſpeciatim atrociſſimum vulnus inflixit, quod hi, quin de periculo admonerentur, quin auxilia ex legum patriarum praeſcripto more, et inſtituto veteri ferre iuberentur, vrbem publicis, priuatisque aedibus cultiſſimam, populi frequentia, commerciorum varietate, et amplitudine florentiſſimam, cui muniendae, augendae, et ornandae immenſa ſacri eccleſiarum Hungariae theſauri vis impenſa erat, ob foedam paucorum quorumdam belliducum trepidationem, a finibus Hungaricis quamprimum auellendam ferrent accerbiſſime. Diminuto licet cladi-

bus, et morbis Chriſtiano exercitu, poterant adhuc tam alibi, quam in Hungaria noua tironum ſupplementa conſcribi: reſtabat adhuc generalis gentis Hungaricae inſurrectio, ad quam, cum, et quoties *Carolo* caeſari libuerit, quam promtiſſime faciendam, ordines regni ſingulis in comitiis ſincera voluntate ſe ſe obſtrinxerant, quam quidem inſurrectionem ſi aliquando, tum certe, cum de clani Hungariae amittenda, aut retinenda res erat, imperari, cogique oportuit: neque ambigendum eſt, Hungaros opes, theſauros, viresque ſuas omnes ad eius loci tutelam conuerſuros fuiſſe, ad cuius moenia tantum olim ſanguinis glorioſe a maioribus ſuis profuſum, Ottomannosque maximis cum exercitibus non vna vice internecione deletos fuiſſe, meminerunt. Sed nempe reperiebantur ea etiam aetate nonnulli, qui inteſtina praeteritorum temporum bella ſomniantes, negabant Hungarorum dextris tuto tum adhuc arma poſſe inſeri, quae tamen quanta fidei in auguſtam domum Auſtriacam conſtantia, quanta item cum nominis ſui gloria, pro tuendis hereditariae reginae ſuae *Mariae Thereſiae* diadematibus, et regnis, non multo poſt aduerſus hoſtes omnes, ſtrinxerint Hungari, vniuerſa Europa teſtis fuit. Quamquam et *Carolo* caeſari peracerba accidit Belgradi iactura, diſerteque negaſſe fertur pro prima pacis baſi eius oblationem ſe conſcio, aut volente factam fuiſſe, vt adeo *Neupergius* mandatorum ſibi datorum limites ea in re exceſſerit, quod

primo ſtatim colloquio id vezirio ceſſerit, quod nonniſi tum, cum nulla aliâ pacis conficiendae ſpes appareret, poſtremo demum loco offerri debuiſſet. Vitio etiam datum *Neupergio*, quod ſeu in praeliminaribus pacis quinque articulis, ſeu in tractatu ipſo multa praeſertim circa limites non ſatis clare, atque perſpicue explicari procurauerit, quae diuturnis, grauibusque poſtea litibus numquam ſatis compoſitis occaſionem praebuerunt. Illud quoque diſplicuit caeſari, quod non exſpectato concordiae Ruſſos inter, ac Turcas negotiationis fine, ſeorſim ſecum inito tractatui ſupremam manum impoſuerit, quod tamen aliis mandatis die XI. Auguſti in caſtra miſſis, diſerte vetitum fuerat, ne aula Petropolitana ſe a foederato ſuo deſertam, ac ad pacem amplectendam adactam eſſe, iure poſſet conqueri. Quapropter, poſtquam caeſar ex priuatis plurium clariſſimorum belliducum literis, et de optimo Belgradenſis vrbis ſtatu, et de rerum tam a *Valliſio*, quam a *Neupergio* praepoſtere geſtarum ſerie edoctus fuit, iuſtae indignationis ſuae argumentum daturus, illum Glacenſi, hunc autem Graecenſi arci incluſit. Signatis die I. Septembris praeliminaribus pacis articulis, quarto poſt die Romeliae praetor cum quingentis praetorianis in vrbem admiſſus aſſignatam ſibi illius partem occupauit.

§. XIX.

Pax Belgradenſis.

Ex ipſa *Neupergii* ad pacem conficiendam feſtinatione Turcae magnam tam in caſtris, quam in aula Viennenſi eſſe trepidationem augurantes, ſolennem coeptae pacis negotiationem ſibi accelerandam putauere, itaque decimo a ſignatis praeliminaribus die, vezirius ſuo loco nominauit praetorem Boſſniae, a geſta prius ſupremi vezirii dignitate conſpicuum, et praetorem Romeliae recens creatum Belgradi praefectum, qui cum comite *Neuperg* de ceteris pacis capitibus decretorie decernerent, arbitro marchione de Villanoua Chriſtianiſſimi regis oratore, in quem et *Carolus* VI. caeſar, et *Anna* Ruſſorum imperatrix ſolennibus literis dudum iam ante conſenſerant (*a*). Poſt dierum aliquot diſceptationes cum pars vtraque diuerſis ex cauſis feſtinaret, in haec demum capita vtrinque die XVIII. Septembris conuentum fuit. Nos ſingula, qua licuerit breuitate, huc adſcribemus: I. Belgradum armis caeſareis A. 1717. expugnatum, cum antiquis ſuis muris, 1717
et propugnaculis, cum armamentariis, pulueratiis, et militaribus aedibus, cunctisque tam publicis, quam priuatis aedificiis imperio Ottomannico bona fide, ſine diminutione reddatur: noua autem moenia vrbi,

(*a*) Idem Tom. II. pag. 280. et 287.

arcique circumdata cum ſubterraneis viis, cryptis, et nouis operibus omnibus, propugnacula item, et munimenta e regione Belgradi in Danubii, Sauique ripa recentius erecta, per caeſareos ante diruantur, et ſolo aequentur. II. Conſimili prorſus cautione Sabatſium cum veteribus ſuis muris Turcis cedat: ex aduerſo arma, machinae tormentariae, annona cum omni gaza, et bellico apparatu, tam Belgradi, quam Sabatſii exiſtentia, nec non triremes, nauigia, et cymbae omnes in Danubio, Sauoque collocatae in caeſaris maneant poteſtate. III. Cum Belgrado Seruia tota Ottomannici imperii iuribus accedat ita, vt ei limites ponant Danubius, Sauusque fluuii: praeterea fines eiusdem Seruiae Boſſniam verſus iidem ſint, qui tractatu Carlouitzenſi olim defixi fuerant (*a*).

(*a*) Hoc loco exemplar tabularum pacis Latino idiomate tunc confectum ſic habet: *Fines vero Seruiae ex parte Boſſniae erunt, qui erant ex Carlouitzenſi tractatu*: exemplar autem Turcicum conceptum erat his verbis: *Et quantum ad Boſſniam, huius limites iidem omnino erunt, qui erant ex tractatu Carlouitzenſi.* Ingens inter vtrumque exemplar diſcrimen intercedere facile quisque arbitrabitur, caeſarei enim exemplaris Latini verbis ſolius Seruiae, qua Boſſniae conterminа eſt, limites ad tractatum Carlouitzii A. 1699 initum reuocabantur: cum ex aduerſo e Turcici exemplaris ſenſu Boſſniae ipſius limites iuxta tractatum Carlouitzenſem in Croatiam vſque extendi, ſicque caeſarem eorum limitum, quos pace, Paſſarouitzii A. 1718. conclu-
ſa ad Vnnam vſque fluuium ex parte Croatiae ex-

IV. Periſchamum Valachiae fortalitium, quod caeſar ſuis erexerat ſumtibus, ſolo aequetur, neque vnquam per Turcas reſtauretur: de cetero Auſtriaca Valachia tota, vna cum alpibus ſuis ad Turcas redeat. V. Tam inſula, quam arx noua Orſouenſis vna cum munimento *S. Eliſabethae* in eo, in quo tum erat ſtatu, Turcis relinquatur: e contra Temesuarinenſis banatus vſque ad Valachiae fines, in caeſaris maneat dominatu, demta exigui cenſus planitie, quae ex vna parte fluuio Tserna, ex altera autem Danubio, et primis banatus Temeſienſis montibus e regione Orſouae circumſcripta, ducto per Turcas in certa, ac determinata diſtantia inter praedicta duo flumina canale, concludatur. Quodſi deriuatis per eum Tsernae aquis, vetus

---

tenſos obtinuerat, ac ad eum diem iure tenuerat, poſſeſſione decedere oportuiſſet: de qua tamen terrarum, et limitum iactura facienda, nulla in praeſentis pacis articulis mentio fit. Haec in gemino eiusdem tractatus, et eodem tempore per caeſareum interpretem confecti exemplari tam enormis differentia ne litibus aliquando occaſionem praeberet, rogatu aulae Viennenſis, id demum a miniſtris portae Ottomannicae impetrauit orator Gallicus, vt verba exemplaris Turcici, Latini exemplaris verbis, et ſenſui conformari conſentirent. Vnde manifeſtum fit, auguſtam domum Auſtriacam quamtum ad Croatiam Boſniae conterminam attinet, in eorumdem limitum, quos pace Paſſarouitzenſi aquiſiuerat, dominatu, et poſſeſſione, Belgradenſi quoque tractatu ſtabilitam, relictamque fuiſſe. Conſule de hoc eumdem Tom. II. pag. 94.

Orſoua ſorte planitiei memoratae inſeratur, eadem ſola absque territorio ſuo Turcis accedat, quin vnquam reſtaurari poſſit, ea conditione diſerte adiecta, vt ſi ſpatio vnius anni canalis ille Tsernam, et Danubium coniuncturus minime perficeretur, vetus Orſoua vt hactenus in caeſaris maneat poteſtate. Mehadiae, in Temeſienſis banatus ambitu ſitae, caeſarique reſtituendae moenia Turcae ſuis ſumtibus illico demoliantur, ac neque haec, neque vlla alia munimenta ſiue in Danubii, ſiue Sani ripa ſita, de quibus diruendis praeſente tractatu conuentum fuerit, vllo vnquam tempore caeſareis reparare liceat. VI. Superioribus articulis definita, coeptaque iam munimentorum, ac moeniorum ruina, vt eo celerius abſolui poſſit, ſumma diligentia, et ſine interruptione continuetur: interea vero, vt conuentum fuit, Romeliae praetor partem vrbis Belgradenſis ſibi aſſignatam cum quingentis militibus incolat, ea lege, vt praetori ſoli cum familiaribus ſuis alteram vrbis partem per caeſareos inſeſſam interdum inuiſere liceat: neque ante, quam nouis moenibus, operibusque omnibus ſolo aequatis, totam vrbem pleno iure occupet. Arx quoque ipſa Belgradenſis nonniſi tum, cum propugnaculis ſuis nudata, et penitus euacuata fuerit, Turcarum manibus conſignetur. Porro cum a die ſignatorum praeliminarium hoſtilitates omnes deſinere oporteat, ſine mora mandata vtrinque expediantur, vt captiui, ex eo die facti, citra litrum dimittantur. Turci-

cus denique miles omnis demtis iis, qui ad Mehadiam ſolo aequandam deſtinati erant, ſine mora e banatu Temeſienſi educatur. VII. Vbi Danubius, aut Sauus duorum imperiorum fines interluit, tam quoad pecorum adaquationem, quam quoad piſcatum fluminis vſus vtriusque partis ſubditis ex dimidio communis, et liber erit: id tamen limitaneorum locorum praefecti mutuis ſtudiis curabunt, ne molendina noxiis nauigationi locis collocentur. Liberum praeterea erit, vtriusque imperii ſubditis, naues ſuas aduerſo flumine vtrauis in ripa, vt neceſſitas poſtulauerit, citra incommodum, aut vectigal impellere. Inſulae tam actu exſtantes, quam ſi quae deinceps nouae in Danubio, aut Sauo fluminibus aliquando enaſcerèntur, ad eam partem pertineant, cuius ripae commiſſariorum iudicio viciniores fuerint. Demum vtriusque ditionis colonis integrum erit, in ipſis limitibus ſuis, vbi eis commodius viſum fuerit, domos, pagosque conſtruere. VIII. Nobilibus aeque, ac ignobilibus Valachis, aut Moldauis, vel aliis etiam cuiuscumque gradus, et dignitatis imperii Ottomannici ſubditis, qui bello hoc durante caeſareis forte partibus adhaeſerant, virtute huius pacis communis venia, et praeteritorum obliuio concedatur, ita vt priſtinas ſedes, bona, et terras ſuas tuto repetere, ibidemque omni cum ſecuritate deinceps poſſint degere. Generatim vtriusque partis ſubditi, qui alterutri e belligerantibus ſe ſe ſociauerant, generali amneſtia gaudeant: ſpe-

ciatim vero Seruiae, aut banatus Temeſienſis incolae, condonata poena omni, vitae, et rerum ſuarum gratiam conſequantur. IX. Cuncta priuilegia, quae pro religioſis ordinibus, ac pro libero religionis, ritusque Romano-Catholici exercitio a Romanis imperatoribus tam per praecedentes tractatus, quam per ſpecialia diplomata ante, aut poſt pacem Paſſarouitzenſem conceſſa erant, Turcarum quoque imperator in futurum confirmabit. X. Mancipia bello intercepta, quae in publica detinentur captiuitate, pro recepta iam conſuetudine, intra duorum menſium ſpatium ſuam vtrobique conſequantur libertatem. Illi, qui ſeu in particularium Turcarum, ſeu Tartarorum deuenerant poteſtatem, ſi modo Chriſtiana adhuc ſacra profiteantur, mediocri litro dominis perſoluto, liberi dimittentur, in quo exigendo ne modus excedatur, iudices locorum redemptionis pretium ſtatuent: quin etiam tum captiuos autoritate ſua dimittere poterunt, cum hi vel idoneo teſtimonio, vel praeſtito iuramento ſe litrum iam exſoluiſſe probauerint: ex aduerſo dum legatus Turcicus terminata pace Viennam profecturus, gentis, et religionis ſuae captiuos redimere voluerit, omne illi auxilium, et aſſiſtentia praebeatur: dabunt quoque operam caeſarei miniſtri, locorumque praefecti, vt captiui Turcae, poſtquam litrum ſe numeraſſe demonſtrauerint, a priuatis dominis manumiſſi ad limites vſque imperii Turcici deducantur. Vtriusque demum partis captiui omni cum pietate, huma-

nitateque tractentur. XI. Negotiatores, et mercatores vtriusque nationis mutui in vtroque imperio commercii exercendi iure, libertate, ſecuritateque gaudebunt: omnibus nullo diſcrimine cũiuscumque nationis caeſareis ſubditis liberum erit terra, marique propriis etiam cum nauibus omnes imperii Ottomannici prouincias, et ditiones quaeſtus faciendi cauſa adire, modo inſignibus, et literis caeſareis pro recepto hucuſque more ſint prouiſi, eo tantummodo vectigali, quod ad hoc vſque tempus vſitatum erat, perſoluto, plenam mercium ſeu coemendarum, ſeu diſtrahendarum vbiuis habebunt poteſtatem, omnique ratione protegentur, ne quidquam eis moleſtiae a quoquam inferatur: immo vero eaedem prorſus praerogatiuae, quibus ceteri Chriſtiani a tributis exempti, et nationes Ottomannis amicitiae foederibus coniunctae, ſpecialiter autem Galli, Angli, et Hollandi in ditionibus Ottomannicis hucuſque fuere gauiſi, caeſareis quoque ſubditis negotiatoribus eadem prorſus cum ſecuritate, libertate, et iure conceſſae eſſe cenſeantur. Conſimili ratione Ottomannicae portae ſubditi mercatores, cum quaeſtus cauſa caeſareas ditiones ſubiuerint, conſtanti fauore, protectioneque defendentur. Algerienſibus, Tunetanis, et Tripolitanis, ceterisque, quibus expedit, ſeuere interdicetur, ne ſeu pacis huius conditiones, ſeu alios tractatus ſeorſim factos quocumque ſub praetextu auſint infringeee. Dulcignotae pariter in mari Adriatico efficaciter coercebuntur: ceteri de-

mum imperii Ottomanici ſubditi omnes a facienda piratica, ab inuadendis caeſareis nauibus mercatoriis, ac damnis inferendis pro poteſtate prohibebuntur: hunc in finem triremibus, nauigiisque ſuis ſpoliatis, nouas alias conſtruere vetitum erit: quoties praeterea pacem infregerint, praeter mercium, et captiuorum reſtitutionem, illatiue damni compenſationem, ad legum rigorem quam ſeueriſſime punientur. XII. Quoad commercium Perſicum ſancitum eſt, vt caeſaris ſubditi negotiatores ſecundo Danubio, ac ſubinde per ditiones Turcicas in Perſiam vſque quam liberrime commercari poſſint, neque ad amplius vectigal, quam cuius ſuperiori articulo mentio facta eſt, pendendum ſint obſtricti. Perſae pariter negotiatores cum commercii cauſa in caeſareas ditiones commigrauerint, aut inde redierint, in ſuo per imperium Turcicum tranſitu, nullo praetextu plus, quam quinque a centum, ac inſuper modicum eum cenſum, qui *Veſtia* dicitur, ſoluere cogentur. XIII. Quamuis pax haec optima plane fide concluſa ſit, vt tamen ea, quae de limitibus ſanciendis conſtituta erant, plenum ſortiantur effectum, intra menſis vnius ſpatium, vtrinque nominabuntur commiſſarii, viri experti, fideles, et pacifici, qui commodo aliquo in loco vna conueniant, limitesque praecedentibus articulis deſignatos, per metas ſuis locis erectas diſcriminent. XIV. Deſigendae hac ratione per commiſſarios metae ſancte vtrinque, ac religioſe obſeruabuntur, quin vllo colore easdem liceat

mutare,

mutare, extendere, aut alio transferre. Neutra pars in alterius ditionis ſubditos iurisdictionem exercere, ab eisdem tributa pro praeterito, aut futuro tempore exigere, aut alia denique ratione eosdem diuexare auſit. XV. Ad diſceptationes, contentiones, et diſcordias, quae limitum definiendorum cauſa aliquando enaſci poſſent, in futurum praecauendas, quoties circa hos quaeſtio aliqua enata fuerit, vtraque ex parte aequali numero commiſſarii denominabuntur, viri graues, honeſti, prudentes, experti, et pacis ſtudioſi, qui aequali cum comitatu, idoneo aliquo loco congreſſum habeant, lites de limitibus ſuſcitatas ſeorſim ſingulas diligenter diſcutiant, decidant, et amice componant. Porro ad ea, quae mutuo conſenſu per eos ordinata fuerint, obſeruanda vtriusque partis ſubditi grauiſſimis ſub poenis obſtringantur. Quodſi autem per delectos commiſſarios lis nullatenus terminari poſſet, eadem ad principes ipſos referatur, per eosdem amice, ac intra breuiſſimum temporis ſpatium dirimenda. In his denique, aliisque ſimilibus congreſſibus ſingularia certamina, et duella ſeueriſſime ſint interdicta. XVI. Summa ſeueritate vtrinque prohibebitur mutua ditionum tam aperta, quam clandeſtina inuaſio, aut depopulatio, cuius articuli transgreſſores vtrauis in parte intercepti in carceres coniicientur, ac per loci iudices pro delicti grauitate plectentur. Res per eos ablatae ſumma cum diligentia conquiſitae iis, ad quos pertinent, ex alſe reſtituentur. Quodſi in

adminiſtranda circa hoc genus criminum iuſtitia alterutrius partis locorum capitanei, aut gubernatores negligentes ſe praebuerint, non modo dignitatis, verum etiam vitae, et honoris amiſſione puniantur. XVII. Si pacem hanc, et amicitiam nunc concluſam, quod Deus auertat! rumpi aliquando contingeret, vtriusque imperii ſubditi in limitibus degentes tempeſtiue admonendi erunt, vt liquida debita ſua colligendi, ſe ſeque ad tutiora loca recipiendi ſpatium nanciſcantur. XVIII. Vetitum ſit alterutrius partis facinoroſis, aut rebellibus aſylum, refugiumque concedere: hi non ſecus ac fures, et latrones omnes, alterutra a parte, in qua videlicet reperti fuerint, intercipi, ſuppliciisque affici poterunt. Partis vtriusque capitanei, aut gubernatores graui ſub poena obligati erunt ad loca, vbi idmodi ſcelerati latitarent, ſibi inuicem detegenda, atque communicanda. Neutri demum parti permiſſum erit, id hominum genus, quos haidones appellabant, in limitibus pati, qui nullo prouiſi ſtipendio, rapto ſolum viuere conſueuerunt. XIX. Vt quidquid limitum ſecuritati, quietique mutuae quoquomodo obeſſe poſſet, efficaciter remoueatur, Hungaris, qui ſe a legitimi principis ſui, Rákotziani videlicet belli occaſione, obedientia ſubtraxerant, aſylumque ſubinde apud Turcas impetrauerant, procul ab Hungaricis finibus in remotioribus imperii Turcici locis ſedes aſſignabuntur. Id tamen eorum vxoribus indulgebitur, vt ad maritos libere venire, eisdemque cohabita-

re poſſint. XX. Ad firmandum vberius, ſtabiliendumque praeſentis pacis, et amicitiae tractatum, primo quoque tempore legati cum muneribus vtrinque mittentur, aequali vtrobique honore, et vſitatis hucuſque ceremoniis excolendi. XXI. In vtraque aula tam caeſarea Viennenſi, quam Ottomannica idem prorſus, qui praecedentibus temporibus conſuetus erat, legatos mutuo recipiendi, honorificeque habendi ritus deinceps quoque obſeruabitur. Caeſareis oratoribus, internunciis, ac eorum domeſticis licebit eo, quod ipſis libuerit, amictus genere vti. Miniſtri caeſaris ſeu legati ſint, ſeu internuncii, ſeu negotiorum tantummodo curatores, cunctis iis priuilegiis, iuribus, et immunitatibus gaudebunt, quibus ceterarum aularum portae Ottomannicae amicarum miniſtri fruuntur: immo vero ob imperialis dignitatis eminentiam ceteris etiam anteferentur. Liberum eis erit, proprios habere interpretes, nuncios, item et tabellarios, quo et quando opus videbitur, expedire. Cunctis denique ab aula Viennenſi ad portam Ottomannicam proficiſcentibus tam in itu, quam in reditu omnis ad iter faciendum fauor, commoditas, et ſecuritas praeſtabitur. XXII. Tractatus praeſentis articuli, et conditiones per ipſos contrahentes principes quantocyus vtrinque confirmabuntur: ipſa autem ſolennia pacis vtrinque ratihabitae diplomata intra menſis vnius ſpatium, per oratorem Gallicum, qua regis Chriſtianiſſimi nomine pacis arbitrum, pro more permutabuntur, par-

tibusque extradabuntur. XXIII. Pacem hanc Deo adiuuante per annos XXVII. duraturam licebit partibus contrahentibus ſeu ante, ſeu exſpirante iam termino, mutuo conſenſu prorogare, aut in plures etiam annos extendere: eadem haec pax libere, mutuaque voluntate ſancita, tam ab ipſis principibus contrahentibus, quam ab eorumdem heredibus, et ſucceſſoribus, regnis item, et prouinciis terra, marique ſitis, ſubditis denique, et clientibus omnibus ſancte, religioſe, et inuiolabiliter obſeruabitur. Gubernatores, generales capitanei, milites, et ceteri, quorum intereſt, praedictae pacis conditionibus, clauſulis, pactis, et articulis exacte ſe ſe conformabunt, nihilque committent, quo vicinitatis iura, pax, et amicitia mutua violetur. Chamus Crimaeenſis, aliique Tartarorum populi ad pacis huius capita obſeruanda obſtricti erunt, ac ſeueris poenis a quauis iniuria, aut incurſione ditionibus caeſareis inferenda coercebuntur. Demum vt hoſtilitatibus omnibus quantocyus finis imponatur, ac partis vtriuſque ſubditi optatae pacis ſecuritate, tranquillitateque quamprimum frui incipiant, eadem edicto publico ſine mora in limitaneis ditionibus omnibus promulgetur (*a*). His igitur capitibus confectae caeſarem inter, ac Ottomannos Belgradi pacis exempla, Viennam, et Conſtantinopolim ſunt transmiſſa, vt

(*a*) Cum Latinum exemplar ad manum non eſſet, coacti ſumus capita pacis huius e Gallico, ſumma qua licuit fide excerpere, quod vide apud eit Mr. l'Abbé Laugier Tom. II. pag. 294.

quemadmodum ſtipulatum fuerat, per principes ipſos vtrinque roborentur. Eodem pariter die XVIII. Septembris A. 1739. tractatui Ruſſos inter, et Turcas interea inito, vſquedum ab aula Petropolitana ratihabeatur, orator Gallicus ſupremam impoſuit manum (*a*). Sic tum quidem bello finis impoſitus fuit, non item litibus, et diſceptationibus, quibus aulae contrahentes longo deinceps tempore ſunt exercitae. 1739

§. XX.

Difficultates in executione pacis Belgradenſis ſuſcitatae.

Tractatus Belgradenſis articuli Viennam transmiſſi caeſaris animum in grauiſſimam commouere indignationem, quod exſpectatione duriores, ac non modo vtilitati, verum etiam autoritati, exiſtimationique ſuae admodum iniurios eſſe exiſtimaret. Aegrimoniam inde conceptam paulo acerbiorem reddidit illud, quod eodem plane die, quo pacis Belgradenſis praeliminaria Viennam aduenerant, nuncius vna e *Münichii* caſtris

(*a*) Tractatum hunc, et quae eo pertinent, reperies ibidem pag. 336. et ſequ.

appulerit, qui Turcas memorabili clade per Ruſſos in Moldauia profligatos, Cotzimumque expugnatum retulit (*a*). Itaque caeſar deproperatae pacis poenitudine tactus, amminſſi Belgradi culpam non iam ſoli *Valliſio*, et *Neupergio*, verum etiam inconſultae primarii adminiſtri ſui comitis *Sinzendorf* in expediendis ad duces mandatis feſtinationi tribuendam eſſe putauit, vnde hic quoque paulo ſerius gratiae caeſareae iacturam fecit. Examinatis deinde diligentius pacis articulis, vt aliqua ſaltem ante ſolennem ratihabitionem quantocyus ex eis mitigarentur, in ſecretiori aulae ſenatu conſtitutum fuit. Tria tum fuere, quae comes *Sinzendorf* datis ad oratorem Gallicum Belgrado Bizantium iam reuerſum literis, caeſaris nomine, prae ceteris mutari, particularique tractatu ſtabiliri petiit: *Primo*, vt viae publicae, maximis caeſaris ſumtibus per Valachiam Auſtriacam ſtructae, diruantur. *Secundo*, vt moenia Belgradi vi pacis ſolo aequanda, nullo vnquam tempore per Turcas nouis operibus inſtaurari, communirique poſſint. *Tertio*, vt parti vtrique integrum ſit, pro temporum, locorumque opportunitate noua in limitibus

(*a*) Quid bello hoc a Ruſſis actum copioſe deſcribit Münichius ipſe, in literis die 25. Septembris A. 1739. ad principem Lobkouitz e Moldauia datis, in quibus in caeſareos duces, ob bellum negligenter adminiſtratum, pacem ignaris Ruſſis confectam, Belgradum denique Turcis traditum inuehitur. Apud Manſtein in memoria ſur la Ruſſie pag. 306.

excitare fortalitia. Haec cum orator Gallicus aulae Ottomannicae miniſtris expoſuiſſet, ad *primum* repoſuere: pace, commerciique libertate inter vtriusque imperii ſubditos ſtabilita, vtriusque partis quam maxime intereſſe, vt viae illae publicae mercibus vltro, citroque deuehendis deſeruiturae, omni ſtudio porro etiam conſeruentur: daturos ſe tamen operam, vt cum ea res tantopere cordi ſit caeſari, eius poſtulatis quamprimum ſatisfiat. *Secundum* aperte, conſtanterque reiecere propterea, quod cum caeſar validiſſimis duobus praeſidiis Temeſuarino, et Petro-Varadino ditionum ſuarum ſecuritati abunde proſpectum habeat, portae Ottomannicae minime negari poſſit, vt ipſa quoque limitibus ſuis ſecuritatem procuret. De *tertio* denique quaeſtionem moueri ſuperuacaneum cenſebant, quod id ius vtrique parti commune eſſe videretur, neque vllo pacis articulo ſit reſtrictum, ſed et de hoc ſuo tempore actum iri. At enim haec leuiora videri poterant, quam vt diutius de iis diſceptaretur, aut eorum cauſa concordiae negotiatio adhaereſceret; grauiores non multo poſt aulae Viennenſi oblatae erant iure omni conquerendi cauſae, quod Turcae confecta cum Ruſſis pace, caeſaris vires minime iam ſibi metuendas rati, multa pacis Belgradenſis articulis contraria impune agere, ea, de quibus cedendis nulla toto tractatu mentio fuit, praetendere, limites denique pro arbitrio ſuo in ditiones caeſareas proferre inſtituerint. Quae cum tam alii, quam

Schmetauius Belgradi gubernator pro muneris ſui ratione caeſari perſcripſiſſent, is pacis ſequelas pace ipſa acerbiores ſentiens, quia fato quodam, aut obliuione euenerat, vt nullus ad eum diem ſeu internuncius, ſeu negotiorum aulae Viennenſis curator Conſtantinopolim miſſus fuerit, querimonias, ad ſe perlatas, marchioni de *Villanoua* oratori Gallico transmitti iuſſit, maioremque in modum commendauit, vt portae Ottomannicae miniſtros, ab enormibus ſuis poſtulatis abſtractos, ad pacem, quemadmodum in articulis praeſcriptum erat, ad effectum quantocyus deducendam permoueret. Praecipua autem ex iis, quae caeſar tum iure petebat, haec fuere, *primo*: vt anguſtus ille tractus terrae, meridionali Saui ripae contiguus, ac inde a Drina flumine ad Vnnam vſque protenſus, qui veteri etiam iure ad Sclauoniam pertinebat, paceque Paſſarouitzenſi caeſareis limitibus aſſertus erat, porro etiam in caeſaris poteſtate maneret: Boſſnia autem, quemadmodum hucusque, ita deinceps etiam per Vnnam fluuium a Croatia ſecerneretur. *Secundo*: vt Turcae limitibus, et conditionibus circa veterem Orſouam articulo V. definitis contenti, vltra exiguam planitiem ſibi adiudicatam, nec vicinos Orſouae montes, nec adiacentem illis regionem, pagis frequentem, in ditionem ſuam auſint redigere. *Tertio*: vt tam Orſouae, quam aliorum locorum praefecti Turcae, qui poſt ſubſcriptam iam pacem grauiſſimis iniuriis caeſareos ſubditos exagitauerant, ſeuere puniren-

tur, ac ad damna, quae intulerant, compenſanda adigerentur. Vt porro iuſtitiam per Turcas eo celerius adminiſtrari, caeſarisque poſtulatis ſatisfieri impetraret *Schmetauius* Belgradi gubernator, ab vrbis, arcisque moenibus demoliendis operas tantisper ſuſpendit, negauitque ſe coeptum laborem proſequi permiſſurum, niſi Turcae ad ea, quae pace conſtituta erant, quantocyus, et fideliter in effectum deducenda, manum admouerent. Verum etſi orator Gallicus ea, quae per Turcas agebantur, ab aequitate aliena, caeſaris autem poſtulata pacis articulis omni ex parte conformia eſſe, aulae Ottomannicae miniſtris non vna vice demonſtrauerit, neque ipſi cauſae caeſaris aequitatem diffiterentur, incertum tamen, quibus ex cauſis, litium cognitionem, negotiique tractationem ſtudioſa quadam procraſtinatione in dies differebant, nouasque idemtidem difficultates, quominus optata pax effectui daretur, obiiciebant, vt adeo illis, quae ſat copioſe, et liberaliter conſecuti erant, minime contenti, quaecumque ipſis collibuerant, non tam ſibi dari peterent, quam imperarent. Iuuat hic vnum idmodi ſpecimen adducere: eſt e regione Belgradi inſula, quam *Vellika Oſtroua* appellant, quae licet geometrarum iudicio caeſareae ripae vicinior erat, quam Turcicae, atque ideo vi articuli VII. iure omni caeſaris eſſe debuerat, hanc nihilominus Turcae ſibi cedi ferociter poſtulabant, non alia de cauſa, quam quod permoleſtum ſibi fore dicerent, ex arce Belgradenſi Ger-

manos in vicina illa insula degentes quotidie intueri. Eiusdem ministerii Ottomannici clandestinis molitionibus factum est, vt missi vtrinque ad definiendos limites commissarii, plures menses inter inutiles altercationes, nulla re gesta exegerint. Sed neque tum, cum rasis iam moenibus, tradito Turcarum manibus Belgrado, caesareus legatus comes
1740 *Vhlefeld* die XI. Augusti A. 1740. Constantinopolim appulit, res in melius commutatae sunt, etsi legatus, vt erat vir ingenio perspicaci, excelso, fortique animo, ac in negotiis tractandis insigni prudentia, dexteritateque praeditus, nulli industriae, diligentiae, sumtibusque parceret, vt diremptis ex aequo litibus, optatae pacis negotium in effectum demum deduceretur. Quapropter nemini mirum esse debet, difficultates a Turcis suscitatas ad obitum vsque *Caroli* VI. perduraſſe.

§. XXI.

Caroli VI. obitus.

Has inter pacis Belgradensis ad exitum perducendae curas, *Carolus* VI. lethali morbo oppressus fuit, quem cum in dies ingraueſcere sentiret, *Ioannem* comitem *Pálfi* Dalmatiae, et Croatiae banum, virum constante in augustam domum fide, rebus item bello,

paceque praeclare geſtis prae ceteris conſpicuum, ad ſe accerſiuit, eiusdemque fidei, conſiliis, et ſummae, qua apud ſuos pollebat, autoritati, per eum autem toti genti Hungaricae vnicam ditionum ſuarum omnium heredem inſtitutam *Mariam Thereſiam* (*a*), quam mox ab obitu ſuo non leuibus obiectum iri tempeſtatibus praeſagiebat, omni ſtudio, totisque viribus tuendam commendauit. Confectis demum vltimae voluntatis ſuae tabulis, ſolitisque morientium ſacramentis ex eccleſiae Catholicae ritu procuratus, die XX. Octobris A. 1740. ad immortalem vitam abi- 1740
it, aetatis anno LV. Rexit imperium Romano-Germanicum annis XXIX. totidem fere Hungariam, et Bohemiam : Hiſpaniam, aut potius eius titulos geſſit annis XXXV. Quantus auguſtam coniugem *Eliſabetham* Brunſuicenſem, *Mariam Thereſiam*, et *Mariam Annam* filias, aulam caeſaream, vrbem, et prouincias omnes luctus occuparit, facilius quisque ex iacturae magnitudine intelliget, quam vt verbis poſſit deſcribi. In Hungaria quidem nemo antiſtitum, magnatum, ceterorumque regni ordinum fuit, qui non vulnus hoc Hungaricae cumprimis genti quam acerbiſſimum eſſe putaret: dolebant nempe ereptum ſibi patrem optimum : cui vindicatam

(*a*) Huc quadrant ea Virgilii Aeneidos libro V.
Filius huic fato Diuum, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuuenta eſt:
Sola domum, et tantas ſeruabat filia ſedes.

e ſeruitute Ottomannica patriam, redditam regno tranquillitatem, abſterſam pedetentim ſolitudinem, reuocatam ad meliorem ordinem gubernationis priſtinae formam, abs ſe omni iure deberi, grati agnoſcebant, quo imperante pacis, et ſecuritatis domeſticae, inde a clade Mohatſiana domo exulantis, dulcedine ſe frui coepiſſe meminerant. Ob quae omnia monumentum aere perennius in animis Hungarorum conſecutus fuit *Carolus* VI. principum ex Habsburgica domo imperantium poſtremus.

§. XXII.

Eius memoria.

Ex iis, quae ſparſim hactenus commemorauimus, pronum erit cuiuis de excelſo *Caroli* VI. ingenio, animi in aduerſis aeque, ac proſperis conſtantia, ſapientia, aequitate, et religionis ſacroſanctae ſtudio arbitrari. Iſta quidem omnia in eo ſumma fuiſſe, ne inuidi quidem inficiari poterunt: quae autem illius ad ſeram vſque aetatem memoriam tuebuntur et plurima ſunt, et maxi-
1714 ma. Pace Raſtadienſi A. 1714. Neapolim cum Sicilia, ducatum Mediolanenſem, ac Belgium denique Hiſpanicum auguſtae domus ſuae iuribus aſſeruit. Primus ex Auſtriacis principibus curas ſuas ad commercium

introducendum, ſtabiliendumque porrexit, aperto Oſtendano portu, erectaque ibidem negotiatorum ſocietate, quod opus non tam voluntate ſua, quam inuidorum factione adactus abrupit. Primus item condito portu Tergeſtino, faciendo per mare Adriaticum quaeſtui viam reſerauit. Primus denique eo cogitationes ſuas tranſtulit, vt ſubditi ſui commercia paulo ampliora ſecundo, et aduerſo Danubio cum Turcis, ac Perſis ipſis exercere aſſueſcerent, cuius centrum eſſe voluit Belgradum, ad quod muniendum, augendum, ornandumque maximos ſumtus profuderat. Huc ſpectabant viae publicae improbo plurium annorum labore per ditiones Auſtriacas, ac ipſam adeo Valachiam conſtructae. Nec parum eius gloriam illuſtrant aedes aliquot publicae ad omnem magnificentiam eductae, quo in numero ſunt: Viennae baſilica Diui Caroli Borromaei memoriae conſecrata; Palatina bibliotheca ab artis praeſtantia, codicum numero, et pretio celeberrima; pars item aulae Viennenſis, et ſchola equeſtris: in Hungaria demum ſuperba illa aedes, quam emeriti militis vſibus Peſtini collocauit. Principio ſecundis vbiuis bello, paceque ſucceſſibus vſus, ſiniſtram deinceps vbique fortunam experiri coepit, cuius culpam non tam *Carolo*, quam aulae adminiſtris, quos paulo tardius infauſto conſilio in priorum locum ſubſtituerat, attribuendum eſſe plerique ſentiunt. Neque illud diſſimulant, vbi primum *Eugenii* conſiliis, et opera vti deſiit *Carolus*, res omnes in peius abire coe-

piſſe. Id denique illi vitio datum, quod multarum vrbium, et prouinciarum ceſſione, immenſa item theſaurorum profuſione, ſanctionem pragmaticam ſtabilire conatus fuerit, quam tamen multi iam tum ſagaciter praeſagiebant, non aliter, quam armis, et exercitibus a *Caroli* VI. morte confirmatum iri, atque idcirco autores fuere caeſari, vt neruum omnem ad copias, quam maximo numero alendas, conuertat, quae aulis, filiae ſucceſſionem impetere aliquando auſuris, poſſint opponi. Qua in re ſi *Eugenio*, aliisque recta ſuadentibus obſequi aut voluiſſet, aut potuiſſet *Carolus*, numquam *Maria Thereſia* tantis mox ab adito regno agitata fuiſſet tempeſtatibus.



MARIA THERESIA

REX XLIX.

A. C. 1740.

§. I.

Maria Thereſia hereditario iure in auita regna ſuccedit.

Mors *Caroli* VI. per vniuerſam Europam vulgata varios vbique animorum motus concitauit, atque aularum ſtudia, vt priuata cuiusuis vtilitas, vel ambitio ferebat, diuerſas in partes diſtraxit: etſi enim ſanctio pragmatica, viuente adhuc caeſare, per pacis tractatus conſtabilita, a plerisque Europae principibus ratihabita fuit, non defuere tamen, qui ad eam aliquando ſubruendam, diminuendamque Auſtriacae domus potentiam iam tunc conſilia cuderunt. Quamquam vbi primum *Maria Thereſia* hereditariarum ditionum habenas capeſſiuit, certatim ei exteri principes de conſcenſo ſolio per oratores ſuos gratulati ſunt, nominatim Sardiniae, Boruſſiae, et Poloniae reges cum Veneta republica. *Fridericus Auguſtus* elector Saxoniae, idemque

rex Poloniae tantum abeſt, vt *Mariae Thereſiae* ſucceſſioni refragatus ſit, vt etiam perpetuam ei amicitiae, foederisque ſocietatem humaniſſimis literis ſit pollicitus. *Fridericus* rex Boruſſiae futurarum quaſi tempeſtatum praeſagus, eidem octuaginta armatorum millia, ſanctionem pragmaticam aduerſus quosuis hoſtes tuitura, per legatum ſuum liberaliter admodum offerri iuſſit, modo ſibi aliquot Sileſiae ducatus, quos hereditario ad domum ſuam iure ſpectare contendebat, beneuole reſtituere in animum induceret. Vnicus tum fuit Bauariae dux *Carolus*, *Mariae Amaliae Ioſephi I.* caeſaris filiae maritus, qui *Mariae Thereſiae* non ſolum in Auſtriacis, verum etiam, quod mirere, in Hungaricis nouo prorſus, peculiarique iure aquiſitis ditionibus ſucceſſioni, ſolenni ritu per oratorem ſuum Viennae contradixit, ac vi teſtamenti a *Ferdinando* I. caeſare conditi ſancitum fuiſſe contendit, vt virili eiusdem poſteritate in *Carolo* VI. exſtincta, omnia domus Auſtriacae regna, et prouinciae absque vllo diſcrimine, aut diminutione ad Bauaricam domum deuoluerentur: quod vt a vero prorſus alienum eſſe, et e verbis, ſenſuque teſtamenti nihil domui Bauaricae iuris accedere, vniuerſus orbis intelligeret, *Maria Thereſia* conuocatis exterorum principum miniſtris autographum ipſum teſtamenti inſpiciendum, examinandumque exhiberi iuſſit. Qua occaſione cum aularum omnium oratores rogati conueniſſent, vnus abfuit legatus Gallicus, eo ſolum, quem a ſecretis habebat,

bat, ſui loco miſſo: vnde non obſcure colligebant Viennenſes, *Ludouicum* XV. qui pace die III. Octobris A. 1735. Viennae concluſa, articulo VI. non modo ſanctioni pragmaticae ſubſcripſerat, verum etiam eiusdem tuendae vadimonium in ſe ſuſceperat, clandeſtina aduerſus *Mariam Thereſiam* cum Bauaro cudere conſilia, quae tamen paulo ſerius in apertum eruperunt, poſtquam videlicet et foedera conciliata ſunt, et cauſae ſtudioſe excogitatae, quibus aliqua iuſtitiae ſpecies bello praetenderetur. Imperatoria quoque dignitas, a morte *Caroli* VI. vacans, multiplices curas toti Europae faceſſiuit. *Maria Thereſia* Hungariae regina cum foederatis ſibi principibus eo curas intendit, vt coniugem ſuum *Franciſcum* Lotharingiae, et magnum Hetruriae ducem caeſarem eligi procuraret, verum domus Bourbonica minime ſibi ferendum putauit, vt ſummus ille honor ad Lotharingicam domum transferretur, atque idcirco *Caroli* Bauariae ducis partes totis viribus in imperio Germanico tuendas, ſuſtentandasque ſuſcepit, perfecitque demum, vt is die XXIV. Ianuarii A. 1742. Romanorum imperator inauguraretur. 1742

§. II.

Lites cum Turcis componit, pacemque Belgradenſem roborat.

Diuerſa haec aularum Europae ſtudia cum minime ignoraret *Maria Thereſia*, bellumque longe grauiſſimum imminere cerneret, in id ſibi ante omnia incumbendum putauit, vt diremtis quamprimum cum porta Ottomannica litibus, paci Belgradenſi ſuprema tandem aliquando manus imponeretur, quo ſic nihil Hungariae deinceps ab oriente metuendum haberet. Quapropter comitem *Vhlefeld* Romanorum caeſaris hactenus, ſuum deinceps Hungariae, et Bohemiae reginae Bizantii legatum creauit, vltimisque ad lites ex aequo dirimendas, pacemque terminandam mandatis inſtruxit. Nouum reginae oratoris munus ſecum ferebat, vt *Vhlefeldius* ad Mahometis Turcarum ſultani audientiam publico ritu denuo accederet, verum cum is ſagaciter perſpiceret, circa caeremonias ea occaſione obſeruandas grauiſſimas tam a miniſtris Turcicis, quam a Chriſtianarum aularum oratoribus ſibi obiectum iri difficultates, ſicque pacis negotiationem in longius iterum tempus differendam, morbum, quo domi detineretur, excuſans, reginae ſuae literis per vezirium ſultano transmiſſis, alloquium hoc, litesque omnes prudenter declinauit: quae res cum a miniſtris Ottomannicis optime fuiſſet accepta, *Vhlefeldius* pacis ad exitum perducendae curas, *Caroli* caeſaris mor-

te interceptas, magno iterum animo reſumſit. Verum eius exſpectatione lentius principio ibant omnia, quod porta Ottomannica quaeſtionibus limitum cauſa ſuſcitatis nollet prius finem imponi, quam quae ſingularum Europae aularum in *Mariam Thereſiam* eſſent ſtudia, quae item belli, pacisue conſilia, certo cognoſceret. *Boneuallius* enim, clarus olim apud caeſareos dux, e Chriſtiano Mahometanus, ac purpuratorum dignitate auctus, ſiue quod priuato in Auſtriacos ferretur odio, ſiue vt bello inclareſcendi occaſionem nanciſceretur, id totis viribus agebat, vt, abrupta pace Belgradenſi, bellum recrudeſceret: quem in finem vezirio, ceterisque portae miniſtris affirmabat, certo ſibi conſtare, *Mariam Thereſiam* ſuo cum coniuge *Francisco* propediem in Hetruriam relegandam, Hungaricas autem, Auſtriacasque ditiones inter cognatos Europae principes ex aequo eſſe diuidendas. Qua occaſione curandum vtique eſſe, vt pars aliqua Hungariae imperii Ottomannici finibus poſtliminio vindicetur. Verum narrationi huic breui fides adimi coepit, poſtquam conſtante fama Bizantium allatum fuit, ac complures exteri miniſtri, ibidem degentes, aſſeuerallent *Mariam Thereſiam* a plerisque Europae principibus pro legitima, vnicaque *Caroli* VI. herede eſſe agnitam. Proniores porro ad pacem Turcarum animos illud reddidit, quod tacita Bizantii fama ferret, intimam inter Auſtriacam domum, Ruſſos item, atque Polonos ſtabilitum iri foederis, armorumque

ſocietatem, aulamque Petropolitanam occulta belli cudere conſilia: ne itaque nouo item cum Ruſſis, in dies creſcentibus, bello, atque eo plane tempore implicarentur, quo *Thamas Culinchan* rex Perſiae, a quo multiplices paucis abhinc annis clades acceperant, maximos iterum ad inuadendum imperium Ottomannicum apparatus facere nunciabatur, cum Viennenſi non minus, quam Petropolitana aula pacem accelerare decreuit vezirius. Sic cum animo eſſent comparati Turcae, aequis *Vhlefeldii*, limites non aliter, quam quemadmodum tractatu Belgradenſi vtrinque conuentum erat, definiendos eſſe, vrgentis, poſtulatis proniores iam aures praebere coeperunt. Ac reapſe inſigni ſua in agendo prudentia, et animi, quam cauſae aequitas inſpirare ſolet, conſtantia id effecit, vt quam minima finium iactura lites componerentur, nominatim vero Sirmienſis ditio vltra ſeptemtrionalem Saui ripam Hungariam verſus ſita, quam viuente adhuc *Carolo* primarius aulae caeſareae adminiſter, properato admodum conſilio, per oratorem Gallicum Turcis vltro offerri iuſſerat, in reginae Hungariae ditione, poteſtateque manſerit. Cunctis demum litibus mutuo conſenſu diremtis, ne alterutrius partis commiſſarii in limitibus, metisque ſtatuendis aberrare, aut nouas quaeſtiones ſuſcitare poſſent, in chartis geographicis, per geometras ſumma exactitudine confectis, limites ductis lineis accurate diſcriminati ſunt, a quarum ductu, et menſura vel latum vnguem diſcedere com-

miſſariis vetitum fuit. Noua haec *Vhlefeldium* inter, et vezirium facta conuentio, quatuor capitibus mox recenſendis conſtat, atque die II. Martii A. 1741. ſignata fuit, cui ipſe demum orator Gallicus, Chriſtianiſſimi regis nomine, calendis Maii e. a. ſubſcripſit.

§. III.

Conuentionis inter reginam Hungariae, et portam Ottomannicam factae capitum recenſio.

Ne in citata ſuperius conuentione hic explicanda prolixiores ſimus, ſummam tantummodo ſingulorum capitum ea, qua par eſt, fide, ac perſpicuitate recenſebimus. Sic autem habet: I. Cum pacis Belgradenſis articulo III. Danubius, et Sauus vtrique imperio limitem ponere iubeatur, atque hinc dubium enatum eſſet, ad quantam diſtantiam Sauus pro limite ſit habendus: placuit vtrique parti in id conſentire, vt inde a Saui cum Danubio confluxu ad eum vſque locum, vbi Vnna fluuius in Sauum ſe ſe exonerat, ac inde rurſus aduerſo Vnna aſcendendo vſque ad arcem, *nouam* dictam, per Turcas actu tunc poſſeſſam, ii prorſus limites eſſent, qui tractatu Carlouitzenſi definiti erant; vltra Vnnam autem, limites Paſſarouitzenſi pace

conſtituti porro etiam obtinerent, ita vt vltra Seruiae conterminum Drinam fluuium ex parte Boſſniae Sauo, et Vnna fluminibus imperii vtriusque fines ſecernerentur, neutrique parti deinceps liceat aliquid terrarum trans haec flumina praetendere: quorum vſus, ac nominatim piſcatus vtriusque partis ſubditis communis eſt relictus. Quem in finem inde a Drina vſque ad extremos Boſſniae fines, Vnnaeque cum Sauo confluentem, atque hinc rurſus vſque ad praedictam arcem *nouam*, munimenta, citadellae, militariumque excubiarum ſtationes, in auerſis iam hodie ditioni Hungaricae ripis ſitae, quae hactenus in reginae Hungariae poteſtate erant, citra demolitionem intra XLV. dies Turcarum manibus conſignabuntur: Turcae viciſſim inſulas in Danubio, Sauoque ſitas, ac ad ſereniſſimae reginae ius deinceps tranſituras, hominibus per eamdem delegatis intra idem temporis ſpatium reſtituent, vetitum praeterea erit vtrique parti, demtis militibus, ceteros memoratorum locorum, aut inſularum incolas ad transmigrandum in ſuas ditiones vi adigere, plena vtrisque relicta in priſtinis ſuis habitationibus remanendi libertate. II. Ad occaſiones omnes, quae mutuam amicitiam haedere poſſunt, praecidendas, in inſulae, e regione Belgradi poſitae, dimidia illa parte, quae vrbem reſpicit, ſiluae, arbores, dumeta, ac aedificia demum omnia ſereniſſimae Hungariae reginae iuribus hactenus obnoxia, radentur, et ſolo aequabuntur, ac, ſi quae nouae arbores labente aetate ibidem ſuccre-

ſcerent, conſtanter eradicabuntur, pars denique haec vtrinque derelicta, neutrius partis vſibus deſeruiet: altera vero eiusdem inſulae pars, banatum Temeſienſem reſpiciens, in ſereniſſimae reginae ſubditorum vtilitatem cedet. Ceterum neque in hac, neque in aliis inſulis, quarum deinceps mentio fiet, licebit munimenta, aut alia aedificia, demtis ſolis ruſticorum domibus, erigere. III. Cum ex pacis Belgradenſis articulo V. circa veteris Orſouae Turcis traditae territorium quaeſtio non leuis exorta, diuque vtrinque agitata fuiſſet, hunc in modum ab vtraque parte conuentum fuit: in charta topographica, recens confecta, ductis mutuo conſenſu lineis, tam veteri Orſouae, quam planitiei, quae inſulae Orſouenſi obuerſa eſt, limites defixi ſunt, conſimili lineae ductu canalis quoque deſignatus eſt, per quem Tsernae fluminis aquae ad Danubium vſque deducerentur, quo canali Turcicum Orſouae territorium a Temeſienſi banatu diſtinguerentur. Charta haec topographica ita, vt dictum eſt, ſignata vtriusque partis commiſſariis traderetur, ad cuius menſuram, fidemque ipſi poſtea limites Orſouenſes nullo negotio citra vllas diſceptationes quam exactiſſime poſſint definire. IV. Demtis Danubii inſulis *Pauirza*, *Kiſſiloua*, et *Hiſſargik* portae Ottomannicae relictis, ceterae inſulae omnes tam magnae, quam paruae, inde ab Orſoua Belgradum vſque ad ſereniſſimae Hungariae reginae dominatum pertinebunt. In Sauo pariter excepta ea inſula, quam *Zin-*

gianam vocant, ceterae omnes vſque ad Vnnae cum Sauo confluentem ſine vllo diſcrimine iuris erunt reginae Hungariae. Porro cum ad inſulam *Pauirzam* difficilis ſit vtrique parti Danubii traiectus, mutua voluntate conuentum eſt, vt porta Ottomannica locum aliquem in ea inſula aſſignaret, in quo ſereniſſimae reginae ſubditi nautae quindecim in pace, ſecuritateque poſſint degere (*a*). Haec fuere conuentionis inter comitem *Vhlefeld*, et magnum vezirium Conſtantinopoli concluſae capita, iuxta quae cum deputati vtrinque commiſſarii limites decreuiſſent, ſublatis demum litibus paci Belgradenſi ſuprema manus acceſſit, neque ex eo die *Maria Thereſia* toto diuturni regiminis ſui tempore hoſtile quidquam a Turcis experta fuit. Cum Ruſſis quoque negotiatio ad exitum feliciter perducta fuit: poſtquam hi in Aſſouienſis fortalitii demolitionem; Turcae autem ad concedendos ſummis Ruſſorum imperantibus *imperialis maieſtatis* titulos, vltro conſenſere.

(*a*) Conuentionem hanc vide apud Logier hiſtoire de negotiations pour la paix conclue a Belgrad. Tom. II. pag. 372.

§. IV.

Mariae Thereſiae peculiaris in gentem Hungaram fiducia.

Proinde ſane ditionibus Hungaricis ab oriente ſecuritas procurata fuit: mox enim nubes per Europam cogi coeperunt, in atrociſſimam tempeſtatem deſiturae; praecipui enim quique principes variis ex cauſis, mutuo foedere inuicem conſociati, ad diminuendam *Mariae Thereſiae* hereditatem interea conſpirauere. Primus claſſicum ſuſtulit *Carolus* Bauariae elector, vniuerſas prouincias Auſtriacas cum regno Hungariae (*a*) ad ſe pertinere contendens: huius exemplo excitati comes palatinus Rheni, et Auguſtus elector Saxoniae, aliquam ſinguli relictae hereditatis partem ſibi aſſerere cupiebant. *Philippus* V. Andegauenſis rex Hiſpaniae, reginae coniugis *Eliſabethae* Parmenſis inſtigatione, Parmam, et Placentiam tertio genito filio ſuo vindicare conſtituerat. Aula Pariſina id

(*a*) In Hungariam quidem nil prorſus iuris eſſe poterat, Bauaro, exſtincta enim virili ſtirpe Habsburgica, Hungari ſui iuris effecti, plenam regis quacumque e domo eligendi habituri erant libertatem, niſi ipſi hereditariam apud ſe ſucceſſionem, iam A. 1723. vnanimi totius gentis conſenſu, in *Caroli* VI. filiam *Mariam Thereſiam* eiusdemque poſteros, vltro, ac beneuole tranſtuliſſent. Vt videre eſt generalium regni comitiorum anni eiusdem decreti art. I. et II. in codice iuris patrii.

tum tantummodo in votis habebat, vt electori Bauariae cum imperatoria dignitate Bohemiae quoque coronam procuraret. *Fridericus* Boruſſiae rex exercitu in Sileſiam traducto, ducatus eius aliquot, vt iam alibi meminimus, ſibi cedi petebat. *Carolus* denique rex Neapolis, atque Siciliae, et dux Mutinenſis ſua intereſſe putauerunt, vt in communi ea direptione ipſi quoque res ſuas in Italia augerent. Tot hoſtibus ad partiendam inter ſe *Caroli* VI. hereditatem animatis, non erat iam integrum, cauſae aequitatem ſola voce, ſcriptisque defendere, armis, exercitibusque opus fuit. Et vero res militaris numquam peiore, quam tunc, eſſe poterat loco, confecta enim ad Belgradum pace, veterani militis, qui adhuc ſupererat, pars potior exautorata fuit, aerarium regium diuturna cum Hiſpano, Gallo, ac porta Ottomannica bella ad fundum vſque exhauſerant, vt *Carolo* diem ſuum obeunte nihil fere aeris, vnde nouus belli apparatus procurari, nouaque tironum ſupplementa conſcribi poſſent, ſit relictum. Hoc rerum ſuarum ſtatu, id ante omnia ſibi agendum putauit *Maria Thereſia*, vt nobiliſſimae gentis Hungaricae, cuius vnanimi conſenſu Hungariae coronam hereditario iure obtinuerat, ſtudia voluntatesque paulo arctius ſibi obſtringeret, quo eiusdem fide, fortitudine, dextrisque eo fidentius deinceps ad ſe, resque ſuas tuendas vteretur. Quare cum primum auſpicatiſſimo partu optatiſſimum regnis omnibus heredem dedit *Ioſephum*, vniuerſos regni ordines ad diem

XXIV. Maii A. 1741. Posonium pro haben- 1741
dis generalibus comitiis conuenire iussit. Ad-
fuere illi non visa multis retro temporibus
frequentia, et splendore, hereditariae regi-
nae suae quantocyus inaugurandae desiderio
exciti. Die XXV. Iunii e. a. sacrosanctum
regni diadema summa omnium laetitia, et
gratulatione eius vertici impositum fuit (*a*).
His in comitiis vt *Maria Theresia* haberet,
cum quo gubernationis curas partiretur, vo-
lenti *corregens* datus est sereniſſimus eiusdem
sponsus *Franciscus* Lotharingus, nouae huius
dignitatis officiis, iuribus, limitibusque ac-
curate definitis (*b*). Eadem occasione maxima
ordinum omnium consensione palatini digni-
tatem obtinuit *Ioannes* e comitibus Pálfi ab
Erdöd, ab exstincto olim per pacem Szath-
marinensem ciuili bello, de augusta domo
Austriaca, et patria insigniter meritus. Le-
ges tum perlatae et paucae sunt, et nihil fe-
re praeseferunt nouitatis: partim quod res
Hungarica ad meliorem ordinem sub *Carolo*
VI. reuocata nullis adhuc remediis indigeret,
partim vero, quod imminentia *Mariae The-*
resiae capiti pericula regni ordinum voluntates, a priuatis suis commodis procurandis auo-
catas, ad tuendam augustae principis suae
hereditatem transtulerint. Nam cum sub

(*a*) Ritus in coronatione hac obseruatos vide in col-
lectione script. Hungariae Schuantneriana edit.
Vienn. in folio Tom II. pag. 524.
(*b*) Vide Mariae Theresiae decreti I. art. IV.

idem tempus bellum pluribus locis erupiſſet, ac elector Bauariae XL. millibus Gallorum adiutus, occupata ſuperiore Auſtria, cuncta ad Viennam Auſtriacae monarchiae metropolim quantocyus oppugnandam praepararet, copiae autem noſtrae in Sileſia ſucceſſu minus proſpero cum *Friderico* Boruſſiae rege decertarent; *Maria Thereſia* periculi, in quo verſabatur, magnitudinem regni ordinibus vna congregatis ſcripto explicuit, atque omnes, et ſingulos ad priſcam gentis Hungaricae virtutem exerendam, armaque contra ſuos, hereditariorumque regnorum ſuorum inimicos capienda appoſitis verbis cohortata, ſacram perſonam ſuam, auguſtasque regias proles fidei, conſiliis, dextrisque Hungarorum tuendas ſumma cum fiducia commendauit. Neque multis tum opus erat: Hungari enim optatiſſimum ſibi tempus adueniſſe rati, quo ſincera ſua in hereditariam reginam ſtudia orbi vniuerſo teſtata facerent, Martio quodam igne perciti, ſe *vitam, et ſanguinem* pro *Maria Thereſia* impenſuros vnanimi voce conclamarunt (*a*).

(*a*) Citati decreti art. LXIII.

§. V.

Hungarorum in decernendis auxiliis promtitudo.

Ne porro verba ſolum dediſſe viderentur Hungari, ſine mora, quo maxime opus erat, militum auxilia addixere. Decreta generali totius regni inſurrectione, primo omnium imperatus a ſingulis *portis* miles. XXI. mille, ſexcentos viginti duos pedites effecit, vnde ſex nouae legiones Hungaricae quantocyus inſtituerentur. Conſtitutum praeterea, vt poſſeſſionati regni ordines a ſingulis *portis palatinalibus* equitem darent, vnde aliquot poſtea equitum legiones coaluere. Denique omnes ii, qui iure nobilitari apud Hungaros gaudent, aut viritim ipſi inſurgere, aut aliquos idoneos ſui loco ad caſtra mittere iuſſi ſunt: quae quidem inſurgendi ratio tum definita, eo magis gentis Hungaricae in reginam ſuam fidem, amoremque commendat, quod raro admodum, ac fere tum ſolum, cum hoſtis in patriae viſcera irrupit, ad aras, et focos tuendos a maioribus noſtris adhiberi ſoleret. Ne autem tot copiis alendis neruus deeſſet, praeter liberalia pecuniae ſubſidia, quae locupletiores vtriusque ordinis viri de ſuo certatim obtulere, ampliſſima inſuper vectigalia per vniuerſum regnum deſcripta, atque ab iis etiam exacta ſunt, qui de cetero a pendendis tributis immunes erant (*a*). Fuit

(*a*) Eiusdem decreti art. LXIII.

illa tum etiam praeclara nobilitatis Hungaricae vox audita: ſi omnes aerarii publici fontes belli diuturnitas exhauriret, non recuſaturos ſingulos, quidquid auri, argentique proprii domi eſſet, in commune conferre, vt pecunia inde in vſus belli conflaretur. Sic tum incenſos Hungarorum animos paulo vehementius inflammauit *Ioſephi* filii, ſemeſtre vix egreſſi, praeſentia, quem regina mater
1741 die XIX. Septembris eiusdem anni 1741. Poſonium deferri iuſſerat, vt chariſſimam ſibi gentem Hungaram intimi ſui ex optatiſſimo herede ſolatii redderet participem, palamque ordinibus regni exhiberet futurum ſuum aliquando in regno ſucceſſorem, quem nunc ipſi inermem tuituri eſſent, id ab eo, cum adoleuerit, gratiae loco recepturi, vt eius auſpiciis, et fortitudine aduerſus quosuis hoſtes aliquando ptotegerentur. Laetiſſimus regii principis conſpectus, quanta ſingulos, qui iis comitiis intererant, voluptate, futurorumque temporum exſpectatione compleuerit, multi etiamnum cum gaudio meminerunt. Soluto ſubinde conuentu, mox nouis militum delectibus feruere omnia, Hungaria tota quaſi ſuis e ſedibus moueri, tirones tanto vbiuis numero conſtitutis militiae conſcribendae ducibus ſe ſiſtere, vt non iam paucitate, ſed numero laboraretur, multosque vel inuitos domum interea relegare neceſſum fuerit. Profecto breui temporis ſpatio tam numeroſus, florensque ex Hungaria, Dalmatia, Croatia, et Tranſſiluania conflatus fuit exercitus, vt

Maria Thereſia non iam ſuſtinendo ſolum bello, verum etiam feliciter propulſando par videretur.

§. VI.

Belli ſucceſſus, et exitus.

Belli huius et difficilis, et diuturni hiſtoriam texere non eſt noſtri inſtituti, qui eam variis locis, et temporibus editam legerint, admirabuntur profecto, *Mariam Thereſiam* Hungariae reginam a foederatis omnibus principio praeſertim deſtitutam, ſolam tot hoſtibus tamdiu reſiſtere, contra tot exercitus auitas ditiones ſuas tueri, grauiſſimo denique e diſcrimine ſemet ad extremum eripere potuiſſe. Nam non de Bauaris ſolum, verum etiam de Gallis in Germania, et Belgio, ac in Italia de Hiſpanis non vna vice triumphauit. Eiectis e Bohemia hoſtibus, hereditariam eius regni coronam die XII. Maii A. 1743. Pragae ſuſcepit. Tum vero 1743
victrici vſa armorum ſucceſſu, id quod cumprimis optabat, maximis domus Bourbonicae ingratiis, feliciter perfecit, vt *Carolo* VII. Bauaro imperatore e viuis erepto, coniugem ſuum *Franciſcum* imperii Germanici corona die IV. Octobris A. 1745. Francofur- 1745
ti inaugurari aſpexerit. Pacem demum variis temporibus ita cum hoſtibus ſuis compoſuit, vt maximam hereditatis ſibi a *Carolo*

VI. patre relictae partem ſartam, tectamque ſeruauerit. Primus omnium cum *Maria Thereſia* ex animo in gratiam rediit *Maximilianus* elector Bauariae, *Caroli* VII. cae-
1745 ſaris filius, die XXII. Aprilis A. 1745. in quem victrix regina Hungariae ea fuit beneuolentia, vt auitas ditiones omnes, quas bello ceperat, eidem integre reſtituerit. Eodem anno die XXV. Decembris inter Hungariae reginam, ac Poloniae, Pruſſiaeque reges concordia priſtina reſtituta fuit, ita tamen, vt totam propemodum Sileſiam cum Glacenſi Bohemiae comitatu Boruſſo transſcribere oportuerit. Triennio adhuc continuatum cum domus Bourbonicae principibus, eorumdemque foederatis bellum die
1748 XVIII. Octobris A. 1748. tractatu Aquisgranenſi optatum finem accepit, quo tempore Parma, et Placentia ab Auſtriaco in Italia dominatu auulſa, certis conditionibus in *Philippi* Bourbonii infantis Hiſpaniae ius tranſiit

§. VII.

Quantum per bellum hoc genti Hungaricae gloriae acceſſerit.

Hac, quam compendio retulimus, ratione feralis illa tempeſtas, quae in ipſo regni exordio certiſſimum *Mariae Thereſiae* portendere videbatur exitium, non ſine immortali eiusdem nominis gloria diſſipata fuit, quamuis porro ceterae hereditariae prouinciae nihil

in

in ſe fidei, aut induſtriae deſiderari paſſae fuerint, nihil tamen ab Europae totius, ac ipſius etiam *Mariae Thereſiae* iudicio alienum pronunciabit, qui praecipuas in tuendis auguſtae principis ſuae coronis, belloque feliciter gerendo partes Hungaricae gentis fidei, et fortitudini tribuerit. Nam cum ſub ipſa belli exordia Auſtriacae ditiones aliquot, in quibus tirones conſcribi poterant, ab hoſtibus iam occupatae tenerentur, maximam exercitus Auſtriaci partem ex Hungaris conflari oportuit, vnde noua annis ſingulis militum ſupplementa in caſtra mittebantur. Quamquam plurimae etiam, eaedemque illuſtres de hoſtibus victoriae per inuictum aeuo ſuo heroem *Franciscum* comitem de *Nádasd*, pluresque alios duces Hungaros, copiarum Hungaricarum virtute reportatae, et viuentium etiamnum teſtium ore celebrantur, et omnium fere cultiorum Europae populorum calamis ad poſterorum memoriam commendatae ſunt, vt noſtro praeconio minime iam indigeant. Equidem ſingularis Hungarorum in reginae ſuae iuribus, et ditionibus defendendis fides, atque conſtantia hoſtes ipſos in admirationem egit, eorumdemque conſilia eo vehementius perturbauit, quo minus id euenturum ante praeuiderant: multi quippe, ac nominatim cardinalis *Fleurius*, primarius aulae Gallicanae adminiſter, falſo arbitrati ſunt, Hungaros, ſolis regni ſui finibus tuendis ad id vſque tempus aſſuetos, eam *Mariae Thereſiae* hereditatis direptionem otioſis ſpectaturos oculis, aut etiam ea belli op-

portunitate, ad excutiendum domus Auſtriacae iugum, priſtinamque regis eligendi libertatem poſtliminio vindicandam conſilia, et vires cum hoſtibus conſociaturos. Verum vbi victricia Hungarorum ſigna per vniuerſam Germaniam, Italiam, Belgium, atque ipſos regni Gallici fines circumferri aſpexere, opinione ſua ſe deluſos proprio damno ſunt experti. Ex hoc autem fideli, opportunoque obſequio *Mariae Thereſiae* diuturni eius belli tempore praeſtito, Hungari praeter immortalem fide, dextrisque ſuis reginae ſeruatae gloriam, id etiam beneficium longe maximum conſecuti ſunt, vt obliterata praeteritorum temporum memoria, noxia illa ſubditos inter, et principem diffidentia per tam illuſtria intemeratae fidei argumenta penitus ſit ſublata. Sed neque *Maria Thereſia* res ab Hungaris eo bello pro ſe praeclare, fortiterque geſtas aut otioſe ſpectauit, aut obliuioni tradidit, neque ſibi temperare potuit, quin, quanto voluptatis ſenſu eapropter afficeretur, datis ad *Ioannem* comitem Pálfi regni palatinum literis propalam teſtaretur. Nos earum fragmentum huc adſcribemus, ceu perpetuum *Mariae Thereſiae* in gentem Hungaram beneuolentiae, et gratiae monumentum. Sic autem habet: „ Ex „ eo, quod de felici Rheni traiectu ex nun„ ciis publicis intellexiſtis, haud dubie vo„ bis conſtabit, quam ſtrenue, et fortiter „ copiae Hungaricae ſe geſſerint. Secuti „ ſunt initium adeo proſperum, ſucceſſus „ adhuc fortunatiores. Expugnata equidem

„ moenia quaſi inuincibilia ad Lauterburgum, „ occupata etiam ipſa haec ciuitas, diſperſi „ illi, qui in regionibus illis erant, inimici, „ capta horum vexilla, et timpana. Quae „ omnia poſt omnipotentis auxilium, forti- „ tudini, dexteritati, et prudentiae nonniſi „ dictarum copiarum attribuenda ſunt, pro- „ uti ex literis principis *Caroli* cognati mei „ dilectiſſimi vberius hic perſpicietis. -- Non „ ignotum quidem vobis eſt, quantus omni „ non tempore fuerit et affectus, et fiducia „ mea erga nationem adeo mihi caram, per- „ ſuaſumque vobis erit, et affectum, et fi- „ duciam meam maiorem in dies erga eam- „ dem fieri, cum in dies ſpecimina maiora „ habeam, quam parum ſpes de eadem con- „ cepta me fefellerit. Nihil proinde eſt, „ quod in valore, fideque Hungarorum omni „ prorſus occaſione mihi non promittam, ni- „ hilque, quod lubenti, et grato animo ma- „ ieſtatis noſtrae ad regni bonum facere, „ parata non ſim „. (*a*). Tam illuſtri auguſtae principis de gentis Hungaricae fide, ac virtute iudicio nihil eſt, quod per nos amplius poſſit adiici.

(*a*) Datae ſunt literae die XIII. Iulii A. 1743. apud cl. Schmidt in palatinis regni Hungariae in fol. pag. 214.

§. VIII.

Mariae Thereſiae propenſa in gentem Hungaram ſtudia.

Magna quidem haec erant, atque euidentia Hungarorum in auguſtam domum Auſtriacam fidei, conſtantiaeque argumenta, quae tamen multo vberius, certiusque *Maria Thereſia* edocta fuit, per auguſtiſſimum coniugem ſuum *Franciscum*, qui cum octennio integro locumtenentis dignitate, et poteſtate Hungaris praefuiſſet, et quotidiana cum eis agendi conſuetudine, et crebris de reipublica conſultationibus, nobiliſſimae gentis generoſam, excelſamque indolem, intemeratam in principes ſuos fidem, intima denique conſilia, animique ſtudia, quam optime explorata, perſpectaque habebat, quae ille auguſtae coniugi ſuae per otium explicare, gentemque deceſſoribus Auſtriacis regibus haud ſatis notam, magis in dies cognitam reddere non omittebat, vt auguſta ipſa et voce ſaepius, et ſcripto teſtari non eſt dedignata (*a*).

(*a*) Teſtes huius ſunt *auguſtae Mariae Thereſiae* literae die XXIV. Ianuarii A. 1777. ad Metropolitanum capitulum Colocenſe exaratae, quarum partem, quae huc facit, libenter hic loci referimus „-- De anniuerſario imperatoris caeſaris Franciſci coniugis noſtri deſideratiſſimi certi eſſe poteſtis, nihil vos vnquam, neque nobis gratius, neque fide, et natalibus veſtris dignius eſſe facturos, quam ſi capitulari lege veſtra ſtatuatis, vt anniuerſarium

Itaque tam *Francisci* caesaris immortale apud nos nomen promeriti hortatu, quam sua etiam sponte *Mariae Theresiae* ex eo tempore cogitationes omnes eo transtulit, vt peculiaris suae gratiae, beneuolentiae, fiduciaeque in gentem Hungaram quamplurima ederet argumenta, totoque diuturni regiminis sui tempore ad obitum vsque nullam, veras carissimae sibi genti vtilitates, et gloriam procurandi praetermitteret occasionem. Iuuat hic nonnulla ad posterorum memoriam commemorare. Postquam belli tempestas conquieuit, quanti Hungaros faceret declaratura, *Iosephum* filium praecipuum auspicatissimi thalami fructum, tot regnorum spem *Carolo* comiti, subinde S. R. imperii principi de Battyán, viro et bellica virtute, et ciuili prudentia spectatissimo instituendum cre-

---

illud sacrum futuris etiam omnibus temporibus in ecclesia vestra pro desideratissimo coniuge nostro celebretur. Hic enim ille suasor, et magister noster est, qui nos initio statim felicis regiminis nostri, charam nobis gentem Hungaricam penitius noscere, aestimare, ac demum ex animo diligere docuit, quod eius immortale de nobis, deque charo nostro Hungariae regno meritum per vos, perque capitulum vestrum serae posteritati notum esse volumus. Ceterum restat adhuc vnum, quo vos nobis complacere desideremus, scilicet, vt cum summo illi vitae, mortisque arbitro visum fuerit, humanis nos rebus eximere, in anniuersariis solennibus commemorationibus desideratissimi coniugis nostri nomini nomen quoque nostrum adiungatur. „ . . .

didit. Illud etiam peculiare fuit in Hungaram gentem fiduciae ſpecimen, quod copiarum Hungaricarum numerum non mediocriter auxerit, easdemque legionibus Germanicis dignitate, iure, et praerogatiuis exaequatas voluerit, neque dubitauerit poſtea exercitus ſuos Hungaris ducibus in hoſtem ducendos confidere. Hos inter ceteris celebriores fuere: *Franciscus* comes de Nádasd Illyrici banus, et *Andreas* comes ab Hadik, bellici poſtea Viennae tribunalis praeſes, qui eo
1756 bello Boruſſico, quod anno 1756. optatam totius Europae pacem turbauerat, quanta non virtutis ſolum, verum etiam ſcientiae militaris ediderint argumenta, quam illuſtribus victoriis nomen ſuum immortalitati conſecrauerint, notius eſt, quam vt a me deſcribi oporteat. Quanti porro illud faciendum eſt, quod turmam praetorianam e ſolis nobili-
1760 bus Hungaris A. 1760. conflatam erexerit, cuius fidei, et cuſtodiae ſe, vniuerſamque auguſtam familiam ſuam ſumma cum fiducia commiſit. Iuuentuti huic, quia auguſtae munificentia non modo variarum ad patriae vtilitatem facientium diſciplinarum, verum etiam diuerſorum idiomatum profeſſores dati ſunt, multi iam partim ſago, partim toga clariſſimi viri ex ea turma prodiere. In ciuili Hungariae adminiſtratione multa in meliorem ordinem, Hungaris ipſis conſilia, operamque praebentibus, *Mariae* Thereſiae prudentia reuocata ſunt ita, vt nemo eſſet,

qui illius acta, et inſtituta non commendaret. Eadem imperante, deſiit vetus illa Hungarorum querimonia, in negotiis Hungaricis ſolos exteros ad conſilia adhiberi, gentemque Hungaram a ſecretioribus conſiliis remoueri. Vt autem illi, qui conſtante in principem fide, rebusque in ciuili ordine praeclare geſtis magis prae ceteris conſpicuos ſe ſe reddiderant, publicum etiam acciperent meritorum ſuorum praemium, inſignem ordinem equitum *S. Stephani* primi regis Hungariae apoſtolici A. 1764. inſtituit, quem 1764
non ſolum Hungari, verum etiam quamplurimi exteri ſummi ſubſellii viri, in equitum numerum cooptati nobilitarunt, quo tempore appoſite de inſignis huius ordinis inſtitutione ad regni ordines, tum in comitiis Poſonienſibus congregatos, perorauit *Adamus* e L. B. Patachich de Zaiezda Varadinenſis antiſtes. Eadem auguſta florentem ſuperioribus ſeculis aulae regiae familiarium in regno Hungariae dignitatem A. 1774 inſtaurauit, 1774
quo ſic multiplicatis praemiis quamplurimos gratiae ſuae redderet participes. Dudum iam optauerunt Hungari, vt reges ſui aliquam ſaltem anni partem apud ſe in regno exigerent, quin tamen vnquam de idoneis tantae maieſtati capiendae aedibus ponendis cogitaretur. Dimidium, et amplius iam effluxerat ſeculum, ex quo ſingulari Dei beneficio, *Caroli* autem Lotharingi ducis auſpiciis, Hungarici regni metropolis Buda a Turcarum ſeruitute vindicata fuit, celeberrima tamen illa regia, a *Ludouico* M. poſita,

per *Sigismundum* nouis exornata palatiis, *Mathiae* demum munificentia ad ſummum olim ſplendorem adducta, ſuis adhuc ſepulta iacebat in ruderibus, auxiliatricemque manum praeſtolabatur. *Maria Thereſia* tot ante ſe regum memoriam renouatura, non diutius ſqualorem illum tolerandum putauit: itaque vbi primum a belli curis conquieuit, iacto
1749 die XIII. Maii A. 1749. priore in loco primo lapide, nouam a fundamentis regiam moliri coepit, omine ſane quam feliciſſimo; auguſtum enim illud, et regia dignum magnificentia opus, inexplicabili gentis Hungaricae laetitia, et gratulatione optatum iam dudum finem accepit non ſine immortali conditricis gloria, cuius nomen, quamdiu arx illa pone labenti Danubio dominabitur, nulla vnquam vetuſtas abolere poterit. Feruebant adhuc Budae operae, cum de inſtauranda Poſonienſi arce cogitationem ſuſcepit: ſtabat illic veruſta aedes mole quidem maxima, verum adeo exiguis inſtructa oportunitatibus, vt auguſtae familiae pro dignitate capiendae nequaquam ſufficeret. Hanc illa magnis ſane impendiis in commodiorem redactam ordinem, nouis auxit palatiis, ac ad omnem nitorem, et elegantiam inſtruxit. Huc auguſta crebrius demigrabat, vt genti ſibi cariſſimae maieſtatis, clementiaeque ſuae copiam faceret. Hic domicilium eſſe voluit archiducis *Mariae Chriſtinae*, et *Alberti* regii Poloniae principis eiusdem coniugis, quem poſt *Ludouici* C. de Battyán palatini obitum,
1765 Hungaris die XXV. Decembris A. 1765. re-

gium locumtenentem dedit. Itaque *Mariae Thereſiae* ſolicitudini, ac munificentiae debebunt ſucceſſores Hungariae reges, quod maieſtate ſua non indignas apud nos aedes conſecuti ſint.

§. IX.

Nobili iuuentuti educandae noua condit contubernia, aut vetera inſtaurat.

Haec et plura id genus alia, genti Hungaricae praeſtita, aeternam grati animi memoriam apud nos merentur: ſed neque minoris aeſtimanda ſunt illa, quae ad rectam Hungaricae iuuentutis educationem auguſta *Maria Thereſia* contulit. Poſtquam firmiter apud ſe ſtatuerat, gentem Hungaram ad ſummum florem euehere, a primis fundamentis rem ordiri aggreſſa, id ſibi ante omnia efficiendum putauit, vt iuuentus Hungarica, ceteroquin ingenio pollens, et culturae capaciſſima, primum omnium in religionis, et morum doctrina, tum vero in quibusuis ſcientiis reipublicae vtilibus egregie inſtitueretur, quo ſic praeclaros toga, ſagoque viros pedetentim formari procuraret, quorum ſubinde conſiliis, et opera ad prouehendam Hungariae felicitatem vteretur. Itaque A. 1747. aeſtiuas *Caroli* VI. caeſaris aedes ſuburbanas Viennenſes illuſtris omnium omnino hereditariarum ditionum ſuarum iuuentutis vſibus 1747

addixit, nouumque hoc nobilium contubernium a nomine ſuo *Thereſianum* dictum regia plane munificentia dotauit, atque conſtabiliuit. Quae academia et adoleſcentium eo confluentium frequentia, et praeclaro in religione, bonis moribus, atque ſcientiis progreſſu maximam per vniuerſam Europam celebritatem obtinuit. Dati iam hinc ſunt pluribus eccleſiis ſanctiſſimi antiſtites, ſummis prouinciarum dicaſteriis praeſides, arcanioribus aulae conſiliis fideles, peritique adminiſtri, clariſſimi denique copiis duces. Illuſtre hoc contubernium quamquam extra regni Hungarici fines ſitum idcirco hic commemorauimus, quod magno ſemper Hungarorum adoleſcentum, aere ſuo ibi viuentium, numero frequentatum ſit, ac inſuper auguſtae fundatricis munificentia perpetuis ſtipendiis aſſignatis plures nobiles Hungaros ibidem conſtanter aluerit. In Hungaria autem cum auguſta *Maria Thereſia* comperiſſet, celebrem olim nobilium conuictum, quem cardinalis *Petrus Pazmanus* bono iuuentutis Hungaricae Tyrnauiae condiderat, in ruinas abiiſſe, continuo autoritate, et munificentia ſua effecit, vt nobilior multo ſuis e ruderibus reſurgeret, iisque inſtrueretur opportunitatibus, quae egentiori non minus, quam locupletiori iuuentuti capiendae pares forent. Alterum pariter huic non abſimile iuuentutis contubernium conſilio, et opera *Chriſtophori* S. R. eccleſiae cardinalis Migazzi poſuit Vacii, conuictus *Thereſiani* appellatione decoratum. In vtraque hac domo re-

eta fidei, morumque doctrina, ſcientiae, bonaeque artes omnes numeroſae iuuentuti nobili tradebantur, vt merito inde patria, et religio clariſſimos olim viros ſibi polliceri queat. Ad horum contuberniorum normam ceteros per Hungariam, Croatiam, et Tranſſiluaniam nobilium conuictus in docendo, diſcendoque, quoad licuit, conformari oportuit, auguſta domina impenſas omnes regia prorſus munificentia ſuppeditante, vt adeo de optimo inſtituti huius ſucceſſu auguſta fundatrix non modo bene ſperare, verum etiam confidere poſſet. Porrexit quoque eadem curas ſuas ad orphanorum, omni humana ope deſtitutorum, educationem, quibus tam in Hungaria, quam in Tranſſiluania aedes peramplas addixit, ſtabilibusque redditibus aſſignatis copioſe dotauit. Sequioris etiam ſexus teneram aetatem regia ſua ſolicitudine minime indignam putauit: optime nempe perſpiciebat, ſi adoleſcentulae piam, rectamque acciperent inſtitutionem, pias olim euaſuras matres, quae ſuas aliquando proles et in religionis placitis, et probis moribus ab ipſis incunabulis eſſent excultu-rae, fere enim a prima parentum, et praeſertim matrum inſtitutione, futura iuuentutis indoles, morumque ratio dependet. Itaque religioſas virgines, quae puellarum educationi vi inſtituti ſui conſecratae ſunt, partim nouis domiciliis in Hungaria, et Tranſſiluania excitatis multiplicauit, partim auguſta gratia, et munificentia ſua ad vtiliſſimum hoc munus fideliter, diligenterque obeundum paulo vehementius inflammauit. Quam

porro prouide, ſapienterque egerit *Maria Thereſia*, quod toto regni ſui tempore peculiari ſtudio ad Chriſtianam, probamque vtriusque ſexus iuuentutis Hungaricae inſtitutionem procurandam incubuerit, mira illa morum apud gentem Hungaricam commutatio paucorum annorum ſpatio introducta, ac ab exteris ipſis obſeruata, ſatis, ſuperque loquitur.

§. X.

Rem literariam inſtaurat.

Cum nihil aeque ad ingeniorum, animorumque culturam faciat, ac literarum ſtudia. hanc quoque partem magnis curis, et impendiis ſibi in Hungaria inſtaurandam ſumpſit *Maria Thereſia*. Vbi primum Vindobonen-
1753 ſis academia A. 1753. reformata fuit, dato quaſi ſigno, aliam continuo res literaria apud nos induit faciem. Nonnullae ſcientiae a quaeſtionibus parum vtilibus liberatae ſunt: aliae paulo diligentius, et vtiliori methodo excoli coeptae, complures denique Ottomannicorum, aut ciuilium bellorum tempore his in ditionibus incognitae, puta aſtronomia, geometria, ciuilis, et militaris architectura, medicinae ſtudium, rerum politicarum ad monarchiae felicitatem facientium inſtitutio, hiſtoriae rei antiquariae, diplomaticae, ſphragiſticae, ac aliarum politiorum

diſciplinarum cognitio, introductae. Reflo-
ruit mox theologia, doctiſſimis eruditorum
virorum operibus explicata, de aliis etiam
quibusuis diſciplinis tam praeclari ſubinde
apud nos prodiere commentarii, vt in ex-
terarum gentium academiis, et gymnaſiis
non ſine popularium noſtrorum commenda-
tione praelegantur. Cumprimis autem pa-
tria hiſtoria, denſiſſimis ante obruta tenebris,
maximam domeſticorum ſcriptorum noſtrorum
conatibus, atque calamis lucem accepit: vn-
de iure, meritoque ſperari poteſt, non le-
uem patriae vtilitatem procuratum iri. Por-
ro eorum nomina, qui ſcriptis in lucem e-
ditis aetate noſtra inclaruere, hic recenſere
ſuperuacaneum exiſtimamus, horum enim
memoriam alii iam ante nos ad poſterorum
notitiam transmiſerunt. Qua ratione demum
ſcientiarum omnium vniuerſitas A. 1772. 1772
Tyrnauiae collocata fuerit: cur eadem Bu-
dam A. 1777. auguſtae *Mariae Thereſiae* vo- 1777
luntate commigrauerit, qua item ſolennitate
illa ibidem A. 1780. die XXV. Iunii conſta- 1780
bilita ſit, alibi iam commemorauimus, vbi
multiplicia rei literariae variis aetatibus in
Hungaria fata ſuccincta narratione complexi
ſumus (*a*). Florentiſſimam rei literariae per
Mariam Thereſiam in meliorem redactae ra-
tionem, maximasque in vtramque rempubli-
cam inde transfuſas vtilitates copioſe, et e-

(*a*) Vide parte I. introductionis in nouae Hungariae hiſtoriam §. XVI. pag. 139.

leganter explicuit ipſo inaugurationis vniuerſitatis Budenſis die, *Adamus* e L. B. Patachich de Zaiezda Colocenſis archiepiſcopus, qui dum haec ſcriberemus, die XIX Iulii
1784 A. 1784. podagrae malo conſumptus maximo omnium regni ordinum dolore Colotzae deceſſit, aetatis anno LXIX. eruditorumque Hungariae antiſtitum numerum diminuit. Quamquam celeberrima haec ſcientiarum vniuerſitas Budenſis pro maiore diſcentium, docentiumque commodo auguſti *Ioſephi* II. pro-
1784 uidentia, Peſtini hoc eodem anno 1784. exeunte nouum accepit domicilium. Quae praeterea rei literariae prouehendae adiumenta *Mariae Thereſiae* munificentia procurata ſint, quot item academiae, ac gymnaſia opportunis per prouincias Hungaricas locis collocata, quot ſcholae ipſius etiam infimae plebis iuuentuti erudiendae paſſim apertae, non eſt inſtituti noſtri hic referre. Satis ſit dixiſſe, ita omnia prouide, ſapienterque domi eſſe conſtituta, vt nullius iam diſciplinae condiſcendae cauſa iuuentutem noſtram aut exteras adire academias, aut aliunde magiſtros accerſere oporteat. Optatiſſimas rei literariae progreſſiones minime otioſa ſpectauit *Maria Thereſia*, nouerat illa opportunis ſane mediis diſcentium non minus, quam docentium ardorem et nutrire, et paulo vehementius accendere: vt magno apud illam literae, ita etiam literati erant in pretio; non pauci ob ſcientias, bonasque artes aut praeclare traditas, aut eruditis ſcriptis illuſtratas digna laborum accepere praemia:

alii ex his liberalibus donati ſtipendiis: alii bonis, latifundiisque exculti: alii denique in alterutra republica ad dignitates, et honores fuere euecti.

§. XI.

Religionis ſacroſanctae incrementa.

Ad quantam maieſtatem religio ſacroſancta *Maria Thereſia* imperante ſit euecta, quantis item creuerit incrementis, non eſt, quod pluribus hic perſequamur. Multa certe mortalium millia Diuini Spiritus gratia aſſiſtente ad auitae eccleſiae catholicae gremium eius auſpiciis reuocata fuiſſe, certius eſt, quam vt probari a me oporteat, vt adeo eximio ſuo, vereque apoſtolico fidei ſacroſanctae apud ſuos propagandae, ornandae, tuendaeque ſtudio, honorificae illius *apoſtolicae* Hungarorum reginae appellationis menſuram, et officia, quam cumulatiſſime expleuerit (*a*). Quia vero religio in recta fide, et morum probitate, nec non cultus Diuini puritate,

(*a*) Veterem hanc regum Hungariae appellationem Clemens XIII. P. M elegante breui pontificio die XIX Auguſti A. 1758. Romae edito innouauit, quod integrum in noſtro ſpecimine Heraldicae Hungariae pag. 21. habes.

et ſanctimonia conſiſtit, in id piiſſima princeps ſolicito ſtudio incubuit: vt ſubditi ſui populi recte credere, probe viuere, Deum denique in ſpiritu, et veritate ad religionis ſacroſanctae praeſcriptum adorare aſſueſcerent. Quapropter, vt facilior eſſet, expeditiorque populi in religione cultura, paſtores ſibi multiplicandos putauit: hinc collegiata Scepuſii eccleſia ad cathedralis dignitatem euecta, nouos praeterea Albaeregiae, Neoſolii, Roſnauiae, Sabariae pro Latinis, pro Graecis autem Catholicis Criſii, Munkatſini, et Magno-Varadini epiſcopos ſuis cum capitulis collocauit, ſingulisque ſuas definiuit dioeceſes. Quo quidem in opere pio, ſanctoque conſtituendo, ardens religionis promouendae ſtudium, munificam in res ad cultum Diuinum ſpectantes voluntatem, ac eximiam denique in eos, quibus iuſſu Diuino cura animarum concredita eſt, quosue Spiritus ſanctus regendae eccleſiae Dei praefecit, gratiam, atque beneuolentiam ſatis, ſuperque demonſtrauit. Quamuis autem fides, probitas, Diuinique cultus maieſtas et antiſtitum, et aliorum virorum apoſtolicorum piis conatibus non leuia ſemper acceperit incrementa, plurimi tamen ſincera, non fucata auguſtae principis pietate, religione, morum ſanctimonia, ac ceterarum denique virtutum Chriſtianarum exemplo, partim ad eiurandos errores, partim ad vitia corrigenda, vitamque ſacris legibus conformandam fuere excitati: fere enim ad ſummorum imperantium exemplum ſuos ſubditi mores, vi-

tam

tam accommodant. Longum foret, ſi rempla innumera a *Maria Thereſia* condita, liberaliterque dotata commemorare vellemus, illud tamen vnum praeterire non poſſumus, quod ſacram Diui *Stephani* primi Hungariae regis dexteram, poſt duorum prope ſeculorum exilium, Raguſa domum reduxerit, eamdemque in ſplendidi operis ſacello, palatinae eccleſiae Budenſi adſito, collocauerit, ac perpetuae gentis Hungaricae venerationi ibidem patere voluerit (*a*). Neque dubitandum eſt, Diuum protoregem noſtrum pro gentis illius, quam ipſe a gentilibus ſuperſtitionibus abſtractam, ad veram fidem adduxerat, incolumitate, perpetuaque felicitate in coelis apud Deum deprecaturum.

§. XII.

Thereſiani regni felicitas, et gloria.

HAe fere fuere *Mariae Thereſiae* per vitam omnem occupationes, vt pene ceterorum ſubditorum populorum oblita in ſolam Hungarorum felicitatem intendiſſe videretur: cumque in excolenda, ac ad ſummum florem euehenda Hungaria, arduum, difficileque hoc

(*a*) Conſule cl. Georgii Pray diſſertationem *de ſacra Diui regis Stephani dextera* editam.

opus a radice quaſi aggreſſa, idoneis, opportunisque mediis ſumma conſtantia vſa fuerit, non mirum eſt, eam omnia fere ad exitum perduxiſſe, quae in ipſo ſui regni exordio ſibi efficienda propoſuerat. Certe paucorum annorum ſpatio Hungaria longe diuerſam a priore formam induit, ac in vniuerſa ſentiendi, viuendique ratione incredibilis apud omnem ſexum, aetatem, et ordinem commutatio facta fuit; exſtincto pedetentim nationali odio, mira Hungaros inter, et ceteras Auſtriacas nationes amicitia, animorumque vnio vigere coepit, eaque iam et probarent ipſi, et expeterent, quae maiores ſui tamquam a moribus, inſtitutisque veteribus aliena deteſtari conſueuerunt; profligato otio, diſcordiis domeſticis, et malis, quae inde conſequi ſolent, omnium voluntates ad communem patriae felicitatem procurandam ſunt excitatae; refloreſcentibus ſcientiis, aboliteque ſenſim veteri viuendi more, artes quoque omnes ad exteriorem regni culturam facientes feliciter refloruere. Innumeris coloniis in Hungariam deductis, foedam illam ſolitudinem, quam diuturna Turcarum ſeruitus inuexerat, prope iam ſublatam cernimus, oppida, vrbesque ſuis e ruinis renaſcentes et populi frequentia, et aedium ſplendore magnis in dies creſcunt incrementis: regnum omne elegantiſſimis vbique excultum eſt palatiis, poſtquam antiſtites abſterſo priori ſqualore, quae adhuc deſiderabantur, templa Deo, ſibi autem, et ſucceſſoribus ſuis idoneas aedes vbiuis fere ad apicem addu-

xere, ac praeterea quamplurimae illuſtres familiae palatia exteris ipſis admiranda poſuere. Ipſa demum res ruralis, et agraria auguſtae principis curis in meliorem ordinem, vtilitatemque reuocata fuit. Ne autem ſubditi ruricolae vltra aequum, iuſtumque per heros ſuos premi, ſicque in egeſtatem redigi aliquando poſſint, quid per illos deinceps dominis praeſtari oporteat, certa, ſtabilique lege definiuit. Fines Hungariae tam oppidorum Scepuſienſium, quam banatus Temeſienſis, et partis Moldauiae acceſſione non mediocriter creuere, magis autem Gallicia, et Lodomeria iure poſtliminii vindicata. Rebus denique omnibus domi rite conſtitutis, creſcente iam vbique populi induſtria, ne Hungari commercii cum exteris faciendi opportunitatem ſibi deeſſe, poſſent conqueri, *Maria Thereſia* vrbem Flumen, eiusque portum, et totum territorium Fluminenſe Croatiae adiecit, ac cum Hungaricis regnis in vnum corpus redegit. Quae commercii Hungarici initia prouide tum iacta, maximis iam hodie augeri incrementis, et vtilitatibus intuemur. Ex quibus omnibus compendio recenſitis luculente intelligi poteſt, Hungariae ſub materno auguſtae *Mariae Thereſiae* regimine felicitas, et gloria, ad quam ſiue conſeruandam, ſiue altius prouehendam, ſingulari Dei beneficio factum eſt, vt inde a concluſa Belgradi pace, tranquillam, beatamque duceremus vitam, nemoque hoſtium vnquam limites regni noſtri laceſſiuerit: quae enim bella interdum in auguſtam domum Au-

ſtriacam ſuſcitata ſunt, procul ab Hungaria gerebantur. Haec cum beato pacis in otio pro communi felicitate noſtra agebat *Maria Thereſia*, non tam populorum ſuorum dominam, quam matrem ſe ſe exhibuit: neque tamen quidquam eorum, quae bellicoſiſſimi, reique militaris quam ſtudioſiſſimi quique hac aetate principes ad coronarum, ditionumque ſuarum ſecuritatem prouide, ſapienterque conſtituunt, illa domi ſuae praetermiſit; nam praeterquam, quod plurimis pedeſtribus, equeſtribusque legionibus, nominatim apud Hungaros conſcriptis, vires ſuas non mediocriter auxerit, fines quoque ditionum Hungaricarum limitanea nationali militia ad Romanorum imitationem inſtituta, inde a mari Adriatico ad Moldauiam vſque validiſſime communiuit, veteribusque fortalitiis opportune reſtauratis, aut nouis etiam erectis, aduerſus vim omnem egregie roborauit. Vniuerſim autem rem militarem in monarchia ſua ad eum potentiae gradum euexit, vt florentiſſimarum copiarum numero, et peritia, omnique apparatu bellico omnes ante ſe Auſtriacae domus principes, quam longiſſime ſuperauerit. Porro vt ducum ſuorum virtutem bellicam et praemiaret, et accenderet, poſt illuſtrem victoriam de *Friderico* rege Boruſſiae
1757 die XVIII. Iunii A. 1757. ad Chocemitz *Daunio*, et *Nádasdio* ducibus reportatam, inſignem equitum ordinem ab auguſto nomine ſuo *Thereſianum* dictum, inſtituit, ad quem nulli, niſi qui euidentia heroicae virtutis ediderit ſpecimina, pateret aditus. Quanto

denique in pretio totum militarem ordinem, cuius fide, virtuteque se, prouinciasque suas aduersus multiplices hostes praeclare defensas meminerat, per omnem vitam habuerit, vel moriens luculenter testatum reliquit, dum toti exercitui mensis vnius stipendium de allodialibus facultatibus suis numerandum vltimis tabulis legauit.

§. XIII.

Nonnulli aduersae fortunae ictus.

His igitur adminiculis singulari Numinis beneficio creuit *Theresiani* regni felicitas, creuit augustae temporum nostrorum reparatricis gloria, cui cumuli instar accessit pulcherrima illa augustae sobolis corona, non in hereditariarum solum prouinciarum, verum etiam totius Europae spes maximas felicissime educta. Quamquam haec omnia multis aduersae fortunae ictibus, Christiane fortiterque toleratis, saepius interpolata erant. *Carolum* VI. patrem, nondum terminata cum Turcis pace, in maximo belli renascituri periculo amisit, auitumque solium aere, militeque destituta conscendit, vt adeo prodigii instar habendum sit, quod plurimis Europae principibus, ad diripiendam eius hereditatem coniuratis, tot hostibus sola resistere, bellum tam difficile tamdiu

ſuſtinere, vltimumque diſcrimen tam glorioſe ſuperare potuerit, ſed et clades interdum ab hoſtibus acceptae, copiarumque amiſſarum iactura tanta nonnumquam erat, vt cuiuscumque alterius principis animum labefactare, frangereque potuiſſet. Luxit poſtea ereptam *Eliſabetham* matrem, luxit *Mariam Annam* ſororem, et *Carolum* Lotharingum Belgii gubernatorem huius maritum, luxit filium *Carolum* archiducem, luxit geminas nurus *Iſabellam* Bourboniam, et *Ioſephan* Bauaram *Ioſephi* II. filii coniuges cariſſimas, luxit complures filias: acerba haec fuere funera, ſed quae omnia forti plane animo, vt piam, et conſtantem filiam, ſororem, matrem, et ſocrum decebat, luxit. Atrocior his omnibus fuit *Francisci* caeſaris immortali apud nos praeſertim memoria digniſſimi principis occaſus, quocum tot annis eximia fide, pietate, et voluntatis conſenſione indiuiduam coluit vitae ſocietatem, adeo, vt nobiliſſimi huius coniugii ſanctitas non viuentium modo ſermonibus celebretur, verum etiam ſubditis populis praeclaro fuerit ad imitationem exemplo. Tantum igitur coniugem praeter omnem exſpectationem, alieniſſimo plane
1765 tempore die XVIII Auguſti A. 1765 in *Ioſephi* filii brachiis repentina morte exſtinctum Oeniponti amiſit. In communi populorum omnium luctu iuſto et ipſa dolore mortem illius proſecuta fuit, verum ita, vt neque vehementiſſimi vulneris acerbitate fracta, neque a ſolita virtutis conſtantia ſit deiecta. Ipſa quoque auguſta princeps fatali variolo-

rum morbo A. 1767. correpta, ac in grauiſ- 1767
ſimum diſcrimen adducta, auguſtas proles, cognatos principes, ac vniuerſas prouincias in acerbiſſimum moerorem, luctumque coniecit. Incredibile dictu eſt, quam feruentes, conſtantesque a ſummis, et infimis preces tum ad Deum ſint fuſae, non ſecus, atque ſi auguſta terris erepta ſupremus inſtaret dies: calentibus tot ſubditorum votis, precibusque expugnatum, ceſſit denique Numen clementiſſimum, reſtituta auguſtae valetudine, vitaque in longius prorogata, quaſi ea ſolum de cauſa in diſcrimen fuiſſet coniecta, vt, quo in illam eſſent ſubditi amore, eo luculentius, certiusque intelligeretur.

§. XIV.

Mariae Thereſiae obitus.

Illuxit demum funeſtus toti monarchiae Auſtriacae annus 1780. quo auguſta *Maria The-* 1780
reſia praeter omnium opinionem, Nouembri menſe ex hydrope pectoris paulo grauius laborare coepit; poſt paucorum dierum aegrotationem, cum vicinae mortis periculum haud procul abeſſe ipſamet ſentiret, ſacroſanctae Euchariſtiae viatico, publico, ſolennique ritu die XXVI. Nouembris refici, ac biduo poſt extremae vnctionis ſacramento ad ineundum aeternitatis iter comparari voluit: vltimae demum voluntatis ſuae mandatis, et

monitis continuo ſibi aſſiſtenti auguſto filio datis, non ſine praeclaro et pietatis, et conſtantiae Chriſtianae exemplo, die XXIX. Nouembris ante nonam veſpertinam Viennae e viuentium numero ad immortalem vitam tranſiit. Vixit annos LXIII. menſes VI. dies XVI. imperauit annos XL. totidemque dies. Corpus eius caeſareo Mauſolaeo apud PP. Capucinos illatum, vt viuens praeceperat, pone auguſti coniugis *Francisci* caeſaris oſſa eſt repoſitum. Inexſpectatum optimae principis obitum communis in omnibus hereditariis prouinciis apud ſummos, et infimos luctus, et comploratio conſecuta fuit. Quod vnum poterant ſubditi populi, ſinceri, conſtantisque in principem, matremque ſuam amoris tributum, ſinceras profudere lachrimas. Doloris ex tanta iactura acerbitatem paulo grauiorem fuiſſe oportuit apud Hungaros, quod reginae ſuae obitum exterioribus etiam ſignis, ac nominatim atro veſtium ſqualore nobilitas Hungarica vltro proſecuta ſit. Regio dignas faſtigio *Mariae Thereſiae* auguſtae virtutes vel ex iis, quae compendio hucusque retulimus, ſatis, ſuperque licet intelligere: ingenii perſpicacia, conſilii vi, atque prudentia, animi in vtraque fortuna conſtantia, et fortitudine, rerum denique ad monarchiae ſuae potentiam, ſecuritatemque procurandam inſtitutarum ſecundo ſucceſſu, maximis quibusque bello, paceque principibus nihilo fuit inferior, nec quidquam praeter ſexum femineum praeſetulit; in ſummo illo ſupremae maieſtatis faſti-

gio, facilis, ac aliena ab omni arrogantia cum omnibus agendi ratio, rigor iuſtitiae numquam non cum clementia coniunctus, peculiare ſubditis omnibus benefaciendi ſtudium, profuſa in egenorum, miſerabiliumque perſonarum auxilium liberalitas communem ei, quoad vixit, ſubditorum omnium amorem conciliarunt, demortuae autem memoriam ad ſeram vſque poſteritatem in omnium animis tuebuntur. In Chriſtianis autem virtutibus ita conſtanter excelluit, vt nemo eſſet, qui non eius exemplis ad verae religionis, probitatisque ſtudium ſe accendi, inflammarique ſentiret. Erat in ea ſolida illa, non fucata religio, ac peculiaris quaedam, neque vulgaris Diuinae maieſtatis veneratio, congenita illa Habsburgicae domui in Numen Euchariſticum pietas, cuius plurima, maximaque per omnem vitam edidit argumenta. Vt cultus diuini maieſtati, rebusque ſacris ex animo addicta erat, ita ſacrorum quoque miniſtros peculiari gratia, beneuolentiaque proſecuta fuit, inſigni prorſus ſubditis populis ad imitandum exemplo. Quibus omnibus virtutibus id a Diuino Numine conſecuta fuit, vt et bello, et pace euidentem illius opem ſit experta, ac monarchiam, quam ipſa admodum debilitatam, ruinamque minitantem, obeunte patre *Carolo* VI. gubernandam adierat, ſapientiſſimis conſiliis, et conatibus ſuis optime conſtitutam, et ad ſummum humanae potentiae apicem adductam auguſti filii *Ioſephi* II. manibus moriens reſignauerit.

§. XV.

Auguſtae proles.

E fauſtiſſimo *Franciſci* I. et *Mariae Thereſiae* connubio numeroſa ſoboles nata eſt, nos ſuperſtites ſolummodo recenſebimus, filios primum, tum vero filias archiduces. I. *Ioſephus* II. Romanorum imperator, Hungariae, et Bohemiae rex duabus iam coniugibus viduatus. II. *Petrus Leopoldus* archidux Auſtriae, magnus dux Hetruriae, felix plurimorum ex *Maria Ludouica, Caroli* Hiſpaniae regis filia, liberorum iam hodie pater. III. *Ferdinandus* archidux Auſtriae, Auſtriacarum in Italia ditionum gubernator, qui ex *Maria Beatrice* Eſtenſi, ducis Mutinenſis filia, complures pariter proles ſuſtulit. IV. *Maximilianus* archidux Auſtriae, archiepiſcopus Colonienſis, et Monaſterienſis, S. R. I. electorum collegii ſeptemuir, magnus ordinis Teutonici magiſter. Ex auguſtarum filiarum numero I. *Maria Anna* archidux Auſtriae multiplicis literaturae, ac eruditionis laude conſpicua, ab auguſtae matris ſuae obitu Clagenfurti in Carinthia domicilium fixit. II. *Maria Chriſtina* archidux Auſtriae, cum coniuge ſuo *Alberto* Saxoniae, et Teſchini duce, auguſti caeſaris vice, Belgio moderando praeeſt. III. *Maria Eliſabetha* archidux Auſtriae nobilium herularum Oeniponti antiſtita. IV. *Maria Amalia* archidux Auſtriae *Ferdinando* infanti Hiſpaniae Parmae duci nupta. V. *Maria Carolina* archidux Au-

AD NOTITIAE REI[illegible]HVNG. PARTEM III.

Franciscus Stephanus Dux Lothar. et Barri. I[illegible] Hierosol. *natus Luneuillae* VIII. Dec. 1708
adit possess. Loth. 1729 *eidem p[illegible]pacem Vienn. cedit* 1735 *adit* M. Ducatum Hetruriae 1735
fit Rom. Imp. IV. Octobr. 174[illegible]obit Oeniponti XVIII. Aug. 1765
Coniux Maria Theresia Apost. Hung. Boh[illegible]eg. Rom. Imp. *Omnium Austriac. Prouinc. vi Sanctionis*
Pragmaticae heres. nata Viennae XII[illegible]Maii 1717 *nupt.* XII. Febr. 1736 succedit Augusto
Patri suo Carolo VI. 1740 obi[illegible]nnae 29 Nouemb. 1780

Maria Anna A. A. nat. 6 Oct. 1738	Iosephus II. Rom. Imp. nat. 13. Mart. 1741 Rom. Rex elect. 27 Mart. Francof. Coron. 3 Apr. 1764 Adit Imp. 1765 *Coniux* I. Maria Elisabetha Inf. Hisp. Duc. Parm. nat. 31 Dec. 1741 nupt. 6 Oct. 1760 Obit 27 Nou. 1763 II. Maria Iosepha Bau. Caroli VII. Imp. filia nat. 30 Mart. 1739 nupt. 22 Ian. 1765 obit 28 Maii 1767	Maria Christiana A.A. nat. 13 Maii 1742 nupt. 8 Apr. 1766 *Alberto* Aug. Reg. Polon. Principi	Maria Elisabetha A.A. nat. 13. Aug. 1743	Maria A[illegible] A.A. nat. 1746 nup[illegible] *Ferdinand*[illegible] Duci Inf.	Petrus Leopoldus A.A. nat. 5 Maii 1747 adit M. Duc. Hetr. 1765 *Maria Ludouica* Inf. Hisp. nat. 24 Nou. 1745 nupt. 16 Febr. 1764	Maria Carolina A.A. nat. 13 Aug. 1752 nupt. 7 Apr. 1768 *Ferdinando* V. Neap. et Sicil. Regi	Ferdinandus A. A. nat. 1 Iunii Gub. Lomb. Austr. *Maria Beatrix* Ducissa Estensis Herc. Rainaldi Mutinae ducis Filia heres nat. 7. Apr. 1750 nupt. 15. Oct. 1771	Maria Antonia A.A. nat. 2 Nov. 1755 nupt. 1770 *Ludouico* XVI. Aug. Galliar. Regi	Maximilianus A.A. nat. 8 Dec. 1756 Elect. Colonienfis a 12 Apr. 1784

Ex I. Maria Theresia A. A. nat. 1752. 20. Martii obit 23 Ian. 1770.

ſtriae *Ferdinando* IV. vtriusque Siciliae regi coniux data. VI. *Maria Antonia* filiarum archiducum Auſtriae poſtrema, Ludouicum XVI. Galliarum regem maritum accepit, nouoque hoc coniugii foedere, Auſtriacam domum cum Bourbonica paulo arctius copulauit. Hic erat auguſtarum prolium, cum *Maria Thereſia* obiret, ſuperſtitum numerus, et conditio, ex quibus viuens adhuc auguſta mater dedit imperio caeſarem, hereditariis prouinciis reges, et principes, dedit potentiſſimis regibus coniuges, regnis reginas, per auguſtam hanc ſobolem ſanguis *Lotharingo-Habsburgicus* in vniuerſam Europam propagabitur, *patriisque reget virtutibus orbem.*



IOSEPHVS II.

ROM. IMP.

REX L.

Auſpicatiſſimo omine hereditaria regna adit.

Bello, quod poſt *Maximiliani* Bauariae electoris obitum ſucceſſionis cauſa eruperat, tempeſtiue exſtincto, litibusque partium Teſchinenſi pace compoſitis, *Ioſephus* II. in Auſtriacarum ditionum omnium gubernatione hereditario iure auguſtae matri ſucceſſit, moxque lachrimas, quas funeſtus illius obitus expreſſerat, e ſubditorum oculis abſtergere coepit; cum enim optime conſtitutam, florentiſſimamque monarchiam adiiſſet, mox ſtudia ſua, et conatus omnes eo conuertit, vt quae ad eius potentiam altius prouehendam, et paulo copioſiora, eademque ſtabilia emolumenta tam generatim omnibus, quam ſeorſim ſingulis ſubditis populis procuranda hactenus deſiderabantur adminicula, quamprimum introduceret, atque conſtabiliret. Quae illius in commune bonum ſtudia, atque conatus eo celeriorem, certioremque ſucceſſum habitura vel eo ominamur, quod plerisque ad felicem gubernationem auxiliis affatim inſtructus ſolium conſcenderit: prae-

terquam enim, quod quamplurima extera regna, et imperia, puta Russiam, Italiam, Germaniam, et Galliam oculo semper in ea, quae ad monarchiarum robur, diuitias, rectum ordinem, stabilitatemque faciunt, intento perlustrauerit, soliciteque, quae sibi, suisque vsui, vtilitatique aliquando esse possent, connotauerit, nulla etiam hereditariarum prouinciarum fuit, quam frequentioribus vicibus non adierit, qua opportunitate, regionum singularum situm, rerum copiam, aut inopiam, incolarum indolem, mores, vitia, virtutes, industriam, ac quidquid denique summum imperantem scire oportet, apprime perspexit. Vt est prompto, perspicacique ingenio, vidit in laudabili ea itineratione, quae communis administrationis partes corrigi, emendarique debeant, quae ad rectius gubernandum aut compendia fieri, aut noua munera, et officia institui possint, vidit, quibus adminiculis singulorum in munere suo solertia acui, iustitia item cuiuis celerius, accuratiusque administrari valeat, quam quidem subditorum populorum, regnorumque notitiam, tantamque rerum cognitionem nemo ex eius decessoribus ante, quam regnum adiret, comparatam habuit, tot denique annorum interuallo, augustae matris suae consiliis omnibus interfuit, ac non modo ad magna opera suscipienda, eidem non raro autor exstitit, verum etiam ad eadem feliciter perficienda, diligentissimus semper adiutor fuit, atque sic difficillimam subditos gubernandi artem non tam praeceptionibus, quam diuturno vsu, et exercitatione condi-

dicit. Videmus iam perruptis, quos auguſtae domus inuidi deceſſoribus eius oppoſuerant, aggeribus commercii cum quibusuis, etiam remotiſſimis, populis libertatem illius prudentia, et conſtantia ditionibus noſtris procuratam: videmus copioſis adminiculis auguſti principis noſtri prouidentia liberaliter vbique inſtitutis, popularium noſtrorum magis in dies acui, accendique induſtriam: videmus ſingulis adminiſtrationis partibus nouam, melioremque formam ſenſim induci, nouumque, ac inſolitum quemdam vigorem cunctis regni magiſtratibus, et muneribus inſpirari, vt adeo ex iis, quae paternis, et indefeſſis eius curis hactenus acta, conſtitutaque cernimus, de futura eo imperante monarchiae noſtrae felicitate, et gloria iam nunc arbitrari poſſimus, quae alii poſt nos feliciore calamo ad memoriam poſterorum transmittent: nos interea Deum immortalem ardentiſſimis votis deprecamur, vt auguſtiſſimum caeſarem, regemque noſtrum apoſtolicum, quam diutiſſime ſeruet incolumem, aduerſus quosuis hoſtes potenti patrocinio ſuo protegat, optima eius ad religionis ſacroſanctae incrementum, perpetuamque ſubditorum felicitatem conſilia, et conatus prouidentia ſua moderetur, ac ad optatum denique finem perducat. Quod dum non ſperamus modo futurum, verum etiam certo confidimus, *Notitiae rerum Hungaricarum*, quam candido, fidelique calamo ad popularium noſtrorum vtilitatem conſcriptam hactenus adduximus, finem vna imponimus.

ELENCHVS
MATERIARVM
PARTIS TERTIAE.

FERDINANDVS I. IMPERATOR, REX XXXIX.

Pag.

§. I. Ferdinandus profligato aemulo corona, et regno pleno iure potitur. - - - - 3

§. II Ferdinandus res Hungaricas Budae ordinat. - 7

§. III. Zápolya, frustra tentata cum Ferdinando pace, Solimanni patrocinium implorat, et impetrat. - 10

§. IV. Ferdinandi res in Hungaria Turcarum metu inclinant. - - - 14

§. V. Solimannus Buda potitur. - - - 16

§. VI. Ioannem in solio Hungarico confirmat. - 19

§. VII. Calamitates inde in Hungaria consecutae. - - 21

§. VIII. Publica patriae mala Ioannem ad pacem cum Ferdinando sanciendam adigunt. - - 25

§. IX. Concordiae reges inter sancitae conditiones. - 31

§. X. Ioannis regis connubium, et obitus. - 34

§. XI. Ioannis vltima voluntas, pessimaque tutorum consilia. - - - 36

§. XII. Ferdinandi conatus irriti ad recuperandam ex pacto Hungariam. - - - - 38

§. XIII. Bellum ab eodem contra viduam improspere gestum. - - - 39

§. XIV. Solimannus insigni astu Buda potitur. - - 41
§. XV. Illius cum suis deliberatio de Hungaria. - 44
§. XVI. Isabella cum pupillo Buda in Transsiluaniam relegatur. - - - 46
§. XVII. Solimannus magnam Hungariae partem subiugat. - - - 48
§. XVIII. Ferdinandi conatus ad recuperandam Transsiluaniam. - - - 49
§. XIX. Conditiones, quibus Transsiluania S. coronae restituta. - - - 52
§. XX. Castaldi belliducis cum F. Martinusio simultates. 54
§. XXI. Martinusii caedes. - - - - 56
§. XXII. Transsiluanorum a Ferdinando secessio. 59
§. XXIII. Isabella regno restituta. - - 61
§. XXIV. Eius obitus, et memoria. - - - 63
§. XXV. Pax cum Solimanno inita. - - 64
§. XXVI. Ferdinandi curae de successore constituendo. 65
§. XXVII. Maximilianus primogenitus in regno Hungariae inauguratur. - - - - 67
§. XXVIII. Ferdinandi obitus, et liberi. - - 69
§. XXIX. Eius memoria. - - 70
§. XXX. Catholicae religionis tuendae, ac restituendae studium. - - - 73

MAXIMILIANVS IMPERATOR, REX XL.

§. I. Octennales cum Turcis induciae rumpuntur. - 76
§. II. Ioannes Transsiluanus a Turcis delusus. - - 78
§. III. Postremi Solimanni ad Szigetum conatus. 79

§. IV. Pax cum Turcis. - - 81
§. V. Caesarem inter, et Transsiluanum concordia. 82
§. VI. Ioannis Sigismundi obitus. - - 83
§. VII. Transsiluania ad obsequium S. coronae redit. 84
§. VIII. Debilis admodum Transsiluanos inter, et Hungaros nexus. - - 86
§. IX. Gentis Hungaricae querimoniae. - 88
§. X. Rudolphus, caesaris primogenitus, vnanimi consensu coronatur. - - - 91
§. XI. Maximiliani obitus, et encomium. - - 92
§. XII. Coniux, et liberi. - - 93

RVDOLPHVS IMP. REX XLI.

§. I. Rudolphus regni Hungarici curam in fratres transfert. - - - 94
§. II. Turcae pacem violant. - - 95
§. III. Hungarorum ad iuuandam patriam liberale studium. - - - 97
§. IV. Belli Turcici successus. - - 100
§. V. Sigismundus Wayuoda in regis Hungariae clientelam concedit. - - 101
§. VI. Rudolphum inter, et Sigismundum foederis conditiones. - - - 106
§. VII. Sigismundus Transsiluaniam Rudolpho caesari resignat. - - - 110
§. VIII. Multiplex illius inconstantia, et vitae exitus. 112
§. IX. Caesareae, et Bizantinae aulae diuersa studia ad Transsiluanos in fide retinendos. - - 123

§. X. Georgii Baſtae inconſulta cum Tranſſiluanis agendi ratio. - - - 127

§. XI. Perturbatus id temporis Hungariae ſtatus. - 130

§. XII. Stephani Botskai artes ad commouendam apud Hungaros ſeditionem. - - 135

§. XIII. Rapida ſeceſſionis progreſſio. - 139

§. XIV. Caeſaris ad ſopiendam ſeditionem ſtudia. 142

§. XV. Pacificatio Viennenſis. - - 146

§. XVI. Stephani Botskai obitus, et vltima voluntas. 150

§. XVII. Pacta pacis Viennenſis primi infringunt Tranſſiluani. - - - 152

§. XVIII. Rudolphum inter, ac Mathiam fratres diſcordia. - - - 155

§. XIX. Rudolphus Auſtriam, et Hungariam Mathiae fratri cedit. - - - 158

§. XX. Rudolphi caeſaris obitus. - - - 161

§. XXI. Nihilne iuris in Kuſſiam rubram amiſſum pace Bithonienſi. - - - 162

MATHIAS II. IMPER. REX XLII.

§. I. Mathiae regis inauguratio, ac noua quaepiam tum conſtituta. - - - 165

§. II. Mathiae conatus ad Tranſſiluanos in S. coronae obſequio retinendos. - - 175

§. III. Gabriel de Bethlen ope Turcarum principatu apud Tranſſiluanos potitur. - 177

§. IV. Mathias Ferdinandum archiducem ſucceſſorem conſtituit. - - 180

§. V. Mathias turbas domeſticas morte praeuertit. 185

§. VI. Rerum ſacrarum ſub Mathia viciſſitudo. - 187

FERDINANDVS II. IMPERATOR, REX XLIII.

§. I. Perturbata admodum regni initia. - - 195

§. II. Hungari Bohemis contra caesarem assistere detrectant. - - - 198

§. III. Bethlenius inito cum Bohemis contra Ferdinandum foedere Hungariam inuadit. - - 201

§. IV. Bethlenius S. corona, et potiori parte regni potitur. - - - 204

§. V. Bethlenius reiecta pace rex Hungariae per factiosos eligitur. - - - 210

§. VI. Laetior fortuna Ferdinandi Bethlenium ad pacem ineundam flectit. - - - - 215

§. VII. Pacis cum Bethlenio conditiones, primique belli exitus. - - - - - 220

§. VIII. Pax Nicolsburgensis per Bethlenium violata iterum restituitur. - - - 223

§. IX. Postremum cum Bethlenio bellum pace terminatur. - - - 227

§. X. Bethlenii mors, et memoria. - - 230

§. XI. Transsiluaniae vicissitudines. - - 232

§. XII Georgius I. Rákótzi et a caesare, et a porta Ottomannica in principatu confirmatur. - 235

§. XIII. Peculiares quaedam in re ciuili constitutiones. 239

§. XIV. Nonnulla pro clero constituta. - 245

§. XV. Adminicula ad promouendam rem Catholicam vtiliter adhibita. - - - - 252

§. XVI. Caesar filium suum primogenitum in Hungaria inaugurari procurat. - - 257

Pag.

§. XVII. Ferdinandi II. obitus, et laudes. - - 261

§. XVIII. Ferdinandi II. coniuges, et liberi. - 266

FERDINANDVS III. IMPERATOR, REX XLIV.

§. I. Initia regni Hungarici vtcumque tranquilla. 267

§. II. Turbis domeſticis fomentum praebet Rákótzius. 270

§. III. Belli Rákótziani ſucceſſus. - - 273

§. IV. Belli Rákótziani exitus. - - - 276

§. V. Archiducis Leopoldi in regem Hungariae inauguratio. - - 281

§. VI. Quaedam Ferdinandi III. conſtitutiones. - 284

§. VII. Rákótzianae domus apud Tranſſiluanos imperantis viciſſitudines. - - - - 289

§. VIII. Ferdinandi III. obitus, coniuges, et liberi. 293

FERDINANDVS IV. REX XLV.

§. I. Properatus Ferdinandi IV. obitus. - 295

LEOPOLDVS M. IMPERATOR, ET REX XLVI.

§. I. Leopoldini regni initia. - - - 296

§. II. Turbae Tranſſiluanicae curas caeſaris exercent. 302

§. III. Primi belli Turcici ſemina. - - 305

§. IV. Diſſidia domeſtica ſopita potius, quam exſtincta. 310

§. V. Id temporis Hungarorum incenſum gloriae ſtudium. 315

Pag.

§. VI. Turcarum ad bellum apparatus. - - 321

§. VII. Hungarorum in ſtatuendo milite promptitudo. 324

§. VIII. Bellum laeto ſucceſſu continuatum inexſpectata pace terminatur. - - - - 327

§. IX. Varia hominum de accelerata ea pace opinio. 332

§. X. Hungarorum querimoniae. - - - 336

§. XI. Caeſar ſeditionem tempeſtiue opprimit. - 338

§. XII. Regiminis Hungarici forma innouatur. - 341

§. XIII. Varia ad ſeditionem comprimendam adhibita remedia. - - - 346

§. XIV. Tökölianae ſeditionis origo, et progreſſus. 351

§. XV. Quies regno reſtituitur per comitia Sopronienſia. 354

§. XVI. Belli Turcici origo. - - 359

§. XVII. Turcarum ad Viennam clades, et ſecunda vbique caeſaris fortuna. - - - - 361

§. XVIII. Buda recepta. - - - - 364

§. XIX. Tranſſilvania a Turcarum ſocietate prouide abstracta. - - - 366

§. XX. Laetus caeſareorum armorum ſucceſſus. - 368

§. XXI. Aduerſa aliquamdiu caeſareis armis fortuna. 369

§. XXII. Pacis Carlouitzenſis occaſio, et conditiones. 371

§. XXIII. Quorum opera Hungaria e ſeruitute vindicata? 375

§. XXIV. Quando introducta hereditaria ſucceſſio maſculina? 377

§. XXV. Ioſephi I. regis inauguratio. - - 379

§. XXVI. Caeſaris ſtudia ad perpetuam tranquillitatem Hungariae procurandam. - - 381

§. XXVII. Rákótzianae coniurationis ſemina, et progreſſus. 386

§. XXVIII Funeſtum inde Hungariae incendium. - 393

§. XXIX. Caeſaris eapropter curae. - - 395

§. XXX. Rákótziani oblatam ſibi a caeſare gratiam reſpuunt. 397
§. XXXI. Leopoldus ciuili bello immoritur. - - 402
§. XXXII. Leopoldi memoria, coniuges, et liberi. 404

IOSEPHVS I. REX XLVII.

§. I. Difficile Ioſephi regnum. - 407
§. II. Concordia cum Rákótzianis tentatur, ſed irrito ſucceſſu. - - - 410
§. III. Rákótzii ad procurandam concordiam conatus inutilis. - - - 419
§. IV. Noua caeſaris ad pacem procurandam ſtudia. 426
§. V. Caeſar Ioannem Pálfi pacis arbitrum conſtituit. 429
§. VI. Difficultates a confoederatis comiti Pálfi obiectae. 432
§. VII. Pálfius Alexandri Károlyi opera optatam pacem conficit. - - - 434
§. VIII. Praecipuae quaedam conditiones pacis Szatmarienſis. - - - 436
§. IX. Ioſephi obitus, et memoria. - 441

CAROLVS III. REX XLVIII.

§. I. Regni Hungarici hereditariam poſſeſſionem adit. 443
§. II. Quaepiam in re ciuili conſtituta. 446
§. III. Nonnulla in re eccleſiaſtica decreta. 453
§. IV. Primi belli Turcici origo. 456
§. V. Optatus belli ſucceſſus. 459
§. VI. Noui vtrinque ad bellum apparatus, et Belgradi oppugnatio. - - 462
§. VII. Turcis profligatis Belgradum receptum. 466
§. VIII. Pax Paſſarouitzenſis. - - 470

Pag.

§. IX. Hereditaria ſucceſſio feminina in Auſtriacis, Hungaricisque ditionibus introducitur. - 474

§. X. Nouum ſiſtema introducitur in politica regni adminiſtratione. - - 479

§. XI. Iudiciorum ratio immutata. - 488

§. XII. Res militaris correcta. - 491

§. XIII. Res oeconomica ordinata. - 495

§. XIV. Res eccleſiaſticae. - - 499

§. XV. Quae inde in patriam commoda. - 503

§. XVI. Belli Italici improſper exitus. - - 505

§. XVII. Alterius belli Turcici occaſio. - 507

§. XVIII. Eius miniſtri ſucceſſus, et funeſtus exitus. 513

§. XIX. Pax Belgradenſis. - - 521

§. XX. Difficultates in executione pacis Belgradenſis ſuſcitatae. - - - 533

§. XXI. Caroli VI. obitus. - - 538

§. XXII. Eius memoria. - - 540

MARIA THERESIA REX XLIX.

§. I. Maria Thereſia hereditario iure in auita regna ſuccedit. - - - 543

§. II. Lites cum Turcis componit, pacemque Belgradenſem roborat. - - - 546

§. III. Conuentionis inter reginam Hungariae, et portam Ottomannicam factae capitum recenſio. 549

§. IV. Mariae Thereſiae peculiaris in gentem Hungaram fiducia. - - - 555

§. V. Hungarorum in decernendis auxiliis promptitudo. 557

§. VI. Belli ſucceſſus, et exitus. - 559

Pag.

§. VII. Quantum per bellum hoc genti Hungaricae gloriae acceſſerit. - - - 560

§. VIII. Mariae Thereſiae propenſa in gentem Hungaram ſtudia. - - - 564

§. IX. Nobili iuuentuti educandae noua condit contubernia, aut vetera inſtaurat. - - 569

§. X. Rem literariam inſtaurat. - - 572

§. XI. Religionis ſacroſanctae incrementa. 575

§. XII. Thereſiani regni felicitas, et gloria. 477

§. XIII. Nonnulli aduerſae fortunae ictus. 581

§. XIV. Mariae Thereſiae obitus. - - 583

§. XV. Auguſtae proles. - - 586

IOSEPHVS II. ROM. IMPERATOR, REX L.

§. *Vnicus.* Auſpicatiſſimo omine hereditaria regna adit. - - - - - 588.

BVDAE,

TYPIS CATHARINAE LANDERER VIDVAE.

1785.

ERRATA.		CORRIGE.
Pag.	*Lin.*	
59 N. (*a*) Hiſtorie - - -	24	Hiſtoire.
187 perictus. - - - - - - -	7	pereitus.
200 initimam. - - - - - -	24	intimam.
288 converterentur. - - -	22	conuerteretur.
301 inſuerrectionis - - - -	4	inſurrectionis.
456 N. (*a*) et CVXV. - -	24	CXXV.
507 Gaſtoni. - - - - - - -	12	Gaſtone.
527 infringeee - - - - - - -	33	infringere.
552 N. (*a*) Logier - - - -	24	Laugier.
558 ptotegerentur. - - - -	19	protegerentur.
564 reipublica. - - - - - -	11	republica.
In Tabell. Genealog. II. Anna A. A. † 1875. - - -	4	lege † 1587.

K.K. RECHTSAKAD.
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU